







D. O. M. A.

Nouus DE MEDICINA VETERUM TAM HIPPOCRATICA, QUAM HERMETICA TRActatus.

IN CUIUS PRIORE PARTE DOGMAta plæraq; inter vtriusque Professores recentes controuersa, aduersus vltimum per *Iosephum Michelium* Paracelsitarum conatum discutiuntur;

IN POSTERIORE UNIVERSALE ALCHYMIstarum, autoribus LULLIO *&* ARNOLDO, *quam liquidißimè exponitur.*

Aspersa sunt passim Peripateticorum dogmata nonnulla & à corruptelis vindicata, Autore

ANDREA LIBAVIO M. D.



1 5 9 9.

Cum Priuil. Cæs. Maiest. speciali ad decennium.

FRANCOFORTI,
Excudebat Ioannes Lechlerus, impensis Petri Kopffij.

MAGNANIMO ET INDV-
STRIO VIRO
D. ADAMO GEVSIO HER-
BIPOLENSI
SENATORI ET CIVI RO-
TEMBVRGOTVBERA-
NO CLARO
AMICO ET FAVTORI
SVO
BENEVOLENTIÆ ET HO-
NORIS CAVSA
ANDREAS LIBAVIVS D.
H Æ C
D. D.

AD AMPLISSIMVM SENATVM POPVLVMQVE REIPVBLICÆ Middelburgensis.

Andreæ Libauii, Defensio.

LIBENTER, & cum voluptate legi, Viri Amplissimi, laudem illam, qua vos in Præfatione sui aduersus me famosi libelli, ornare studuit Iosephus Michelius Italus intra muros vestros, & complexum Reipublicæ receptus. Neque enim vnquam delectatus sum pernicioso eorum ingenio, qui ad alienam

gloriam extabeſcere conſueuerunt, & commendatione aliorum ſibi detractum inuidioſe arbitrantur. Quid etiam imperio vniuerſo ad ſalutem & incolumitatem plurimorum poteſt euenire conducibilius, quam ſi Reſpublicæ, Prouinciæ, Ciuitatesque ſingulæ ita ſint conſtitutæ, itaque gubernentur, vt laudem præclaram adeptæ prædicari paſſim vere queant? Principium ſeminariumque Ciuitatis ſunt familiæ. His præclare & laudabiliter habentibus, neceſſe eſt Ciuitatem florere ipſam. Manant enim in publicum ornamenta priuata, &, qua induſtria quis optimè recta domum concupiſcit, ea & ciuitatem. Nec totum ſaluum eſſe poteſt morbidis partibus. Ita Imperi Elementis fundamentisque Prouinciis & Ciuitatibus optimè adminiſtratis, imperium vigere, quod communibus gubernatur ſuffragiis & ad quod conferunt ſinguli conſilia ſalu berrima exiſtimandum eſt. Quo circa, cum ducta hinc laudis veſtra argumenta viderim benè incepi d

rerun

rerum ſumma ſperare, vobiſque illam virtutem veſtram gratulari. Sed moleſtum fuit illam veſtram exiſtimationem, quam parere vobis laudando voluit ille aſſectator, inuectiua tanquam veneno afflatam, fœde iterum contaminatam dirutamque eſſe. Quis enim, Viri præclari, adeò ſit attonitus mente, & ſtupidus, quin lectis in eodem veſtrum encomio hominis innocentis atrociſſimis vituperiis, putet vos famoſis libellis delectari, aureſque exhibere calumniatoribus patentes? Quis non credet illam laudem vobis immeritò tribui cum ab homine mendaciſſimo profectam cognouerit? Si vobis ornamento eſſe volebat: ſi animum beneficiis obſtrictum aliquo gratitudinis argumẽto declarare, idne factum oportuit cũ alterius, eiuſq; immeritiſſimi flagellatione probroſa & infami? Cur polluit inquinauitq; autoritatem veſtram maledicendi rabie, & ſub ea ſibi latebras & ſecuritatem quærit? Itane vos inducti palpo quodã turpi veſaniam virulentiamq; hominis probabitis, & pa-

Michelius inuectiuã. Middelburgenſibus dedicauit.

trociniofactum defendetis? Quorſum
me apud vos accuſat? Quid in Remp.
veſtram peccaui? Cur me calumniis
cõuitiiſq; in Ampliſſ. veſtro conſeſſu
proſcindit? Diffiſus eſt D. Mauritii
Herois nunquam ſatis laudati, cui pu-
rulentum ſuum librũ aſſcripſit, defen-
ſioni. Veſtrum adiecit adminiculum,
&c, quod ſtultitiæ inſignis enorme eſt
indicium, præfatione eiusdem fœturæ
vobis dedicata, vos in ſuas partes per-
trahere eſt conatus. Quaſi vero vel he-
ros ille illuſtris, vel vos ii ſitis, qui per
vniuerſas hominũ ætates conſtitutã,
comprobatamq; euidentiſſimis tum
rationibus, tum experimẽtis (vt apud
vos in veſtra vicinia ſuis documentis,
felicibuſq; operib. conteſtatũ fecit vir
laudatiſſimus P. Foreſtus, quẽ honoris
cauſa nomino) Medicinam conuelle-
re, conuulſam à ſede ſua deiicere, de-
iectam conculcare, planeq; euertere
& ex hominum memoria aufferre ve-
litis; Paracelſicam vero empiriam, &
præſertim nouum Michelii monſtrũ
in ſolio illius honorato collocare. Mi-
rum eſt, hominem hunc id vel ſomni-

are

are auſum fuiſſe. Imo mirum, ſenem capularem ad hanc conuitiandi purulentiam conuerſum, non potius factis inſignib. ſibi monumentũ ſepulchrũque honorificum quæſiuiſſe, & otium, quod in calumniarũ tela texẽda temere cõſumſit in cõficiendo illo Vniuerſali, ꝙ prædicat medic. ſanationibusq; felicibus adhibuiſſe; quod magnum argumentum eſt ignoratæ artis. Certum enim eſt, eum, qui tam diuinam Medicinam ad omnes morbos tanta cum facilitate perſanandos adeptus fuerit, non habiturum recreationis ſuæ ſpacium, nedum ad tam prolixè, odioſeq; & cum tot putidiſſimis tautologiis declamandum, conuitiandũque tempus liberum & otioſum. Multos puto in mundo ſtultos ſenes eſſe, ſed ſtultiorem hoc nullum. Verum de his iudicabitis pro veſtra prudentia ipſi. Nunc hoc tantum rogo, vt, ſicuti paſſi eſtis in veſtro oppido, à veſtro ciue, veſtroq; typographo infamem in me libellum, inque Medicinam veterem iniurioſiſſimum edi commentum, nec edi tantum, ſed & ſpargi, binisq;

nisque nundinis Francofurtensibus inuehi, & ne memoria facinoris periret, Catalogo inseri: pari indulgentia, imo ob causam iustiorem, maiore permittatis excusationem apud vos mihi, qui iniquissimè sum exceptus, & enormi affectus iniuria, absq; vllo meo merito, vt mox cognoscetis. Ita demum vera erit illa laus vestra, cum non audieritis tantùm conuitiatoris verba, sed & defendendi se copiam parti molestatæ dederitis, cognitaq; caussa vestro iure & autoritate in puniendo delicto fueritis vsi.

Edidi ante triennium, multis Viris præclaris & rogantibus & instigantibus, volumen Chymicum, idq; certo consilio forma Epistolarum familiarium ad amicos aliosque in Germania doctos viros conscriptum. Rudimentum id erat, & ex parte etiam commentariolus artis Alchemiæ, quã integram methodo explicare volebam artificiosa. Accidit tunc, vti fit in commentariis, & ante me Gebero quoque euenit, vt multa, quæ me absterrere non à proposito tantum, sed

& vni-

& vniuersa Alchemia, animosque legentium alienare posse videbantur, in limine statim primo occurrerent. Ea, cum speciem potius veri haberent, quàm vera argumenta essent, congruerentque hodiernæ in imperio Paracelsicæ magis, quàm syncerae arti, ne offenderentur simpliciores, sed fucos animaduerterent, possentq; rectè diluere, confutatione non indigna iudicabantur. Hinc natum mihi duplex argumentum est accusatorium, & defensorium, in quorum vtroq; non nudè mihi versandum erat, sed, vt requirebant epistolæ, aliquanto vberius ornatiusq;. Sciebam huiusmodi genus aliquando etiam à diuersis susceptum fuisse, & diuersis epistolis vnum oppugnasse eloquentiam, alterum defendisse. Itaq; consilium id meum eò fore tutius conspectiusq; iudicabam. Neq; certè, cum plurimi de illis epistolis ad me perscripserint viri solertissimi, vllus fuit, qui de eo me admonendum putauerit, nedum tam atrociter insectandum. Nemo tàm simplex est, quin lecta vtraq;, statim deprehendat obiecta primæ, confutata, explicataue esse

in ſecunda, & aſſertum veræ Chymiæ honorem ſolidum, id quod & ſequentes omnes epiſtolæ liquidò atteſtantur, & ars Alchemia ſtudioſe tradita loquitur, ne quid dicam de cæteris meis lucubrationibus. Vnus Michelius inuentus eſt, qui contra conſcientiam ſuam, & aliquoties repetitam cõfeſſionem, non reprehendit factũ modeſtè, ſed exagitat quàm virulentiſſimè, mihiq; ſerio affingit, cuius tamen contrariũ tot patet documentis. Imò non in me furit tantum crudeliſſimè, ſed & in omnem Philoſophiam veterem, & Medicinam intolerabili inſolentia debacchatur. Monſtrabo vobis duntaxat digito non ferendas, & execrabiles iniurias calumniaſq; in vobis dedicata præfatione maximè cõprehenſas, & monſtratas ſupplicio relinquam ſuo. Primum ait, *eo me animo ad ſcribendum acceßiſſe, vt artem, (Alchemiam) quibuſcunq; modis poſſem, ſuſpectam redderem, vbiq; Chymicos falſißimè criminando, eoſq; ſtupiditatis, & inſcitiæ accuſando.* Huic conuitio reclamat factũ meum. Multi profectò paſſim in imperio Roma-

Accuſatio Michelii.

Romano magnis laudibus me dignũ iudicarunt, quod ſalua exiſtimatione ταπεινοφροσυνης dictũ & relatũ volo, propter excultam illuſtratamq; diligenter illam artem. Inde animus ſcriptionis facilè eluceſcit. Et poſtea *accuſat me plurimarum calumniarum in inſontes, opprobriorum in vetuſtiſsimos Philoſophos, vanitatis in artem ipſam effuſorum.* Enimuero in accuſatione repetenda fuerũt maledicentium verba. Ea ſi videntur alicui iniuria, manifeſtum eſt, non me autorem iniuriæ eſſe, ſed eiuſdẽ vindicem. Non enim probaui, nec animo iniuriarum protuli. Oblitus Michelius eſt omnis & diuini, & humani iuris. Licitum enim vbiuis eſt, defenſionis cauſſa accuſationes annotare. Præterea *extorſiſſe me ſibi reſponſionem temerè narrat, & extorſiſſe quidem talem,* hoc eſt, tàm furibundam, virulẽtam, ignominioſam. Quî vero ex eo extorſi, quẽ antehac, eſſetne in natura rerũ, ignoraui? Num contra ipſum ſcripſi? Nũ in eum ſum iuuectus, aut priuatim, aut publicè; Neutro modo. Chymiam n. defendi, non oppugnaui. Paracelſicos

vero

vero impoſtores iure & autoritate docendi publicè conceſſa ſum adortus, ſi non eſt in eorum grege, non poteſt de ſe læſo conqueri, imo fateatur ſe tunc ad pœnam rapiendũ meritò eſſe, cum publicè conſtet, illam factionem nuſpiam non facinorum improborũ & damnatæ Medicinæ eſſe ſuſpectam. Quæ cumulatim in me euomit maledicta, ex eis videtis hunc hominem ad criminandum dicendumq́; malè linguam ſuam admodum fœcundè inſtruxiſſe. Liuido omnia, & exulcerato in me effundit animo. Confictũ itaq́; & iniurioſe intortum conuitium facilè iudicabitis, & germanam innocentiam à ſæuitia & maledictis huius Itali, ſi Germani eſtis, prohibebitis. Inſuper *duabus cauſsis me ad calumniandum*, (ita malitioſe meum ſtudiũ, quo illuſtraui vera veræ artis documenta, appellat) *veniſſe ſcribit*; *priore*, *vt omnibus palàm facerem quàm eſſem in Græcis, Latinisq́; verſatus*; *altera*, *quod Logicæ nimium addictus*, *& argutiunculis ſophiſticis immerſus*, *cætera quæuis reſpuere videar*. Ego verò, viri ampliſſimi meam conſcientiam teſtor, me,

me, quanquam vſus ſim adminiculis linguarum, & artium humaniorum, neutiquam tamen iſtiusmodi rerum oſtentandarum cauſſa id operis ſuſcepiſſe, ſed admonitionibus, exhortationibusq; inductum tùm aliorũ tùm maximè præclari viri, D. Ioachimi Camerarii patris, Philoſophi & Medici ſummi Poliatri Norimbergici laborẽ eſſe aggreſſum & quantum Deus ſubminiſtrauit auxilii ita abſoluiſſe, vt poſtea creberrimis literis ſimilia à me fuerint exacta. Comprimetis itaq; pro autoritate & iure veſtro iſtud os impurũ & pœna impoſita oſtendetis, quàm indignè feratis conuitiatores tales veſtro honore ad criminandum abuti. Affingit etiam mihi ignorantiam artis, & alia plura, ſed calumnioſe, & veteratorie, ſibi verò iure competentia adeò, vt non tàm cuculus ſuum referat nomen, quam ipſe ſuum animum verbis in me prolatis deſcribit, & credendum eſt, fato quodam excidiſſe ei hæc verba: *Linguam nullus homo domare poteſt, quia nos quotidie ad mentiendum ſolicitat.* Scilicet iſtud tàm verũ eſt in Miche-

che-

chelio, quam quod verissimum, cumq́; eius adeo egregium specimen exhibeat in capulari senectute, de iuuenta, & virili ætate, quid statuendum sit, apertum est vel nullo dicente. Cætera atrociora sunt, quàm vt commemorare libeat. Eum vos hominem autoritate vestra defendetis? Ei patrocinabimini? Huiusmodi scelerum vos participes facietis? Maior est gloria iustitiæ, candoris, & pietatis vestræ, quàm, vt tale quippiam de vobis vlli suspicari liceat. Videbitis itaq́;, quid de atrocissimo hoc conuitiatore statuere ex officio debeatis. Non est opus, vt pluribus vos admoneam, & detineam verbis. Si à vobis hoc obtineo, vt me iniquè ab illo sene traductũ esse fateamini, satis mihi est. Cætera vestri erunt arbitrii, quanquam non dubitem, istud capulare senium, tàm rabiosa maledicentia apud omnes bonos famam honorificam dudum perdidisse, & cum ignominia ad inferos, descensurum. Quod si tamen vos in puniendo cunctati fueritis, retorta in istum Iosephum Michelium cuncta crimina, maledictaque, quo iure possũ

debeoq; volo. Nouum non eſt de literis benè merentes calumniis mendaciiſq; peti, vt ſit hinc aliquid bonis ſolatii. Si enim omnibus placerent lucubrationes meæ, certiſſimum malæ artis id foret argumentum. Nunc, cum idem eueniat mihi, quod cæteris mundo prodeſſe volentibus, & tamen ab omni memoria commendatis, acquieſcere debeo communi fortunæ, & præmia à veris iudicibus expectare. De vobis ego ſyncerè ſentio, & maxime perſuaſum habeo, Michaeliũ, quicquid criminum in me temere, alioſq; effudit, vobis inſciis & neutiquam probantibus per literas & famoſum libellum diuulgaſſe; ſed tamen admoneo, cum in illo ipſo etiam alios adoriatur, & nouam fœturam ſe machinari in viuos mortuoſq; ſcribat, vt ſitis in ea re vigilantiores. Nulli quidem, qui autoritate magiſtratus ſummi ius docendi publicè in imperio impetrauit, prohibitum eſt ſcriptis publicatis docere vera, & falſa confutare, quin & reſpondere grauiter his, qui priores malè dixerunt; ſed in immerentes inſani-

ſanire, conuitiis, inauditaque criminandi licentia Doctores inuadere, neſcio, quàm ſit conceſſum. Scio me antehac Paracelſo, Gramano, Aſſyluano, &c. ſimilibus acriter reſtitiſſe. Sed ſi rabiem & furias illorũ, quas euomuerunt priores in Medicinam & profeſſores eius conſideraueritis, reſponſum non laceſſitum eſſe facilè intelligetis, neq; tamen centeſimam partem maledictorum atrociſſimorũ regeſtare. Vos valete, & de meis ſtudiis honorifice ſentite. 18. Aprilis Anno 98. Rotemburgi ad Tubarim.

NOTAE

NOTÆ LIBAVIANAE IN LIBRVM IOSEPHI MICHELII DE Alchymia.

I.

Synopsis & Anatomia istius.

IOSEPHVS Michelius patricius Lucensis Italus in Belgio Medicinam faciens, potissimumque Middelburgi hærens senex, vt ipse de se scribit, capularis, occasione epistolæ primæ libri primi Chymicarum ad Crenandrum meæ nundinis autumnalibus superioris anni titulum publicauit., in quo promisit apologiam aduersus calumnias Libauii, &c. Hæc Apologia cum adiuncta Medicina prouolauit tandem nundinis vernis huius currentis nonagesimi octaui, quibus ego eam primum accepi. Tractat epistolam illam meam, quam dixi, sibi persuasum habens, me, quicquid in

Chymiã intortum continet, seriò, vituperandiq; & ex hominũ memoria, mentibusq; eam exigendi animo protulisse, adeo, vt nec aliter sentiam, vec videri velim secus statuere, quanquam sequente, aliquid apologetici, irrisorio duntaxat, ironicoque vultu, vt ipse iudicat, proposuerim. Diuidit in aliquot partes, tanquam sectiones, & capita, quibus subnectit suas responsiones. Apologiam finitam sequitur Medicina Micheliana theoriâ, & praxi exposita. Satagit ille quidem confutare, quæ obiecta Alchymiæ in epistola proposueram; sed interim crebro inuehitur in Philosophos Academicos, & Peripateticos; Medicos autem Hippocraticos Galenicosque verbis exagitat acerbissimis, & vbiuis tàm theoriam quam praxin eorum vellicat. Chymicos contemnit omnes, exceptis his solummodo, qui, vt putat, veterum vestigia secuti, vnicam Medicinam, ad omnes morbos sanandos præseruandosq; Catholica vi instructam machinantur. Neq; tamen quenquam recentium in eo numero habet, præter Paracelsum, & seipsum, qui *veteris illius artis, & iam penitus extinctæ* (ita scribit in dedicatione) nouum exhibeat rudimentum, aditumq; aperiat bonis ad vetustaté præsertim, cũ nullus hactenus Chymicus Medicinã veraciter continuata orationis serie descripserit. Itaq; ab eo traducitur Penotus, Vagelius, Moresinus, Erastus & alii. Argumentis vtitur minime nouis, sed iisdẽ, quib. Paracelsus

ſus, Seuerinus Danus in Idea, Gramanus, Ambaldus & alii huius fecis multi. Addidit his cõiecturam quandã ſuam de materia Chymicæ artis ad vniuerſale cõparandum. Nec abſtinet à cõuitiis creberrimis denſiſſimiſq; tam in viuos, quam mortuos, potiſſimum autẽ meam perſonã & lucubrationes. Autoritatẽ & teſtimonia ſummorũ in ſcholis virorũ proculcat, ſuis Philoſophis ſolummodo, & Paracelſo in cælum ſublatis. Neq; tamen Paracelſitæ nomen tolerat, quaſi in nullius Magiſtri verba iuraſſe videretur. Hæc, qui velit, ex libro ipſo plenius poterit cognoſcere.

NOTA II. IVDICIVM DE ISTIS.

Miratus ſum valdè tãta ſenectute hominem ad hęc diſputatoria inductũ eſſe, cũ eiuſmodi cõmentationes nõ ſint obliuioſi verboſiq; ſenis, ſed iuuenis memoria valẽtis & calore animi adhuc feruidi, inq; aduerſariũ parati. Deinde cum à ſene expectetur grauis ſedata, compertaq; doctrina, quanq̃ ſplendore verborũ nuda, hic conuitiandi temeritate & copia, planè in ſcurrã degenerauit. Pro eloquentia occinit odioſiſſimas tautologias; pro erudita cõſtantia, flagitioſiſſimas antilogias; pro peritia exhibet inſcitiã maximè puerilẽ & nugas nugaciſſimas. *Omnia*, inquit, *conſumo in vtilitatem mortalium, nõ vt magiſter, & artifex, ſed vt naturæ inueſtigator.* Quæ temeritas eſt nec magiſtrũ ſe, nec artificẽ profiteri, & tamen artem abſtruſiſſimã theoricè practiceq; docere, idq;

Michelius nec magiſter nec artifex.

non ſimpliciter,ſed cũ ſuperbiſſima atrociſſimaq; in ſummos tã magiſtros,quã artifices inuectiua? Prætereo Grammaticam locutioné, in qua tamen ſæpiſſimè abſque Typographi culpa horribiliter peccat: Omitto Logicam, ob quam me deridet: Rhetoricam, in qua, præter abſurda ſchemata, tautologiaſque inaniſſimas,nihil obſeruauit,non attingo:Phyſicam, Medicinam, & Chymiam adeò tractat ſordidè,purulentè, ſtolidè & veſanè, vt ex lectione febrim tibi tertianam facilè poſſis cõflare,aut ex fœtore tanto grauem quoque incurrere luem. Et quid rancor ille putorque cadaueroſus in ſenio iſto putido aliud creet? Quæſo vos, qui iudicare poteſtis,quid cauſſæ arbitramini illum hominem in me armaſſe? Epiſtolam quidem à ſe arreptam ipſe teſtatur quaſi nullus alius potuiſſet in me rabidè perorare. Sed tamen,cum apertiſſimum ſit, ipſeque fateatur id, quod confutandum ſuſcepit, non prodiiſſe ex animo veram Chymiam lædendi:aliud ſubeſſe oportet. Id aliquoties auriculas exerit. Apparet vero ex Medicina diu coxiſſe illum pulpamentum iſtud de vniuerſali; ſed percoquere commodè, & hactenus obiicere non potuiſſe. Rapta occaſio ex mea epiſtola eſt. Deinde vrit hominem, quod toties Paracelſicum vlcus attigi, & nefariam hanc factionem argumentis conſcidi. Virulenti dentes viciſſim in me erant experiundi, quo tamen ſolo non fuit contentus, ſed tanquam

quam alter Haman vniuersam gentem Philosophorum & Medicorum interneciua rabie consumere instituit. Si vellem istud acetum Italum lixiuio Germano abluere, hominemque ex merito tractare, esset, vnde id possem, sed nolo luctari cum stercore. Perlegi librum eius sedulo attenteque, persuasum habens me tandem aliquid solertioris doctrinæ exculpere posse, & vsum tecti inuenire. Sed omnibus excussis, inueni ne hilum quidem, imò perniciosissimam imposturam, & fraudes supplicio coercendas deprehendi. Chymiam & Medicinam, quam sibi maximè tribuit præ omnibus reliquis, habet nullam. Nam, cum solos hos Medicos & Chymicos esse scribat, qui suum vniuersale cognitum habent possuntque præparare; certum est, ipsum nec Chymicum nec Medicum esse. Non enim scit istud nec facere potest. Argumenta desideratis? Negauit se artificem esse, & magistrũ. Deinde, si id vniuersale vnquam confecisset, ad vsum accommodasset, nec in vmbris latitans scelera & conuitia vomeret. Tertiò ex comparatione certum est, nullos veteres nec recentes illam Chymiam agnouisse, vt nec Medicinam, quam ipse profitetur. Et, vnde quæso scit, se assecutum esse veteres, quibus in verbis & sententiis obscuritatem tribuit, nec potest concedere earum artem in metallis esse? Fortasse Medicus est ob Hippocratis cognita præcepta. At hæc repudiat, quod etiam

Micheli[s] liber in[utı]lis & pe[rni]ciosus.

argumentum eſt ignorantiæ. Paracelſumne ſecutus Medicus eſt? Ita quidem videri cupit, ſed cum nihil agnoſcat verè medicum, præter vniuerſale, à quo Parac-lſ-, eſt alienus, nec ex hoc quoque Medicus eſt. Ita ſe res habet in Chymia, quã ſcimus à Paracelſo longè aliter tractatam eſſe. Quid, q nullos autores admittere poteſt, quanquã incõſtanter? Atqui & illi veteres cũ Paracelſo, quos euehit, ſunt autores, & eſt teſtimonium ex argumẽtis rationis vnum. Qui teſtimonia artificum repudiat, rationem conuellit. An vero Ariſtoteles meus, meus Galenus (ita loquitur) & cæteri fuerunt beſtiæ irrationales, vt non ſint audiendi? Producunt illi certè argumenta euidentia, & ob hæc fidem merentur, autoritatemq;. Nec eſt cuiusvis induſtriæ res abſtruſas & inueſtigare, & firmamentis ſolidis munire. Hoc, qui poſſunt bene, non ſunt tam friuolè contemnendi. Plus enim videt & acutius homo prudens, peritusq; quam ex plebe alienaq; arte imperita multitudo, aut tardiora ingenia. Ego non tantum lætor, me Ariſtotelicam Hippocraticamq; veritatẽ longe ſolidiorem Paracelſiſtarum mendaciſſimis paradoxis inueniſſe, ſed & eò Galenicos diſputando perueniſſe, vt hic Michelius non auſit ſe Paracelſitam nuncupare: Id vero ſerio triumpho. Tam portentoſum, pollutumq; & probroſum nomẽ eſt Paracelſus, vt nemo ſuſtineat facilè ſibi ex eo cognomentũ imponi. Friuolum eſt argumentũ

quod

quod crebrò oggannit, *illos Ethnicos non cognouisse veritatem Euangelicam*. Neque enim hæc ad Philoſophica Medicaq; iſta, de quibus res eſt, ſpectat. Satis eſt, ſi artem ſuam diuino munere non ignorarunt, & eſt fors eorum conditio melior tolerabiliorque Paracelſi, qui cum veritatem non neſciuit, eam tamen ſuperſtitionibus magicis & fœdis erroribus, vel etiam Epicurea ſecuritate contaminauit. Conuitia, calumnias, iniurias, & quæ alia dira in me cõfertim eructat, quanquam non poſſim non attingere interdum ob atrocitatem, maxima tamen ex parte magiſtratui punienda cõmitto. Non erit alius in centonibus reliquis, quos in Eraſtum, Moroſinum, Tauladanum, &c. ſe ſuere ſcribit. Canis ſenex negligit ferulam καὶ κακȣ̃ κόρακος κακὸν ὠόν, tametſi aliquando ſcribat *ſe mortuos* (nimirum cum ad ſententiã de Paracelſo peruentum eſt) *iugulare nolle*, interim in Ariſtotelem, Hippocratem, Galenũ, Auicennã, Eraſtum, Tauladanum & alios procaciſſimus, maximeq; proteruus, & petulans.

NOTA III. DE CHYMIAE *definitione.*

CHymiam definit pag. 5. 6. & 10. *In quinta*, ait, *eſſe artẽ, quæ doceat facere vnicã medicinã*. Particula hæc eſt Rogerianæ deſcriptionis, quam pronunciauerã non cõprehendere vniuerſum Alchymiæ ambitũ. Quandoquidẽ nõ vnam duntaxat Medicinam doceat facere, ſed

plures variis circumſtantiis accommodas, neque vero Medicinas tantum ad hominem iuuandum, ſed & ad alias neceſſitates artificia plura, ne quid de Theorico fine, indeque reſultante iucunditate dicam. Id autem certum eſt mundi experientia, & conſenſu artificum inter quos, ſi Paracelſus habendus eſt, cum is à Michelio omnibus anteferatur, facilè patiar ex hoc quoque argumentum capi. Nec proficit, qui obiicit vnam per ſe Medicinam fieri arte Chymiã, reliquas obiter, & ex accidente. Vt enim maximè vetuſtis temporibus Chymia dicta eſt illa lapidis confectio, tamen poſteri eius ambitu comprehenderunt ex quolibet miſto ſeparandi eſſentias, concinnandique magiſteria artificium. Quod ſi non potes iſtud nomen his communicare; liceat ſanè tibi tuam artem vocare, vt velis; nobis relinquas eam, quam definitione exprimimus. Quæ Meſue Bulcaſis, Geber, &c. voce perfecti magiſterii deſignant vt eſt ol. laterum lapis Phil. &c. ea Auicenna & reliqui vocabulo Alchymiæ. Senex iſte mihi ignotam eſſe illam ſuam Chymiam ſcribit, & fortaſſe non errat. Sed tamen me aliquid olfeciſſe puto. Olet enim lotium, vt infrà patebit. An autem veram Chymiam ignorem, aliorum eſto iudicium. Certè non mea commenta volui hominibus obtrudere, ſed artificum paſſim diſperſa præcepta colligere, & per naturam comprobare. Figmenta Phantaſiæ Michelianæ non curo.

curo. *Addit me illam ignotam Chymiam & in destillatricem, spagiricam & metallurgicam diuidere.* Certè mentiri tam impudenter, nec senis capularis est, nec viri boni, sed scurræ. Neque ignotam potui partiri, neque notam sic volui, vt res loquitur. Paracelsitas ornat egregio titulo. *VANOS enim vocat*, quod notabunt lectores, vt videant quàm belle sibi constet factio Paracelsica, & quid de magistro sit iudicandum, ipso Paracelsita Michelio sic pronunciante, sed videamus definitionem pag. *6*. *Chymia, inquit, est scientia, quæ ipsas rerum inanimatarum vires, formas, & substantias miro ingenio, ac arte inuestigat, in vno tamen subiecto pedem figens, ac firmans, ex quo Medicinam vniuersalem conficere docet.* Hem definiendi artificem. Ante Chymia nihil aliud faciebat, præter Medicinam vniuersalem, iam potest quidem miro ingenio inuestigare rerum vires & cætera, non tamen hoc aggreditur. Sed quis non videt, priorem definitionis partem ita amplam esse, vt vniuersæ Physicæ conueniat? Quis non equum censet definitiones artium ex potentia extructas id proferre, cuius actum in artis vsu experientia demonstrauit? Vnde notum est posse, si nunquam id, quod potest, tentauit? Iniquum est in vno hærere id, quod latius in cõmune se extendere poterat. Repugnat idem honori, & fini artis. τὸ γὰρ κρεῖττον κοινωνικώτερον: Aperte vero falsum est, istam artem in vno duntaxat vniuersali

Paracelsitæ appellantur vani à Michelio, qui tamen Paracelsum omnibus anteponit. Vide notã 24. Arg. 7.

Vide infra. Inuenies Michelianum Chymicum cætera ne attingere quidem, & nebulones vocari, qui aliter laborant.

hærere, quin, cum hoc aſſequi impoſſibile ſit hominis artisque humanæ potentiæ, potius nulla ars erit. Cuius enim definitio impoſſibile habet, id impoſſibile eſt eſſe. Fieri vero non poſſe, vt vlla ars noſtra faciat Medicinam omnibus morbis præuertendis ſanandisque aptam, demonſtratum alibi tàm firmiter eſt, vt nihil potuerit contradici. Somnium itaq; eſt Michelii Chymia. Nolo ad leges logicas bene definiendi reuocare definitionẽ iſtam. Facerem ex bis puero plane ſtultum. Gaudeat ergo ſuis ſordibus iſtud ſenium capulare. Notandum eſt, quod ſubiicit, *Hermetis triſmegiſti, Gebri, Lullii, &c. teſtimonia autoritate, argumentis, vſuq; confirmata grauiora eſſe quam vt dicteriis infirmari poßint.* Equidem, ſi illa ita ſe habeant, non diffitear. Sin ita cenſentur à Michelio (id quod apparet) deliramentum ſenile agnoſcimus. Nos quoque irrefragabilia dicimus ea, quę Ariſtoteles argumentis & vſu probata habet. Si vult, vt ſuis fidem habeamus in iſtis, idem concedere debet noſtris, nec tam ſtulte damnare Peripatetica, & Hippocratica.

Autoritas artificum Michelii.

NOTA IIII. DE VETERVM CHYmicorum perplexitatibus.

NEGARE non poſſimus Hermetem, Gebrum, Lullium, & alios nonnullos perplexitatum fere inextricabilium ambagibus, terminis obſcuris, confictiſque artem occultaſſe, interdum etiam ordine peruerſo tradidiſſe,

, modò alienis miſcuiſſe. Vnde frequen-
egimus Gebrum ſibi artem conſignaſſe,
berет memoriæ firmamentum, & ſcien-
m aliquid dixiſſe, aliis nihil, &c. Sed ta-
n id non eſt tantum vt planè deſperandus
rofectus. Studẽdum in libris ſuis monent
fices iisque variis, cum non vno tradide-
, & liber aperiat librum. Teſtatur & Bern-
dus ſe lectione profeciſſe. Sed tamen, cum
curitas ſit in docendi genere, & analogiæ
bique poſſint ſeducere homines, non iu-
t id temere fieri, quin certo principio le-
rem qui manu ducunt, vt monſtrato initio
ne tanquam in labyrintho ſciat, quo ſe ver-
e debeat. Naturam iubent intueri, eamq;
uì, quæ non gignit ex alienis, ſed ſimilibus
ue per certa adminicula, quę item oportet
familiaria. Deinde finis oſtendit initium
. Rogerius inquit. Eſto prudens, Si in ca-
ulis meis ingenioſus fueris, quibus mani-
ta probatione & aperte materiam lapidis
gnoſcendam demonſtraui, guſtabis illud
lectabile. Item: Credo & inueniſſe certam
iloſophorum materiam lapidiſque bene-
cti peritorum, niſi totaliter es ignorans, &
pidus. Hæc ſcribit etiam Bernhardus co-
es cum aliis. In Roſario quidem minore hęc
guntur: Duo ſunt ſeductores: prior ſophi-
, ignorans artis; poſterior inuidus Philoſo-
ius, qui ponit eam in quatuor elementis ex
egetalibus, mineralibus, animalibus, vel

mediis mineralibus, Sale, alumine, nitro,
gnesia, &c. in quibus non est: In hanc sen
tiam etiam Calid. refert de discipulo suo
sa, quod vltra centum libros Philosopho
legendo nihil profecerit, cum tamen fu
summi ingenii, multo minus fore, arbitr
vt rudes quid fructus consequantur. Veru
men hæc ad absterrendum ineptos & Ph
sophiæ ignaros dicta esse, non est dubi
Non omnia sint ficta apud illos, non om
tropica, quod tamen sibi somniant nonn
li, quasi nullum verbum haberent propriu
Cum loquuntur de rebus magnis, inquit R
sarii maioris autor non admiscent parabo
Et Calid. ait se nihil celaturum, nisi quod (p
ne) non conuenit dicere: velle explorare
alii figuratis obscurisque dictis operueru
Sic Geberus in initio summæ perfectio
scribit, se eo libro manifestasse in aliis pa
bus occultata. Quod ergo Michelius C
micis tribuit præconia prodigiosa, omniaq
plena hieroglyphicis non solum literis, f
& fabulis & ænigmatibus somnio simile
inani Fuit apud me non ita dudum, qui p
suadere vellet, non legendos esse libros e
qui manifesté præseferrent pollicerenturq
artificium, sed eos, qui ne verbulo quidem
ius facerent mentionem, & quales sunt Ep
stolæ Senecæ ad Lucilium, Canticum Sal
monis, Prophetarum oracula &c. quod in
lis nihil doceretur, in his vero omnia cer
inuen

Rosarium Philos. titulo policetur exactam eius scientiæ progressionem.

irentur. Cum interrogarem, vnde con- autores istos aliter loquendo aliud, dem lapidem docuisse, præter coniem inanem habebat nihil. Audebat item ;, cui rei conuenire viderentur dicta prę- , eam esse lapidis materiam. Sed stulti- ominem damnabam. Documenta enim pud artifices sunt quærenda, quanquam t quisque de arte ex aliorum ore blate- s pro artifice sit habendus, vt Miche- e se ipso prodit, qui cum neget se magi- & artificem esse, tamen eius est ve- vt & docere theoriam praxinq; artis co- , & aliorum sententiam opprimere.

NOTA V. AN CHYMICA *tractet metalla.*

AG. 8. Sui purulenti scripti accusat me rroris quasi ex inani mea Phantasia eã pué Chymiã existimem, quæ circa me- ersatur, & eos Chymicos vocem, qui stas quisquilias occupantur, honestis- rti faciens iniuriam, &c. In notis infe- us recurrent quædam huic quæstioni . Sequor enim ordinem, quem ipse in bro habet. Nunc consideranda huius raphi veritas est. Neminem, qui mea ommentaria, latere puto, quidnam ve- se Alchymiam, aut Chymiam, & circa a versetur. Nuspiam certe ad tantas an- s eam reuocaui, vt metallis duntaxat in- hærere

Vide notã 40.

hærere scripserim. Veruntamen si per C[...]
miam sit intelligendum lapidis solumm[...]
artificium, vt sibi Michelius persuasum ha[...]
facile patior requiri artificum sententias, &[...]
dicium institui. Qui Geberum legit vel p[...]
functorié saltem, nihil pene vidit aliud, qu[...]
de mineralibus, & potissimum metallis, [...]
quorum perfectissima ars imitatione nat[...]
aspirat. Produxit iste Michelius definition[...]
Rogerii, & proculdubio probauit. Ea sic[...]
quitur: *Alchymia est scientia docens facere Med[...]*
nam, quæ quando super Metalla proiicitur, per[...]
ea complete in momento proiectionis. Iam neq[...]
metalla facere, quod non est metallicum. I[...]
que & ipsa ex metallis est, & metalla inten[...]
Idem autor in libri vestibulo inquit. *Præ om[...]*
bus aliis scriptis super ista septem capita transform[...]
tionem metallorum in se continentia mentem tu[...]
firmiter fundes. Vides Rogerii Alchymiam[...]
metallis occupari. Paracelsus, quem om[...]
bus præfert Michelius, & veterum ment[...]
explicasse scribit, in cœlo Philosophoru[...]
hæc habet. *Alchymia est institutum, meditatio,[...]*
inuentum, quo species metallorum transmutant[...]
vt ex vno statu & natura in aliam perducantur.[...]
dem vera Alchymia, quæ tantum vna arte docet[...]
nam solemq́ue, facere ex quinque imperfectis meta[...]
non vtitur aliis receptis. Sed solummodo de meta[...]
ex metallis, per metalla, & cum metallis fiunt p[...]
fecta metalla. Ipse Michelius non potest neg[...]
re scopū istius artificii esse transmutatione[...]
met[...]

metallorum, ad quem duplex fermentum ex metallis perfectis requiratur, vt in futili sua medicina docere voluit. Itaque non est aliena á metallis. Quod autem putat vocem Metalli aliud quod significare, quam quod vulgo metallum dicitur, quomodo & nugatur de planetis Chymicis in arte hac ipsa, tam verum est, quàm illud, quod in definitione Rogeriana, Medicinæ vocabuulm non significat metallorum transmutatorium lapidem, sed corporis humani medicamentum. Quis ergo iam decipiatur inani Phantasia, palám est. Magis delirum est, quod impie scribit, in sua Chymia tantam esse maiestatem, qua nulla queat esse maior. Nempe cuique suum oletum suaue olet, senex rancidus rancore suo merito gaudet, & asinis non aliæ conueniunt la ctucæ, quam cardui.

Maiestas Chymiæ Michelii.

NOTA VI. IVDICIVM Michelii de Epistolis Libauianis.

ID extat pag. 17. his verbis. *Reuera tuas declamationes sub epistolarum forma conscriptas non solum ambitiosas, sed seditiosas & supplicio dignas existimo, &c.* Non refert, quid exulceratus animus, & purulentum istud senium in meas lucubrationes expuat veneni, sumpsi enim antipharmacum. Ne cuius æstimem huiusmodi Sycophantas, senex ille laudatissimus, atque ob id longe alius à deliro sene Michelio,

lio, Ioachimus Camerarius pater, Philoſ.& Med. ſummus optimeque de literis meritus pridem effecit. θράσον, inquit, ſecundum Nazianzenũ eſſe ἀμαθείας καὶ ἀναιδείας ἔκγονον paſſim iam experimur: Ac noſti illud Poëtæ antiqui ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερόν ἐστι ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν. Breui tales ſcriptores cum ſuis ſcriptis, quod iam ſępe expertus ſum, perire & ipſorum nomina obliterari ſolent. Ita ille. Rungius alter ſenex præclarus, idemq; Chymicus acutiſſimus de quo idem Camerarius refert, quod ex ſermonibus & commendationibus aliorum eum ſemper habuerit pro viro admodum docto, & in Chymicis bene verſato, qualem agnouit etiam Zuingerus, teſtimonium mihi perhibet, quod laudem & Encomium epiſtolæ mihi pepererint meæ, quarum lectione ipſe mirificè delectetur, &c, Diſpliceant ſanè illæ vel omnibus. Eſſe tamen ſeditioſas, & ſupplicio dignas, mendaciſſimi hominis iniurium eſt cõmentum. Quare moui ſeditionem? Vbi ea eſt excitata? Demonſtra ſenex purulente. Si te vexant crabrones tui, tuaque camarina putida eſt commota, rabies ſanè licet, tuoque te conſumas furore. Quid hoc ad alios?

NOTA. VII. AN CHYMIA SEPARET *purum ab impuro.*

PAG. 20. Michelius hæc ponit verba: *Quia Chymici officium ignoras, in expurgandis reiecta-*

...amentis sitam esse (Chymiam) existimas. Non legisti miser Philosophos, qui dicunt perfectæ præparationis Medicinæ negotium non solum in superfluorum remotione, verum contrà in deficientium adiectione versari. Quid ego de Chymico officio statuam, satis perspicuum est ex arte, in qua sunt magisteria exaltationum, segregationum, compositionum, extractionum, &c. Itaque affingit mihi ille senex sententiam de remotione duntaxat superfluorum. Sed tamen, cum neget, me legisse Philosophos producenda sunt eorum testimonia, & huius senis mendacia vanissima detegenda. Paracelsus (quem ideo produco, quia Michelii idolum est) in fragmentis ad tomum 2. ita describit Alchymiam: *Est ars, quæ docet astra separare à corporibus, vt astra sequantur constellationes & firmamento pareant ad dirigendum.* Nihil scilicet aliud dicit, quam separatoriam esse. Itaque & reliqui Paracelsitæ artem puri ab impuro nominant, & Germanicum vocabulum Scheidtkunst inde extruxerunt. Idem in præfatione libri de morbis podagricis; *Alchymia*, inquit, *docet id auferre, quod gradum diminuit, detinet, & impedit.* Et in 1. paramyri: *Alchymia, aliâs spagiria, docet falsum à legitimo separare.* Gramanus Paracelsum secutus, cuiusque sputum linxit Michelius, illa, ait, instructi norunt separare purum ab impuro, Venenum à salubri, medicamentaque à fecibus suis purgare, &c. His consen-

tit Michelius ipse pag.179.ita scribens: *Nostra præparatione purum ab impuro separatur.* Si vetustiores desideres, audi Gebrum in summa perfectionis sic loquentem: *Est lapis vnus, Medicina vna, in qua magisterium consistit, cui nec addimus rem extraneam, nec minuimus, nisi; quod in præparatione superflua remouemus.* Cōsidera iam vter sit miser, & vter non legerit Philosophos Michelianos, & à vero aberrarit.

NOTA VIII. DE CHYMICO INformante *res naturæ.*

PAG. 24. statuit, *Chymicum subiecta naturæ destruere, illisque meliorem formam inducere, vnde naturæ benè velit,* &c. Item pag. 25. *illum ipsum ex re imperfecta, & rudi rem perfectam & gratißimam perficere*: Item. *Integrum partum à natura formatum, reformare.* Hæc & similia enunciata excusari ferrique possunt, si distinguas inter formam finemque artis & naturæ. Ideo enim ars instituta & inuenta est, vt, quod non ita felix ob circumstantias locorum, temporum, &c. erat, proueniret melius, suumque partum absolueret, vt in agricultura: vel, vt ad vsum hominum commodius efficeretur, id quod aliâs per se natura perfecit, veluti in Medicina, coquina & similibus. Et ibi quidē adiuuatur arte natura, & ab vtroque principio eadem spectatur forma finisque, hic verò alius finis naturæ est, alius artis, vt in sutoria, artifex

artifex absoluto corio vtitur ad formam calcei inducendam, cum naturæ finis fuerit absolutio cutis bubulæ vel similis. Plana hæc esse, & cuiusuis captui obuia, quis nõ videt? Sed Michelius deliriis suis obscurat deprauatque. Negat naturam dedisse quid perfecti, nõ mea distinctione, quam ridet, sed sua, vt etiam inferius audiemus. Negat item in Chymia sua, quæ tantum est de lapide, naturam potuisse per se aliâs efficere excellentem formã, quod nescio an sit in Deum contumeliosum, cum ea res non sit impotentiæ, sed voluntatis. Sed mox sibi aduersus, & oblitus prioris negationis, scribit, *quicquid sit in arte, aut producitur, id artificem naturæ acceptum referre; & formarũ productionem naturæ esse officium non artis.* Est quidẽ & hoc falsum. Nam artificiosæ formæ ab arte sunt, non à natura, vt forma libri, aut labyrinthi Ægyptii, &c. Sed tamen, si omnis forma à natura est, qui verum erit, Chymicum producere formam excellentiorem quã natura non poterat? Finge Chymicum perinde facere ac Hortulanum, qui adhibitis adminiculis externis puta calore, humore & similibus, frigore aut siccitate morituras plantas ad perfectionem perducit; cui illa forma est asscribenda? Hortulanone? Imò naturæ. Nihil enim hortulanus contulit ad essentiam, sed inclementiã aëris arte correxit, atque ita minister externus fuit. Notandum est, ob hanc causam non posse certo & liquido affirmari naturam non

Pag. 25.

posse lapidem conficere, quod apud artifices legitur: Certè penes ipsam est potentia. Cur non aliquando adminiculis datis in actum veniat? Cur non istud seminarium principium sub terra pullulet, atque etiam transmutationes æris hydrargyri, &c. peragat?

NOTA IX. DE PARACELSICO *axiomate, Naturam nihil dedisse perfectum.*

COGNATVM est priori notæ hoc quod habet pag. 27. vbi ita legimus: *Negas* (ex mea Epistola hoc adducit) *naturam nihil reliquisse imperfectum, nisi vitio alieno. O iniustitiam non ferendam? Et quod tu asserendo negas, hoc nos indubitatum tenemus.* Ita ille. Si ridere & ludibriis exponere vellem Italicam hanc eloquentiam, occasio esset. Non attendit primum enunciatum affirmatum esse. Qui enim nihil negat, affirmat omnia. Ita nemo potest negare asserendo, seu affirmando astruendoque. Insuper cum solus id phantasma de Chymia habeat, tamen πληθυντικῶς loqui non erubescit. Sed ferulis puerilibus huiusmodi solœcismos, barbarismosque commendo. Ego negabam ex hypothesi fictaque persona naturam per se aliquid imperfectum reliquisse, sed si quid inabsolutum, vt monstrum, euadat, id accidentario vitio fieri. Michelius cum suis laruis pro indubitato habet contrarium

rium, nempe naturam omnia imperfecta reliquisse. Ego rursum in responsione concesseram imperfectionem κατά τί nempe artis, vsusque commodioris respectu. Sed Michelius ineptam confictamque appellat distinctionem, volens etiam in se naturam nihil perficere: verum inconstanter. Nam pag. 25. *negabat formam aut nouam naturam ab arte esse, sed hanc ad vsum duntaxat præstantissima reddere, quæ per se relicta futura erant incommoda.* Sed putidis antilogiis relictis argumenta eius parumper consideremus. Definit *perfectum*, quod *sit, cũ res absoluta est, & constat omnibus suis partibus, estque terminus siue vltimum, in quo desinit generatio. Imperfectum verò, in quo aliquid desideratur,* hoc est, *quod est in motu ad eam formam, ad quam vltimo destinatur.* Hinc *Chymicum, ait intelligere imperfectionem rerum, dum à natura relictam rem imperfectam, sua arte ad perfectionem ducit, etiam vltrà, quam natura per se facere posset.* Hæc ille satis intricatè. Sed, vt aliquid fructus inde reportemus, notandum est, plærosque Chymicos artis respectu & vsus res imperfectas à natura datas esse scribere, & sentire, non eum finem esse vltimum, & tandẽ prædestinatum à Deo, in quo vnumquodq; conspicitur in natura, sed eum, quo inseruit humanis necessitatibus, sicut dici solet: Omnia propter hominẽ: Homo verò Propter Deum. Iam itaq; certum est naturæ motum stare, cum ad terminum suum peruenit, nec progredi vlterius. Et tamen

Pefectum Michelii. Imperfectũ.

men plurimæ res non sunt commodæ ad v-surpandum, veluti arboris forma sibi relicta nõ est apta ad ædificium: aurum & argentum in lapidibus non congruit ad monetas. Hucvsq; itaque res homini destinatæ sunt imperfectę. Sed nec omnes, nec omnes per artẽ perficiũtur, aut perfici possunt. Deinde cum vsus sint maximè varii & innumerabiles; nulla perfectio satis erit. Relinquitur ergo has perfectiones relatas esse, & naturam ad vltimum peruenisse, cum ipsa assecuta est suam formam, contulitq; potentiam, qua res porro artis materia, aut subiectum fieri possit, cuius perfectio nõ est ex re ipsa, sed ex arbitrio, principio nimirum externo. Hinc manifestũ est, à Michelio turpissimum Elenchum committi, dum duo principia eorumq; fines sophisticè confundit. Potest itẽ ex hypothesib. eius planè contrariũ extrui. Sit enim id perfectum, ꝙ ponit. Quæcunq; integro naturæ motu ad suã formam sunt perducta, & nihil monstrosi habent, ea necesse est esse perfecta, quia absoluta sunt ab eodẽ principio, primo naturę intento, cui⁹ est ex simili gignere simile, & cũ huc peruenit, nõ amplius mouetur, vt cum ex grano tritici gignit triticum. Eadem constant etiam omnibus suis partibus, vt homo integer: In iisdem est terminus in quo desinit generatio nimirum in generatione tritici triticum, hominis homo. Necesse est ergo naturam edere res perfectas. Ipse Michelius, *innatum na-*

turæ

turæ appetitum esse potissimam caussam perfectionis omnis, pag. 29. scripserat: Idem 25. pag. *formam arti detraxerat, negans esse εἰδοποιόν*. Si perfectio est in forma; necesse est naturam perficere res, & non artem, ex istius hypothesi. Nolo proferre sacrarum literarum autoritatem, qua res non ante lapsum duntaxat bonæ nuncupantur, sed & post. Bonum autem est in ratione finis, habetque absolutionis argumentum. Ita de imperfecto. Si sit istud imperfectum, quod ponit, quanquam mutile & imperfectè: In naturæ vero rebus, quas ipsa libero sui motu consummauit, nec promouit amplius, non amplius sit motus, nec quicquam desideretur, vt in boue perfecto: necesse certè est non omnia eam imperfecta relinquere. Delirat ergo ille ineptus senex, cum scribit, *dubitare naturam res imperfectas creasse* (ita in contumeliam creatoris non reformidat loqui) *esse meridiem tenebras obscurare* Quid quæso illi Chymici possunt addere Soli, Lunæ & cæteris? Quid elementis? Quid gramini? Quid cani? Quid homini? Si nihil possunt adhuc, & coguntur fateri naturam hic subsistere, & non gignere aliud, nisi priore destructo & in materiam reducto, quorsum negant perfectionem naturæ? Subiice animal Chymico. Quid inde procreabit? Olea, aquas, sales, vt aiunt. Non certè ex animali. Neque ea, si ex animali forent, excellentioris formæ vim

& auctoritatem haberent. Præstat enim esse animatum quam inanime. Corrupta res est, non perfecta, si in oleum est deducta. Sed donemus etiam hoc, quando ita volunt, licet absonum à vero sit, artis elaborationem conferre rei perfectionem: Cum sit vnius rei ad plurima potentia, variæque artes ex vno varia possint fabricare, quis tam sit stolidus, vt omnia ista dicat esse rei perfectiones à natura destinatas? E ligno producit ars cineres, sales, aquas, olea, fumos: E ligno facimus varia instrumenta: E ligno domos: E ligno naues: E ligno aliqui idola & Deos sibi adorandos. Istane omnia sunt ligni perfectiones? Deus mundum hunc igni destinauit; hominem terræ. Si prædestinatio vrgenda est, maior erit perfectio à Deo destinata, quam à Chymico. Quis vnquam dixit mundi calamitatem, & hominis corruptionem esse eorundem perfectiones? Sed donemus istud iterum. At non erit artificis solius perfectio ista. Num & ignis per se multa transformat, & animalium ventriculi, cœteraque membra plurima transmutant. Quid, quod nulla possit esse in arte perfectio Micheliana? Non enim est nisi vltimũ sit. At quicquid coquunt Chymici, nisi ad Elementa redactum sit, nondum assecutum est vltimum. Manet enim semper mutationis potentia. Id autem consequens est ex fictitia illa prædestinatione, quam ipsi sibi sunt commenti, non autem ex rebus sumserunt. Cum

ex me-

ex metallis fiunt lapides & vitra, id autem eſt artificii quoque Chymici: demens ſis, ſi velis lapidem vitreum perfectionem auri, argentiue, exellentiorem naturali, & finaliter deſtinatam exiſtimare. Conſidera etiam miſtiones artis, & præſertim Chymiæ Michelianæ, quę eis carere non poteſt. Cum tàm variè poſſit rerum quælibet ad vſum hominum miſcere, Tune dicas id, quod inde exiſtet, eſſe perfectionem finaliter decretam, ita, vt ante res fuerit imperfecta natura? Pag. 29. *Quicquid recipit aliquid naturaliter, inquit, vt euadat perfectius, eo, quod ſuſcipitur priuatum fuiſſe neceſſe eſt.* Multa ſophiſtica eſt in hoc dicto. Sanę ſi naturaliter, hoc eſt naturali motu, & appetitu aliquid accipit quod ante non habebàt, id deerat. Sed cum motus naturalis etiam ſit quædam corruptio, per quam tamen appetitur forma alia, licet non ſemper melior, ſi inde perfectionem concludere velis rationis egueris. Deinde cum de naturalibus potentiis ad vſum artis loquimur, ſolemus item dicere, rem natutaliter aptam eſſe ad hoc vel illud, ſed id tamen naturæ motu non acquirit: Arte opus eſt. Si itaque vult, quicquid per artem poſtea induci poteſt, potentiæ naturali ſeu potius habitudini, vt ligni per ſerram ſectio, id ante defuiſſe, & perfectioni derogaſſe, cuius nomine res natura fuerit imperfecta, plane deſipit. Nam tales potentiæ ſæpe naturam deſtruunt, eique adimunt, quod ante inerat.

Sit, exempli causa, lapis Philosophorum ad aurum faciendum. Is extrahitur ex naturâ perfecto. Nequit enim perfectum amplius perfici, quia natura iam constitit. Itaque perfectum reducendum est ad imperfectum, seu materiam. Hæc ne sit perfectio? Sed &, si lapis artis ope excoct⁹ & absolut⁹ est artis pfectioné aliá nullá habet, q̃ qua vsui inseruiat. Vsus vero per eũ metalla gignit pfecta ex impfectis & mercurio. Testatur ergo naturã dedisse metalla perfecta, cũ ea ẽt ars ipsa ad illius exemplũ producat. Ita est de sanitate. Hãc natura donat. Itaque tunc homo ratione sanitatis perfectus est, cum eam habet. Cum excidit, aut videtur excidere posse, Chymici lapidem admouent & naturæ illud bonum iterum subleuant. Fatentur ergo hic quoque in sanitate esse perfectionis notam. Prætetea cum nutriendi caussa essentias Chymicas prębent, quis sit tàm stultus, vt neget, aliquid eis accedere posse? Mutari necesse est in substantiam alendi. Fuit ergo alendum perfectius. Aliâs insani hominis est tam pretiosas res & absolutissimas omnibus numeris iterum corrumpere velle, & à gradu bonitatis deiicere. Ita, cum eadem artis medela plantis, bestiis, mineralibusque adhibetur. Semper enim perfectius est id, quod conseruamus per adminiculum naturæ, ipso adminiculo, vt homo perfectior est quolibet cibo, aut medicamento. Aliâs homo esset gratia illorum. Hęc

dixi

dixi iuniorum cauſa. Iſtum enim ſenem tàm deprauatum, ſi corrigere argumentis velim, Æthiopem dealbandum ſuſciperem. Stultitia eius deplorata etiam hinc elucet, quod *Qua ſub forma oui appellat imperfecta, poſt generationem vero auis perfecta.* Quis vnquam auem genitam vocauit ouum perfectum? Cum ouum ſub forma oui eſt, eſt id, quod eſt, & cum ratione etiam nomen habet. Cum vero nondum aſſecutum eſt terminum ſuum, vt generationis medium eſſe poſſit, vt ſunt oua incepta in gallinis, tunc dicitur imperfectum. Argumentum quod ex imperfectè miſtis Peripateticorum ad ſuum figmentum ſtabiliendum producit, puerilem habet elenchum. Non enim, ſi illa in natura dantur, omnia naturalia ſunt imperfecta. Non, ſi monſtrum aliquo in genere inuenitur, totum iſtud genus imperfectum eſt; Non, ſi virga eſt arbor imperfecta, natura ignorat perfectas arbores. Nõ eſt ſapientius id, quod pag. 30. deblaterat. *Quæ aliquid ſunt potentia*, inquit, *ea actus reſpectu ſunt imperfecta.* Ergone Michelius imperfectus eſt, quia poteſt mori? Quaſi vero non eſſet etiam potentia ex perfecto ad imperfectum. Aqua poteſt in aërem tranſire: At non ideo eſt imperfecta. Perfecti ſunt cœli & terra, dicunt ſacræ literæ. At poſſunt comburi. Deus omnia opera ſapientiſſime fecit (Pſalm. 104.) At cœlum & terra tranſibunt. Sed cum ipſe hæc argumenta vocet fictitia, & imaginaria,

De ouis.

naria, non opus est prolixiore sermone. Illud cogitandum, quam stultus & demens fuerit qui fictitiis & imaginariis argumentis solidissimam rerum veritatem instituerit labefactare, & euertere, quasi luderet cum pueris par impar, & equitaret in longa arundine.

NOTA X. DE CREATVRIS *post lapsum.*

PAG. 30. *Post lapsum primi hominis nihil vnquam perfecti à natura productum esse, scribit.* Addit argumenta. 1. *Id tam vulgare est, vt demirer, quomodo ista. (natura perfectum proferre) scribere non erubueris,* 2. *quia post lapsum Deus naturæ maledixit.* 3. *Sublunaria variis mutationibus, & corruptionibus sunt subiecta, &c.* Multiplex ad diuersa relatio improbis hominibus sophisticandi ansam præbet. Idem Michelio euenit. Si ad Deum referas creaturam vniuersam certum est, omnem imperfectam dicendam esse, quemadmodum in Hiobi libro extat. Ita vniuersa huius mundi constitutio imperfectioni obnoxia est, siue ante siue post lapsum, si respicias ad æternam beatamque conuersationem. Rursus imperfecta est vita peccatorum, relata ad paradisi integritatem, cœlum perfectum est, collatum cum Elementis, & sic in cæteris. Sed non vbiuis est imperfectio in substantia, veluti in operibus Dei post lapsum. Est enim & tunc bonus quem nullius

rei tan-

rei tangere poteſt inuidentia. In adiunctis & effectis fatendũ eſt defectum pęnę cauſa adueniſſe. Verum enim vero iſtis omnibus ſepoſitis, quia ad hanc cauſam nihil faciunt, in arte & natura permanendum eſt, videndumq; num natura nihil â lapſu det perfectum, ſed omnia imperfecta, quæ ab arte perfectionem expectent & accipiant. Differentiam vſus & naturæ repudiauit Michelius. Itaque iuuari hinc non poteſt. Vult itaque poſt lapſum per ſe in natura omnia eſſe imperfecta, & perfectionẽ ab arte eſſe. Quæro hic primum, ſi ars donat rebus perfectionem naturalem, num eam donat, quæ fuit ante lapſum, an vero quandam vicariam? Illud dicere nefas eſt; certum enim eſt, ante lapſum fuiſſe homines in ſua forma ſubſtantiali, cuius imaginem habuit & Sethus poſt lapſum, fuiſſe arbores & mala, item ſerpentes, quanquam pedibus inſtructos fuiſſe boues, equos & cætera, quorum omnium formam corrumpit Chymia, nec ita relinquit nec reſtituit corruptam. Nõ itaque confert eam, quæ ante lapſum fuit, ſed aliquam vicariam. De hac ſecunda quæſtio eſt, ſit ne hæc abſoutior, an illa, quæ etiam poſt lapſum eſt relicta. Ait Michelius. Nos negamꝰ. Quod.n. perfecto viciniꝰ ſimiliuſq; eſt, id perfectius diſſimiliore. Iam aſſerere, oleum ex pomo factum eſſe ſimilius pomo paradiſi, quam verum & naturale pomum deliri eſt. Ita Adamus poſt lapſum ſimilior eſt Adamo ante la-

te lapſum, quam Adam lapis, quod argumentum confirmatur Adamo ſecundo, ſaluatore ſcilicet. Reſtat ergo non eſſentias Chymicas perfectiores eſſe; ſed naturæ ſpecies non deprauatas aliquo accidente. Idem arguit benedictio Dei toties repetitia, qua proculdubio correcta eſt maledictio. Sic poſt lapſum Pſ. 111. Prædicat Dei opera vna cum Pſ. 104. Sent. Sal. 8. cap. 13. Eccles. 40. Ibi nominatim omnia Dei opera dicuntur valde bona. Et cap. 43. quicquid facit, in eo non eſt defectus & ſic in aliis ſcripturæ locis. Si itaque perfectionẽ vſus reſpectu Michelius explodit nullam amplius inuenire poteſt, & redarguitur à Paracelſo, qui nihil dubitauit ſententiã Iacobi, quæ cap. 1. Epiſt. eiuſdem extat, tanquam Symbolum, prę ſe ferre. Omnis donatio bona, inquit. καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθεν ἐστι. Quomodo id ſcribit Apoſtolus, ſi hodie & poſt lapſum Deus nihil perfecti exhibet? Non autem attendit ille ſenex, ſe ſuam quoque artem imperfectionis arguere Si enim nihil perfecti habet natura poſt lapſum, neceſſe eſt; Chymiam quoque non eſſe perfectam nec iudicium ſuum perfectum imo ſe adhuc imperperfectum, quanquam ſit ſenex capularis. Cur vero eius Chymici de metallis perfectis tam mirifice diſſerunt, ſi à lapſu nihil vnquã perfecti à natura proditur? Videtis ſtultitiam hominis, contra quam nihil dicendum fuiſſet, niſi oſtẽdenda foret illa larua Paracelſica,

qualis

qualis esset & stulto stultitia exprobranda. Clamant, nos autoritatibus pugnare. Valeant saltem diuina oracula apud eiusmodi vesanos, quibus, quas afferimus rationes, nihil sunt præterquam ex aliis petita verba. Primum argumentum, istius impuræ enunciationis elencho particulari fallit, & amphibologia. Scimus à lapsu creaturas propter maledictum ad pœnã peccati non ita bonas esse, vt ante, sed ideo non desierunt in substantia esse perfectę. Sethus arguit patrem Adamum & matrem Euam. Saluator indicat primum, hominem innocentem. Non mutata est substantia, vt in hoc, ita & in cæteris. Idem Sol, qui Adamo fulsit, & nobis, &c. Perfectum frumentum Dei benedictione proueniebat Isaaco. Idem & paradisus habuit. Secundum argumentum in qualitate mutationem, sed non in substantia ostendit. Tertium plane aberrat. Nam & ante lapsum fuissent generationes & corruptiones, sicut ostendit victus animalium, & plantarum. Sed vt intemperies istius senis perspicua euadat, ipse pag. 52. *Negat naturam sibi imperfecta reliquisse, sed nobis.* Ergo euertuntur q̃ ante scripsit, & iã fatetur meam distinctionẽ esse verã. Atqui nobis ea ministrabat ẽt in paradiso. Itaq; tunc opera naturalia perfecta, nostrum respectu poterunt dici imperfecta. Vtrobiq; par est ratio. Nõ tamen in omnib⁹ istud perinde est verũ. Nã & ad vsũ in paradiso, & nũc quoq; multa nobis in natura sunt pfecta, vt

Responsio ad obiecta.

cta, vt aër ad inspirandum, aqua ad bibendum; terra ad ambulandum & reliqua, quæ, nullius egent artis opera: Deinde in natura quoque eueninut errata, & monstra. Sed horum causam ille in nos confert Sane peccata palliare non possumus. Sed hic Physicus erat campus. In hoc vel absque omni errato coloni sæpe male proueniunt fruges. Et eas nullus Chymicus potest corrigere. In terminis constitutis manendum est. Opposuerat isti imperfectioni suam artem. Non erat exorbitandum, quanquam nos in istud non consentimus. Ars enim est voluntatis, potestque variis scopis mutari, adeo, vt etiam cadauera in commoda nonnulla vertat, quæ tamen ideo non sunt correctiones naturæ. Ridicula plurima ex hac opinione consequuntur. Ouũ, quod nondum in auem transiit, ille appellabat imperfectum. Quo quæso hominis vitio gallina ouum parit? An non ita factura erat etiam in paradiso? Vult Chymiam suam vnam saltem vniuersalem medicinam fabricare, quæ post lapsum sit excogitata, vel à Deo in supplementum amissæ bonitatis data. Itaque ea in paradiso non fuit. Si Chymia nostro vitio deprauata corrigit, necesse est in aliis occupari, quam in materia lapidis, & aut nihil in paradiso quoque perfectum fuisse, aut solam lapidis materiam, quod tamen est absurdum. Sed quis tandem istam perfectionem confert? Negat artificem esse efficientem

tem

tem causam perfectionis? Negat ergo etiã artem. At quis perficit? Fortunane? Non. Quis autem, Natura. O hominem callidum. At natura nihil dabat perfecti vllo tempore post lapsum, eratque diuinitus pro solatio hominibus monstrata ars lapidis. Sciamus ergo solam naturam nihil perficere; nec solum artificem; sed vtrumque coniunctum, vt sic natura adiuta arte agat. Sed ex hypothesibus Michelianis hoc quoque impossibile est. Nam necesse est artificem vti adminiculis naturalibus & nihil agere præter regimen, & accommodationem agentium. Tale fiet opus, quale ex potentia naturali potest tum materiæ, tum adminiculorum. Si nihil perfecti gignit natura & nihil artifex; nulla existet perfectio. Necesse certè est, facultates perficiendi in perficientibus esse, quomodo nec solum os graditur, nec sola caro, aut tendo, aut cæterorum aliquod, sed omnia simul, itaque vt conferat aliquid vnumquodque. Subiicit arti materiam imperfectam. Sed istum senem non intelligere quid dicat, satis indicat puerile commentum. Aliâs ostendi, artifices quidem in natura perfectam statuere, sed quam per artem plusquam perfectam reddere satagant. Itaque cum in se perfecta sit, non nisi artis fine, quem nondum habet, dicetque imperfecta. Cum pag. 34. *negat ex perfecto aliquid fieri posse*, euertit suum phantasma de natura nihil perfecti post lapsum gignente.

Richardus: Natura vltra gradum perfectionis suæ spõte sua non ascendit. Per artem autem adiuta vltra eam tendit.

te. Nam ex Rogerio nomine perfecti intelligitur metallum perfectum. Eiusdem stultitiæ est, dum materiam ex parte perfectam, ex parte imperfectam asseuerat. Quomodo hoc verum esse potest, si eam gignit natura, quæ tamen nihil perfecti vt sentit, præbet à lapsu?

NOTA XI. QVOMODO PERFICIANT *Chymici res naturæ.*

MISERAM certè nostrã conditionem etiam in benedictionis diuinæ affluentia, si nihil est perfecti in natura, & Chymia Micheliana nihil perficit, nisi vnam rem tantum. Sed quomodo perficit etiam hanc? Id explicatur pag. 26. *Chymici*, ait, *externa cum intimis sic emendant, vt corruptionis iugum abiiciant.* O diuinum Chymicum, si hoc potest Cum conflagrabit mundus, solus lapis Michelianus à flammis erit immunis. Mirum, cur non ad suũ figmentum accommodauerit Paulinum dictum 1. Cor. 15. δεῖ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν, &c. quæ applicatio Paracelsitis aliâs est familiaris. Sed videamus, an hic saltem quid sapiat proximum Charontis Cymbæ senium, quod in eo studio ætatem contriuit. Aut Medicinæ lapis Philosophorum adhibetur, aut nutritioni, aut metallorum transmutationi. Vbiuis necesse est, eum esse corruptibilẽ. Non itaq; est incorruptibilis. Si medicamenti loco datur ad valetudinem conseruandam aut reparandam, nec tamen est actu medicamen-

tum,

tum, ſed potentiâ, atq; ita neceſſe habet, vt ab alio ex potentia in actum perducatur, cū nihil in potentia exiſtens ſeipſum actuet; planè neceſſarium eſt, vt pati queat ab alio. Si non patitur; nō agit, vtpote proximū agens, tangenſque exiſtens. Si pati poteſt, etiam corrumpi. φθαρτὸν ὄν. Idem manifeſtius eſt in nutritione. Neceſſe enim eſt, vt tranſeat in ſubſtantiā nutriti. In metallorū transformatione, ſi in proiectione manet, neceſſariò abit in metalli naturā. Nihil enim peregrini patiuntur examina. Sed non ignoro cū hoc modo illi blaterones nugātur, χρυσοφόγελα ex Vtopia peti. Aiunt enim eius naturā eſſe cæleſtē igneamq;. Itaq; tantum miniſter erit valetudinis, & nutritionis, & poſt officiū peractum abſcedet incolumis. Eadem poſſunt dici de transfiguratione. Sed reſiſtunt alii Chymici, qui ſibi perſuaſum habent eum manere cum calido humidoque innato, & ſpiritui aggregatū totam naturā roborare. Itaq; regnū inter ſe eſt diuiſum. Deinde lapis idē omnium artificum conſenſu non neceſſe habet, vt ad extremū perducatur medicamentoſæ virtutis gratia. Tunc .n. deſtrueret corpus humanū, non tingeret. Cum itaq; corpori humano adhibetur, adhuc eſt imperfectus, & ſic corruptibilis. Præterea, ſi cum calore natiuo, humido radicali, & ſpiritibus manet, aut tranſit in eam ſubſtantiam, aut per ſe ſolitarius exiſtit. Illud fieri nequit ſine mutatione in ſubſtantia. Si hoc ſtatues, va-

num inutilemq;, imo naturæ grauem facies, quia nihil eſt perpetuum in ea, quod eſt alienum. Euolabit ergo ille miſer lapis, aut excrementis miſcebitur. Præterea, cum compoſitus ſit per artem, neceſſe eſt, deſtrui & reſolui poſſe. Quicquid enim ars compegit, id per eandem poteſt reſolui. Inſuper aut fuit lapis iam ſua forma & viribus perfectus in natura, aut imperfectus. Si illud, vana eſt artis perfectio, ſi hoc, palam eſt eum eſſe corruptibilem. Nulla enim artis humanæ potentia ex corruptili poteſt efficere incorruptibile, & toto genere naturam mutare. At quid profero rationes in hunc delirum & beluinum ſenem? Demonſtret re & facto, quod garrit, & omni dubitationi præciderit anſam. Erat argumentum, quod ſi naturæ finis ſpectetur, & motus in lapide perficiendo, Chymicus nihil poſſit, quia motus naturæ in ipſo eſt; artificis autem foris, in hoc laborat pag. 35. & 36. ſudatque vehementer, interim concedens naturæ motum contendere ad perfectionem. Donabimus itaque hoc ſeniū elleboro, vt ad ſaniorem mentem redeat, & videat turpiſſimas antilogias.

NOTA XII. CVIVS SIT *perfectio.*

PAG. 37. *Negat perfectionem eius eſſe quod eſt perfectum, ſed eius quod eſt imperfectum, perfici tamen poteſt.* Sanè perfectum non perficitur

tur motu,ſeu effectione motiua. Eſt enim iam id, quod eſt, & forma perfectionis præſente quieſcit. Attamen perfectionem habet tanquam ἐντελέχειαν & actum. Si itaque perfectio ſignat effectum, ſubſtantiale, ſeu formale, etiam eſt perfecti. Huius enim eſt actus. Non ignorandum autem, perfectum etiam motiua perfectione poſſe perfici, verum οὐκ ἁπλῶς, ſed quadamtenus, veluti cum aurum natura perfectum colore exaltatur, aut etiam commodum ad vſum redditur. Chymici perfectum perfici dicunt reductione ad imperfectionem & hinc orta motione ad plusquãperfectum. Si ſubtilius rem æſtimare velis, omnis perfectio deprehendetur perfecti eſſe. Nam etiam in motu progreſſus eſt per formas ſubordinatas ad vnam ſummam & vltimam, quarum tamen quædam eſt perfectio. Itaque ille motus perfectiuus dicitur, quia ordine plures formas gignit, & per eas procedit ad vltimã, in qua quieſcit: nec per ſe eſt imperfectus, cum vel momento abrumpi poſſet, ſed reſpectu vltimi, quod nondum eſt aſſecutus. Hæc cum ille ſenex capularis nunquam animo cõtemplatus ſit; audet tamen in arenam cum ſua claudicante & ſcabioſa Philoſophia procedere, & ſtraminea arma pro terriculamento tremula manu meritare.

NOTA XIII. DE TEMPERA-*turæ voce.*

SCRIPSERAM ex hypothesi, Chymicum nihil posse naturâ perfectius edere, nisi omnem vim temperaturæ in manibus habeat. Hæc obiectio extat apud Gebrum, & repetitur ab Erasto, Morcsino & cæteris, qui in Chymicos sunt inuecti. *Respõdebat Geberus Philosophorum intentionem non esse in principiis sequi naturam, nec in proportione mistilium elementorũ, nec in modo mistionis ipsorum mutuæ, nec in æquatione caloris inspissantis*, &c. Michelius ex vocabulo campum nactus est, in quo se maledicendo, conuitiandoq; strenuè exercet. Putat me loqui de temperatura qualitatum primarum, & in Galenicos atrociter furit. Sed cum Geberi sit mens eadem de elementis mistioneque eorum per qualitates, sua cædit vineta, & illos suos Chymicos à Paracelso scilicet solo intellectos, egregiè traducit. Ego soleo dupliciter de crasi loqui. Intelligo enim interdum primarum qualitatum conspirationem, qua aliquid calidum, humidum, frigidum, siccum, &c. dicitur: interdum formam misti, quâ mistum est, licet substantiam habeat non ex concursu elementorum, qualis fit, cum ex aqua & terra nascitur lapis, sed ex seminaria propagatione instituta in elementis & ex materia vniuersi à Creatore, vt, cum corpus bouis ex semine bouis & sanguine nascitur, quod tamen

Pag. 37. & 38.

tamen poſtea tum elementis conſeruatur, tum miſtis. Eſſe autem in illa materia elementa, ſi argumento nutritionis & generationis non credunt, credant ſaltem oraculo diuino, quod teſtatur hominis corpus ex terra factum in terram reuerſurum. Cum itaque ille purulentus Sophiſta, non intelligat, quid velim, apertum eſt, quam ſtultè in me declamet. Ita quod pag. 37. ſcribit, *Galenicos omnia tribuere nudis qualitatibus*, impurum eſt mendacium. Nec aliud iudicium meretur, quod ait *Chymicos nullius temperiei rationem habere.* Si enim Geberus, Lullius, Arnoldus & cæteri Chymici ſunt, certè Chymici, temperiem agnoſcent. Quid nobis cum purulento ſputo Paracelſi?

Mendacia Micheli.

NOTA XIIII. QVA VI COquat ventriculus.

EPISTOLA 31. lib. 1. Chimicarum ſcripſeram, non eſſe ſimplicem calorem, qui in ventriculis animalium cibos terit, ſoluit, coquit, & immutat, ſed coniunctum craſi & proprietati totius ſubſtantię, id, quod euidens fit ex operatione naturali in ipſis, &c. Michelius pag. 39. ſui ſcabioſi libri, ait, *me tria requirere, calorem, craſin, & ſubſtantiæ proprietatem, eaque eludit ridicula interpretatione, quaſi verba, imaginationes & ſtolidas opiniones propoſuerim ex quibus reſultare inanē coctionem exiſtimem: ſibi eſſe vnam tantum naturam, quam vocat*

innatum ſpiritum, omnium actionum & motuum principalem vnicam cauſſam à mea temperatura minimè dependentē. Ita ille. Non eget res probatione laborioſa. Si coctio cibi fit in ventriculo, ad quam opus eſt calore, non tantum connato, ſed & communicato à corde, epate, omento, epigaſtrio, diaphragmate, & nonnunquam etiam externis fomentis; manifeſtum eſt, me rectè calorem coctionis cauſam vnam ſtatuiſſe. Quid eius abſentia afferat noxæ, palam eſt. Sed cum non fiat Chylus à calore duntaxat, quâ calor, ſed neceſſe ſit, vt ſit ventriculi calor & omnia auxilia conſpirent cum innata ventriculo efficacia, ſeu facultate naturali, cuius fundamentum eſt tota eius natura, quam & craſin ſubſtantialem voco: generalium accommodationem ad ſpecialem poteſtatem rectè ſtatui, & primarias partes naturæ ventriculi abſque errore aſſcripſi. Hęc alibi explicantur diligentius. Michelius innatum ſpiritum nominat, dicitque hunc ſibi ſolum ſufficere. Non nego ſpiritum adeſſe. Caloris enim duplicis mentione & ſpiritum & humidum radicale comprehendi. Sed, cum nego calorem quâ calor, coctionem efficere, palam eſt, de ſimplici me locutum; non de eo, qui eſt cum aliis & vna ad totam naturam conſpirat. Certè nec Michelii ſpiritus, quâ ſolummodo ſpiritus eſt, aut ſolitarius exiſtit idem perficiet. Non autem opus eſt, me in illo ſene confutando tempus terere. Ipſe ſe refellit i-

lit ipſum, Ita enim pag.38.habet: *Conſiderare debebas ventriculum non ratione temperiei aut caloris tantum ſed virtute quadam innata, quæ ineſt ſubſtantiæ totius membri concoquere. Cibus enim calore in ſtomacho digeritur, quem cognoſcimus. Sed transformatur per virtutem quandam occultam, quam ignoramus.* Ita ille. Coniungit calorem toti ſubſtantię virtutique innatæ. Quid aliud loquitur, quam quod ante ego? Verba ergo, imaginationes & ſtolidas opiniones priore enunciatione vomuerat ipſe. Vbi iam ſolus ille ſpiritus? Cur hic non exeruit aures? ſi ignorat virtutem transformantē, ſcit autem calorem ſolum, à quo genio accepit de ſpiritu? Pag.40.indicat ſe in hoc negocio cum Ariſtotele & Fernelio ſentire, At cur debachatur in calorem & temperiem? Quin abſtines á Philoſophia hac Micheli, & tibi ſciagraphian ſepulchri meditaris?

Antilogia.

NOTA XV. DE ELEMENTATO, quid in ſe contineat.

SCRIBIT *ſuos Chymicos dicere, quoduis elementatum* (conſtans ex Elementis) *aliud in ſe continere, quàm Elementa, quod ſit pauciſsimis certum.* Mirum vero iſtud. An non obnixié contendit ſuos Chymicos tantū lapidem fabricare? Quis eos iuſſit in alienam artem inuadere? Nihil meretur fidei, qui de alieno pronunciat. Deinde quid nos curamus iſtud, dicunt. Non ſumus dictis Chymicorum iſto-

rum alligati. Nostro Aristoteli credimus, cum rationem monstrat. Idem faciāt illi Chymici. Quod rem attinet, Elementatum ex elementis tanquam membris constat. Id Paracelsitæ, maximeque Seuerinus iudicant in se comprehendere essentiam ex principiis, (quæ tria fingunt, Sulphur scilicet, salem, & mercurium) ortam: In hac separanda laborare Chymicū, quanquam Seuerinus neget possibilem esse separationem totalem & longe aliam habeat Chymiam, quam Michelius. Ego re perpensa video, has assertiones posse in Chymia ita ferri, vt institutū eius artis proprium, relatumque, neutiquam autem vniuersales toti Philosophiæ naturali esse. Nàm in separatione partis potissimæ in qua & vis maxima est, sordes quædam & veluti recrementa abiectanea inueniuntur. Hæc pro artis propria consideratione vocantur partes elementariæ. Pura vero natura ex his fecibus elicita essentiæ nomen sustinet. At si hæc ad Physicam vniuersalem accommodare velis, non habebunt locum. Nam in hac deprehendimus etiam essentias illas attinere Elementa, inque hæc verti corruptione posse. Eadem est principiorum ratio. Stulti Peracelsitæ, sicut per artis Chymicę proprias locutiones & consuetudines Medicinam contaminarunt, ita & Physicam. Videtur mihi hoc facinus perinde se habere, ac si Lanio ex fundamentis suæ artis emendare vellet Physicam, & dicere coria

De principiis doctrina nō se extendit vltra Chymicas locutiones.

excre-

excrementa, pilos, cornua, &c: esse elementa. Carnes vero contentum in elementis, & essentiam: vnde cogendi essent Physici præceptores suas explicationes laniena accommodare. Potuerant Peripatetici, & Hippocratici eiusmodi emendationes ex pharmacopoeia, & culinaria petere, si quid solidi inesse iudicassent. Non expectãdi erant stolidi Paracelsitæ. Qui fit autem, quod veteres istud lumen non viderunt, quorum tamen in hodiernum vsque diem sola gloria est lapidis confecti, & inuentæ excultæque Alchymiæ? Mesues certé & alii vetustiores docent extractiones admodum antiquas esse. Nec deerat illis sapientibus ingenium, quod certe lapidis inuentum arguit fuisse maximum. Cur ante Paracelsum nihil de hac subtilitate crassa & magirica est auditũ? Tã temerarii nimirũ esse noluerunt, nec suam sapientiam stultitia contaminare. Non autem rem inuenit Paracelsus, vt sale puro clarius est, sed tantum deliram illam applicationem, & tyrannidem in Physicam & Medicinam, vt aliquid esse videretur, excogitauit. Nam & veteres mentionem faciunt mysterii seu arcani, magisterii, quintæ essentiæ, & similium. Sed in sua arte permanserunt, nec nisi analogia quadam ad explicationes naturales, quatenus arti inseruirent suæ, accommodarunt. Ab illis acceperunt postea Lullius, Vlstadius, Thomas, Arnoldus, & reliqui recentiores, à quibus, cum

Veteribus ignota est illa Chymiç ad omnes artes accõmodatio, quanq̃ res Chymicas habuerint perspectas.

quæ vera

quæ vera habet rapuerit Paracelſus, arrogantiſſimè tamen omnes contemnit, tantum eſt nouationis in falſa applicatione ſupercilium.

NOTA XVI. NVM EXTRACTA *Chymica ſint ſine qualitatibus.*

PAG. 41. Michelius *cum ſuis* (vt ait) *Chymicis docet, rebus corporeis ineſſe quaſdam occultas ſeminarias rationes à qualititatibus ſeparatas.* Nouum & hoc Paracelſi figmentum eſt á Seuerino propagatum, & non ita pridem per Gramanum repetitum: Sed vt à veteribus Chymicis alienum, ita falſiſſimum. Non enim eſt illa eſſentia Chymica, quam latitare corporum ſeu elementorum amplexu nugantur, ἄποιος. *Bernhardus ex Calide ſuo citat hoc dictum: Non conſpiciuntur plura duobus, nec ingrediuntur duobus plura, nec initio, nec medio, nec ſine. In duobus autem ſunt qualitates quatuor efficaces, &c.* Et quomodo, ſi calore perficitur, dum continue coquitur lapis, non ſit calidus? Si omnes morbos tollere debet, neceſſe eſt, vt qualitatibus efficacibus ſit præditus. Non enim frigori remedium eſt, niſi à calore, calori à frigore, humiditati á ſiccitate, & huic ab illa, ſi rem per ſe ſpectes. Sulphur Philoſophorum eſt ignis ſimplex, inquit *Richardus. Qui fieri poteſt, vt non ſit calidus? Duo ſulphura* (addit) *ſubtiliter eliciuntur, & qualitates ipſorum per artem & magis purgantur mediante natura.* Non tollit qualitates, ſed exaltat purgando. Ita in medico: vſu

vſu idem refert, Aurum Philoſophorum omnes curat ægritudines, quia excellens ignis in eo omnes humores conſumit exiſtentes in ægris corporibus, tam in calidis quam frigidis cauſis, &c. Sed ſuperuacaneum eſt teſtimonia aſſerre, cum nihil ſit in illa Chymia notius. In altera, quam ſpuriam vocat, eiuſque doctores appellat nebulones, alii ſimiliter negant qualitates eſſe, quia, cum eas tribuant Elementis hoc eſt corporibus, hæc autem ſeparantur ab eſſentia, ſimul amotas credunt. Sed perdite falluntur, & interdum neceſſitate rei trahuntur ad confeſſionem. Ita Michelius *in reſolutione opii Mercurio huius aſſcribit frigiditatem.* Pag. 50. Cum qua neceſſariò eſt humiditas. Dicitur enim aqua eſſentialis eſſe. Sulphur, oleum & aëream igneãque partem nominant. Calidum ergo. Sal terra eſt, & ſimul calidus ſiccus. Si vis experiri, iube tibi guſtandum præbere ſalem Guaiaci Chymicũ, aut abſinthii. Effectus calorem ſiccum teſtabitur. Ita in oleo laterum, quod Philoſophorum vocant, & magni magiſterii arcanum, ſi non deprehendis igneam naturam, ſtupidus es. Ideo autem ſuis eſſentiis qualitates primas detrahunt, quanquam contra conſcientiam & experientiam, ne cogantur fateri eas adhuc Elementares eſſe. Sed tu ſtatue, cũ indubium ſit qualitates eas adhuc ineſſe, quæ primum & propriè competunt Elementis, & ſine quibus Elementa non ſunt: vt aqua ſine humiditate nõ eſt. Ignis nõ ſine caliditate, &c.

Paracelſici à Michelio dicuntur nebulones.

quæ

quæ necessario sunt qualitates primæ cum nulli insint priori: statue inquam nullam essentiam Chymicam esse sine Elementis, quod Seuerinus quoque fateri coactus est, dum scripsit inseperabilia esse elementa.

NOTA XVII. DE TRIBUS principiis.

PAG. 41. ita ait: *Nulla generatio qualitatibus Sed trium principiorum beneficio fit, quibus innatus rerum formæ qualitatibus non subiiciuntur.* Ridicula infantia. Finge trium istorum beneficio fieri generationes: At non sine qualitatibus consequens est. Et si Mercurius Michelio est frigidus, hac virtute in generatione nõ erit ociosus. Sed audiatur Richardus Chymicus: *Elementa in lapide, inquit, non sunt Vulgaria, sed aqua est humidum* (τὸ ὑγρον) *terra est frigidum* (τὸ ψυχρὸν) *aer calidum, ignis sic cum. Hæc* (*qualitates dictæ*) *separantur* (*non abiiciuntur, sed tantum seiunguntur, vt depuratæ coniunguntur denuo*) *non illa per artem, ita tamen, vt vna qualitas adhuc de naturali commistione poßideat naturam alterius in aliqua parte, vt per hoc facile iterum poßint in arte coniungi, sicut sunt disiunctæ. Alioquin naturale opus totum foret destructum: natura quoque destructa esset, & vltra Mercurium peruentum. Impoßibile esset tunc iuuare naturã destructã, & ex elemẽtis his primis reducere corpora, &c. Videtis illum Chymicum, & elementa & qualitates retinere,*

Elementa & qualitates manent in lapide.

uinere, iiſque tribuere generationem miſti. Iunge ſiccum humido, inquit Rhaſis. *Compoſitio eſt rei origo & vita, ait Calid. Compoſitio in hac arte eſt coniunctio ſeu matrimonium congelati ſpiritus cum corpore ſoluto, & eorum coniunctio & paſsio eſt ſuper ignem: Caliditas eſt nutrimentum, Idem inuenimus, quod quicquid eſt in mundo, id retineatur per ſuum contrarium, vel ſuo contrario ſcilicet caliditas cum frigiditate, ſiccitas cum humiditate. Poſtea, cum quodlibet ipſorum obſedit ſuum ſocium, commiſcuit ſe ſubtile cum ſpiſſo: & facta fuerunt illæ res vna ſubſtantia, ſcilicet ſua anima calida, & humida, & ſuum corpus frigidum & ſiccum.* Ita chymici, quoque cæteri veri ſcribunt. I nunc Micheli, & ex Vtopia Paracelſica nobis fabrica generationes tuas. Verificaui tibi veritatem, quam feci & vidi inquit Calid. Maius erit eius iudicium & teſtimonium, quam Paracelſi, Michelii, Seuerini, & cæterorum huius fecis, qui nec fecerunt lapidem veterum, nec viderunt: Et ob hanc cauſam etiam temere clamabunt iſtorum dicta eſſe myſtica. Non enim poſſunt hoc ſcire & iudicare, cum ignorent: Valetque noſtrum negare tantum, quantum iſtorum affirmare. Cum vero nos iungemus naturæ, quam omnino inſpiciendam & ſequendam monent omnes, irrefragabile habemus argumentū. Quod autem attinet iſta tria, patior quidem Chymicos intra artis ſuæ ſepta manentes ita ſymbolice loqui. Sed ſi vniuerſalem Phyſicam ſpectes ēt

iſta

ista succumbent mistionum Elementorumq; axiomatis. Ita Michelius ipse per mercurium intelligit aquam ;per Sulphur, oleum; per salem, terram. Non itaque priora sunt principia, sed posteriora, eaque analogica, seu tropica. Illud notandum est, cum in vniuersali Physica explicatur ratio generationis mistorum, non ita pueriliter intelligi omnia tūc, cū post naturā institutā generantur, primum ex coitu Elementorum absque seminaria potestate constitui. Non fugit nos, autorem creaturæ initio miscuisse contemperasseque ista prima & postea efficaciam prolificam seminariamque inspirasse. Sed tamen eius rei vestigia videmus in ruditer compositis, in imperfecte mistis, in resolutionibus, in nutritione & augmentatione, in vita inter Elementa. Nemo est, quin intelligat hominis corpus ex semine & sanguine agente interno principio ad similitudinem generantis, post primum Adamum effectum esse. At oraculū diuinum dicit, ex terra creatum, & terram esse, & in terram reuersurum. Conspirat itaque hæc nostra Physica cum sacris literis, quæ nihil sciunt de mercurio, nec de sale & sulphure, nisi cum pœna sumpta est ab improbis, aut aliud quid docetur. Vexat me Michelius hoc in loco, quasi transcripserim mea Antigramania & Antiparacelsica ex Erasto. Nō equidem. Fallitur senex. Si autem eadem protuli in hostes veritatis, quæ ille, conspicuum est,

De mistione obseruatio.

Transcripsisse Libauius sua dicitur.

eſt, noſtra argumenta eſſe vera, quia veritatis ſermo ſimplex & vniformis. Vtinam Paracelſus non mutuo accepiſſet ſua rancida principia ab Iſaaco Hollando, nec præclarorum artificum opera pro ſuis véndidiſſet, nec lecta apud Chymicos ſymbolica nomina ad artium deprauationem adhibuiſſet; nec phantaſiam de macro & microcoſmo incertiſſimam ſtolidiſſimè tractaſſet; maiorem laudem inueniſſet. An autem Gramanus & Michelius nihil tranſſcripſerint ex Seuerini Idea, & nugis Paracelſi, iudicium penes alios eſto. Si fas eſt hos ſuorum ſociorum purulentam ſaniem lingere, non erit nefas, nos ſalubres ſuccos mutuo communicare.

NOTA XVIII. DE MATERIA *prima.*

ILLVDIT Philoſophis Platonicis, & Ariſtotelicis materiæ primæ commento. Sed non attendit pag. 41. Si id delictum & error eſt, ſe non poſſe ab eo eſſe immunem, cum ſcribat, vnius interitum eſſe generationem alterius in vna eademque materia. Si itaque omnia ſublunaria mutuo ſunt tranſmutabilia, & miſta tandem ſoluuntur in miſtilia, ſimpliciaque etiam inter ſe transfigurantur; neceſſe eſt communem aliquam primam exiſtere, quam ad ſenſum ideo non poſſumus monſtrare, quia ſeorſim non exiſtit, ſed variis ſuis

Ita & pag. 90. 95. principia Ariſtotels irridet.

partibus variè informata. In Dialecticis sunt causæ essentiales duę materia, & forma, rationis nimirum entia, ita communia, vt omnibus substantiis formaliter materialiterq; constitutis conueniant. Exempla itaq; eorum singularia necesse est in artibus his existere, quæ tractant singularia. Inter eas est Physica. Non inane nomen hic erit materia & forma, sed exemplare: Alioquin logicę rationes nihil hic exempli haberent. Consequens est, etiam Physicam suam habere formam & materiam, eamq; ita discretam, vt genera rerum physicarũ & species. Nam ordo in his est generum & specierum. Vt in Dialectica communiter est genus amplissimum & primum: est aliud medium, aliud vltimum; & species alia media, alia infima: Verum est, ita quoque in Physicis se habere. Genus generalissimum in Physicis exemplariter in materia prima & forma consistit. Genus intermedium; in his, quæ deinceps sequuntur; Genus infimum; in genere proximo quarumvis specierum vltimarum. Ea distributio non tantum intelligitur ratione vniuersæ Physicæ, sed & partium. Itaq; in metallis materia prima est, est materia media, est vltima: Prima, vt succi minerales, quales sunt mercurius, sulphur, Chalcanthum; proxima, iidem quidẽ, sed iam metallicum principium & facultatem adepti & commisti, nõdum tamen absoluti; vltima, quæ est absoluti & perfecti metalli. Ad ea principia etiã reuocandæ

candæ ſunt omnes rationes ſcientificæ de eſſentia. Nam certum eſt, quicquid in re naturali eſt, id naturaliter dependere à materia, forma, aut concurſu horum, aut abſentia ſeu priuatione & deſtructione, vt affirmata & negata hinc ducantur. Itaq; etiam inde nominantur principia. Ecce iſtam ludibrio dignam abſurditatem. Certè Chymici, qui lapidem tractarunt, adeò frequenter nominant materiã primam, vt pudere debuerit Michelium hic aliud quid vel cogitare. Eam autem habent non vnam. Nam eſt omnium prima, eſt miſtionis in genere prima; eſt prima ſingulorum generum, vt metallici; illas duas non intendunt reſolutione ſua: tertiam reſtituere ex vltima, quæ eſt metalli ſingularis & perfecti, quærunt ita, vt metallicam fœcunditatem nõ perdant. Sępè ſum miratus pertinaciam etiam Rami ſectatorum in hac controuerſia. Sed nõ omnes ſtulti reſipiunt. Seuerinus & alii quidam Paracelſitæ tamen non vsq; adeo improbant iſtam materiam. Ita enim Seuerinus in 7. Ideæ refert: Paracelſi principia ſunt ſulphur, ſal & mercurius, nec repugnat Ariſtotelis materiæ, formæ, priuationi, &c. quia ſinguli diuerſas creaturarum Oeconomias ſcrutantur.

NOTA XIX. AN CHYMICVS PER- *fectiſsima naturæ opera ad artem ſuam quærat.*

PAG. 44. ſcribit hoc falſiſſimum eſſe ſed dementia aut obliuione ſenili. Nam in- Vide notam. 21.

frà pag. 321. electionem summè necessariam esse & monet, & præcipit. Videtur autem negare velle, Chymicos in lapide conficiendo perfectissima metalla ex natura quærere. Tametsi hoc quoque repugnet præcepto proprio; videamus tamen an non ita à Chymicis artificibus sit traditum. *Natura metalla generat,* inquit Richardus, *non tincturas: quamuis occultò in se tincturam contineat plenā. Omnis species est in sua specie; genus in suo genere. Omnis natura in sua natura naturaliter virtutis affectat argumentum & fructum affert iuxta naturam suam. Omne seminatum respondet suo semini. Simile generatur à simili,* &c. Ex his apparet quid Chymicus quærat. Finis eius est aurum & argentum subsidio artis procreare. Id non potest facere absque tinctura, seu lapide. Hæc sunt concessa & immota. Vnde tinctura ista est? Aut ab arte, aut natura. Natura eam negatur explicatè dedisse; sed implicitè habere, vnde per artem sit explicanda. At, cum implicitam habet, necesse est, vt in aliquo naturali corpore comprehenderit. Id quodnam est? Eadem natura, & species, cuius est seminatum, seu ex semine factum. Hoc certè non imperfectum volunt esse sed perfectissimum. Necesse itaque est & semen esse perfectissimum. Vbi hoc nisi in absolutissimo. Ita si genera generibus, & species speciebus conferas, aurum & argentum inuenies. *Sulphur Philosophorum* (ita appellatur materia lapidis aut etiam ipse lapis) inquit idem,

Chymicos perfecta metalla ad opus suum quærere.

dem, *est ignis simplex viuificans alia corpora mortua & ea maturans, ita, vt naturæ defectum suppleat, cum ipsum per se sit superfluæ maturitatis, quia in natura sua est perfectum, & artificio magis magisq; depuratum.* Tale sulphur (addit ex Auicenna Chymico) nõ reperitur super terram nisi quãtum existit in duobus corporibus, Sole & Luna, perfectius in Sole. Duo ergo sulphura subtiliter eliciuntur, &c. idq; non sine solutione corporis & reductione in materiam primam quod est argentum viuum, ex quo facta sunt (illa duo) ab initio, &c. plura infrà recitabo. Hinc iudicari potest, quale sit quod adiicit, Chymicum versari circa vnam tantum indiuiduam imperfectamq; materiam. Nimirum diuerso respectu imperfectam materiam perficit, & tamen eam etiam perfectam à natura accipit. Ita vna est eadem ob vnitatem mistionis; quæ tamẽ constat ex tribus, Sole, Luna & Mercurio; vel duob. in vento seu camera seu spiritu coniunctis: vel quatuor, si qualitates & elementa cogites; vel septem si metallorum notas in successiua absolutione; vel omnibus rebus, si colorum varietatem & allegorias Philosophorum contempleris. Diuidua est, & indiuidua. Facile est hæc explicare intelligenti diuersitatem variorum & morem istorum artificum. Ita Michelius pag. 173. separat purum ab impuro: quod fieri non potest in simplici vnitate.

Nota hic Solem & Lunam vocari corpora; cum alias apud Paracelsum sint astra corporum seu extracta, &c.

NOTA XX. DE VIRIBVS PERfectorum & imperfectorum.

PAG. 45. *Nouit Chymicus maiores esse vires corporum imperfectorum, quam perfectißimorum.* Risu dignus est ille Michelius cum sua mystica Philosophia. Ita disputat, quasi solus saperet, cæteri vero essent vmbræ, aut vaccæ. Chymici corpora imperfecta inter metalla appellant plumbum, ferrum, æs. Hæc non possunt in Chrysopœia maiores vires habere quam perfecta, aurum & argentum. Non enim fieri potest, vt præbeant id, quod non habent. Rogerius de perfectis scribit, *aurum esse perfectum masculinum, argentum perfectum fœmineum, nec posse esse Elyxir, quia in se sunt tantum perfecta nec possunt alia perficere: Sin autem per artem fiunt plusquam perfecta in duplo, quadruplo, centuplo, vel vltra, tunc posse perficere imperfecta.* Ecce quantum tribuat perfectis, potentiam scilicet, qua euadant plus quam perfecta & tunc mutent imperfecta Quomodo autem plus quam perficiantur, paulo ante exposui. Elicitur enim ex eis materia Philosophorum, in qua perficienda elaborant. Hæc materia non vocatur corpus imperfectum, sed spiritus, sulphur, mercurius, &c. Debebat ergo, ille senex, si disciplinæ morem callet, etiam loqui, vt requirit ea; scribereq; spiritum mercurialem philosophorum & inde factum lapidem habere vires maiores, quã metalla, sicut ea natura perficit. Hęc est totius fortitudinis fortitudo fortis, vt Hermes dixit: nõ corpora imperfecta. NOTA

NOTA XXI. QVID SVMANT Chymici.

NEGAT *Chymicos recipere corpora perfectissima.* Hoc quidem ſecundum literam ita inuenitur in illorum ſcriptis. Sed intelligendum eſt ita, ſicut exponunt, nam ſi quis vellet aurum, aut argentum integrum accipere, idque ignibus fatigare, vt ad Philoſophici lapidis virtutem perduceret, fruſtrà inſtitueret opus. Attamen non nullo modo ea capiunt. Aurum & argentum natiuum non ſunt aurum & argentum Philoſophorum. Dum enim ſunt in natura ſua; nondum ſunt artis: ſed cum per artem reducta ſunt ad materiam primam Philoſophicam, & forma natiua perdita, formam artis habent, iam ſunt materia philoſophorum. Sic ergo accipiunt aurum & argentum vno modo, altero per fermentationem; tertio per augmentum in proiiciendo. Itaque tribus vicibus requiritur perfectorum ad lapidem faciendum, perficiendum & proiiciendum aſſumtio. Huius artificii & ſententiæ antè fundamenta iecimus. Sed addamus etiam plura. Non calumnianda aut peruertenda ſunt artificum dicta, ſed eis, vt monet Richardus, fides eſt adhibenda & ſic laborandum. Iam palam certumque eſt, etiam Michelio teſte, artificem non poſſe dare ſuæ materiæ diſpoſitionem eam, qua perficiat, tranſmutetque metalla: ſed eius opus to-

Vide notam 19.

Quomodo aurum vulgi non ſit aurum Philoſophorũ.

tum esse coctione & digestione assidua vim à natura insitam promouere. Intelligimus ergo in natura rei, seu lapidis initium esse; non autem complementum, quanquam ego putem, nec de hoc quoque diffidendum esse. Cogita iam cuius gratia istud sit initium; seu vt relatè loquuntur, ista imperfectio. Nonne, vt tandem, sicut in natura, ita & in arte fiat corpus perfectum per istam vim seminariam? Intelligimus ergo intra terminos & finem perfecti materiam existere, vt prosit Philosophis. Iam aut ex naturę mineris, in quibus nondum quidem sit aurum aut argentum, attamen fieri possit, est ita imperfecta sumenda: aut aliunde comparanda. Ibi quidem reuera est, vt ostendit generatio, quæ est ex non ente ad Ens, ex imperfecto ad perfectum: sed in collectione tanta est difficultas & incertitudo, vt desperandum sit de successu. Aliunde itaque comparanda materia est. Sed, si omnia contemplatus fueris, nihil inuenies aliud quam vt recurras ad naturæ primordia. Nec est illa indagatio fidelior, quam vt in fructu quæras semẽ & effectu apparente causę præsentiam agnoscas. Ostendit experientia, Mercurium esse metallorum materiam & aurum quidem perfectum esse metallum, sed tamen adeò cognatum mercurio, vt non differat, nisi fixitate & maturitate. Hinc & mercurius congelatus vocatur; & Paracelsus lib. 3. de morbis met. tract. 1. cap. 2. scribit aurum tantum esse mercurium.

curium. Hoc eſt illa res in qua natura ſemen occultauit. Hæc eſt eſt domus occcluſa, & reſeruanda. Itaque reducendum eſt ad materiam illam ex qua erat factum. Iam habes illud abſq; dubio ex quo natura aurum genuerat. Hinc ergo iam incipiendum eſt, & perfectio ſeminis ad auri multiplicationem inſtituenda. Ita eſt de argento. Hæc eſt illa naturæ imitatio, ſine qua impoſſibile eſt ad perfectum finem peruenire, vt ait Richardus. Huc contendunt omnes ſententiæ omnia ænigmata, allegoriæ, & cætera artificum. Augurellus in Epicis ſuis ita docet.

Non tamen aut viuum ſulphur, tremulũue reponas.
Argentum, vel quæ vndanti delata vapore
Exit ab his primum putriſq; infectaq; vena:
Sed purum atq; omni purgatum ſorde metallum
Accipies, cuius ſecreta in parte receſſit
Spiritus, & craſſa pectus ſub mole latenter
Victitat, ac ſolui vinclis, & carcere cæco
Emitti expectat tenues effuſus in auras.
Quæque erat innato ſubſidens pondere moles,
Iam leuis aſcenſu ſuperas contendat in oras, &c.

Repudiat ſcilicet vulgi ſulphur, vulgi hydrargyrum & ex his compoſitam cinabarim, Aurum purum & perfectum requirit, iubetque ex eo elicere ſpiritum latentem, vt fiat ex fixo volatile &c quod nihil aliud eſt, quam prima auri materia, ſeu mercurius qui fit auro calcinato in pulueris ſpeciem, & poſtea viuificato, ſicut ſcribit: *Arida namq;*

Pulue-

Pulueris hæc extra speciē se prodit, at imis
Vuida contusi liquet in penetralibus auri.

Rogerius, *cum ex mercurio, & sulphure cuncta procreentur metalla, inquit, nec vlla res metallis adhiberi debeat, quæ non sit ex ipsis composita: relinquitur, quod nulla res extranea & non orta ex mercurio & sulphure potens ipsa perficere. Sulphur ergo & mercurius, sunt materia lapidis nostri. Non autem sulphur & mercurius per se gignunt metalla: Sed ex amborum commistione diuersa diuersimode procreantur.* Ergo lapidis materia ex amborum mistione constat. Apertis verbis & ratione expedita monstrat contra Michelium, materiam lapidis debere esse ex metallorum materia, non separata, sed composita, vt iam habeat metallicum principium. Sed quis componit, num ars? Neutiquam Hæc enim ignorat dispositiones principiorum ad metallum, nec ingenerat naturas. Itaque naturæ id est opus, sed num miscet, postquam Chymicus vniuit in vno vase? Ne hoc quidem. Oportet enim seminariam vim ex matrice naturali esse. Sumit itaque per naturam vnita. In hanc sententiam porro ait Rogerius. *Si eligeremus sulphur, & argentum viuum, sicut est quodlibet: oporteret nos miscere secundum debitam proportionem, quam homo ignorat.* Vnde ergo? Cum inueniamus, inquit, corpora, in quibus hæc dudum à natura secundum debitam analogiam & proportionem sunt mista ideo melius ex his sumuntur. Ecce iuncta vult

Natura cōponit materiam. Post est alia cōpositio artis.

illa

illa principia naturaliter, quod dum fit, metallum existit necessario. Metallum duplex est perfectum, & imperfectum. Ex his nemo, nisi stultus, petit semen perfectionis, sicut nec semen pomi ex virgulto petitur, sed ex perfectæ arboris fructu. Itaque ex auro & argento. Vin' & Gebrum audire? Ita is Philosophatur in summa perfectionis: *Hæc Medicina elicitur ex corporibus metallicis.* Quomodo, & quo adminiculo? *Ex solo argento viuo, respondet, facilius propinquius & perfectius invenitur, quoniam natura propriam naturam amplectitur amicabilius, & ea gaudet magis, quam extraneo, & in ipso est facilitas extractionis illius substantiæ subtilis, cum iam actu habeat subtilem substantiam.* Hæc ille repetit in 11. perfectionis, quomodo & Augurellus aquis fortibus mineralium improbatis scribit:

Sunt aliæ ex aliis quærendæ fontibus vndæ,
In quibus ex sese nulla vi leniter aurum
Humescat, nullo alterius veniente liquoris
Auxilio exterius, propria soluatur in vnda.

Itaque iubemur Mercurium facere per Mercurium, ille corporum est, hic crudus &c. vt aperte iterum Geberus: *Substantia hæc*, inquit, *Mercurii (qui est materia lapidis) elicitur ex corporibus & argento viuo secundum naturam, cum sint reperta vnius naturæ, &c. In corporibus difficilius intenitur, in argento vino propinquius, sed non perfectius*: quæ verba innuunt Mercurii Philosophici speciem in hydrargyri forma apparere vi-

re vicinius, ſed non ita perfectè, vt in corpore auri. Attamen ſemen ex perfecto ſumendum eſt. Redigatur ergo aurum ad Mercurii vultum. *Richardus iubet ſerere aurum & argentum, vt afferant fructum cum labore tuo (artificis) & mediante natura, quia ipſum habet & eſt (Nota) illud quod quæris*: Item: *Elicitur non ſine ſolutione corporis, & reductione in materiam primam, quæ eſt Mercurius, ex quo facta ſunt metalla ab initio: Et Medicina eſt ſimplicis & mineralis naturæ, producta ex aqua Mercuriali, in qua aurum & argentum prius ſunt ſoluta.* Non ignoro huiuſmodi dicta legiſſe etiam Michelium, & pag. 275. allegare. Sed ex fine intentoque Philoſophorum potes eſſe certiſſimus, & deprauationes Michelianas facile declinare. Non enim aurum & argentum duntaxat ſunt fermentum, ſed ipſa maſſa fermentanda, ex iiſdem conficitur, nec poteſt fermentum eſſe alterius naturæ, quàm fermentandum. Aſpirarent enim non ad vnum, ſed ad diuerſa. Nihil extranei, & non metallici in toto proceſſu, pręterquam in præparatione, addendum eſt. Ex vna re, vnaq; natura conſurgit totum compoſitum, cuius partes non differunt eſſentia ſed diſpoſitionibus, ſicut domus clauſa & aperta, Mercurius fixus & volatilis. *Cuius terra non eſt mineralis, id excluditur, vt animalia & vegetalia,* inquit autor propoſitionum in Turba? *Et quicquid excedit valorem vnius vnciæ auri puri non eſt de intentione maioris operis. Quindecim grana fermen-*

menti sunt iodnea pro opere maioris ordinis & ea emuntur vili precio. Vbi intelligis & radicem & fermentum ex auro esse. Id acetum requiritur quod aurũ fecit: ex Auro & Mercurio facienda est aqua per coctionem, quæ coagulatur, cumq; auro alio siccatur & pulueratur. Sed tædet plura adducere. Iudica iam, quale sit istud scepticum, quod effutiuit pag. 45. *Scito te in illorum esse albo (& quidem albo, non nigro) qui aurum & argentum ex vulgi opinione subiectum* Chy*miæ credunt.* Ego vero mihi persuasum habeo vulgi opinionem falsam esse. Non enim ex auro & argento fit lapis, sed ex mercurio, qui ex illis extrahitur. Nec est principium artis in auri fractura, sed in materiæ iam comparatæ perfectione. Errant qui ibi desinunt, vbi incipere debebant. Non autem caret argutia quadam quod Philosophi primordium artis non ponant in auri Physici dissolutione. Nam non excludenda erat naturæ potestas, Et fors alicubi hanc materiam inuenias etiam per se in natura, vt non opus sit illa reductione. Certe sæpe inuenitur aqua argentea quæ postea in argentum coagulat: Sæpe aurum in hydrargyro, vbi licet non Catholice dicere possis, partem liquidam esse auri materiam nõdum coagulatam, partem vero fixam, coagulatam: tamen aliquando id euenire, & nõ agnosci est verisimile. Quoniam autem magna hic errandi occasio est, plærique iubent παρασκευὴν materiæ instituere ex corporibus

Principium artis diuersimode accipitur.

per-

perfectis. Et postea tandem verum opus peragere. Quid attinet ad axioma. *Corpora per naturam solum in minera absoluta esse mortua non intellexit* Michelius. Sensus est, si sibi sola relinquantur, quia iam sunt fixa, nec motum habent, non procedere ad vim lapidis. Sin ars accesserit & fixitatem tollat introducatq; volatilitatem & motum denuo exuscitet, non debet ambigi de successu, si benedictio diuina & industrius labor non defecerint. De septena, dena, duodena multiplicatione hic senex fabulam texit. Notum est in lapidis digestione diuersis partibus diuersas existere virtutes, & posse repetitis operibus eum exaltari in infinitum. Primis itaque diebus septem partes tingit vna, aliis plures. Hæc passim sunt proclamata in libris Philosophorum. Sed nec ignoro illas multipliationes à sophistis in materia sophistica esse tentatas, & quosdam septies sublimasse suum mercurium, quosdam sæpius. Videat ille senex, ne Sophismata arripuerit, quod mihi valde videtur elucere ex numero denario & duodenario, qui tamen etiam sunt mystici, vt inter cæteros etiam Ioan. Dec. Londinas retulit. Ex his patet & reliquorum enunciatorum pag. 46. & 47. explicatio, quanquam Michelius videntibus oculis non videat. In multorum manibus versatur id, ex quo lapidis materia fit: sed non agnoscitur. Id autem est aurum & argentum, & Mercurius; ex quibus fieri tam efficacem

Corpora in minera mortua.

Multiplicatio.

vim

vim posse non credunt, nec, cum modum ignorent, experiri licet.

NOTA XXII. QVAEDAM MICHEliana deliria accruata.

PAG. 48 & seq: In Galenum debachatur; Sed nullo nouo argumento, contraque suum axioma de nõ mordendis mortuis. Pag. 50. scribit *Galenum cum suis sequacibus fere omnium morborum caussas ad humorem crassum, salsum & adustum referre, quibus aliquando addant malignitatem.* Hoc falsum est aperte, & mihi plane auditu nouum. Si quid priuatæ litis ipsi est cũ maritimis Medicis, qui fortasse sua quadam obseruatione ita statuunt, cum illis agat, nec mendaciis alios vniuersamq; facultatem conspurcet. Pag. 51. *stultitiam narrat tam antiquam esse, quam est sapientia.* Hoc locum habuerit in Michelio. Sacræ literæ secus docent, vt videre est Prouerb. octauo, vbi Sapientia dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret á principio: ab æterno ordinata sum, &c.* Si limis saltem inspexisset Philosophiam, inuenisset semper affirmatum & positiuum negato priuatiuoque esse prius. Qui enim negat & priuat, aliquid præexistens negat, & priuat. Pag. 52. 53. & 54. puerili errore (quid enim dicam grauius in senẽ bis puerum?) *putat Galenum de effectu frigoris & caloris in inspissandis humoribus ita docere, ac si statuat calorem & frigus esse materialem caussam crassitiei.* Erras

Galenus roditur.

Ætas stultitiæ.

Caloris & frigoris effecta in crassitie.

ras Micheli, nec ſatis exacte vſus es perſpiciliis, aut iuſto es obliuioſior. Non cauſas materiales, ſed efficientes, cum Ariſtotele & vera experientia iudicat. Itaque ſuperſedere poteras labore confutandi, cōuitiandique. Imo tua vineta cæde, & contemplare exactius quam vere ſcribas id, quod natura craſſum eſt, gignere craſſitiem. Phyſicam hic video exilem, nullam Chymiam. In Ethicis fortaſſe craſsū ingeniū craſſa gignat mendacia vt, poſtea in Phyſicis ſimile ſimili proueniat, nō vt cauſa efficiente, ſed vt materia craſſa ingeſta ſubtilibus, quomodo craſſeſcit tuum lotium, ſi ingeſſeris alumen, & halonitrum, aut ēt pus & ſenile phlegma. Quæ addis de laticis notatione, quaſi latex humor dictus ſit inde, quia in eo aliquid latitet, quod coagulari poſſit, ſcholaſticos mihi docere videris, ad quam rem fortaſſis eras aptior, quam ad certamina Medica & Chymica. Penottus appellabat aquam, quæ intra terram latet, aut vinum, quod in vua. Cum laruis luctaris. Pag. 54. dum conſtanter negas calorem eſſe craſſitiei cauſam materialem, & humorem. De illo quidem ſis ſane conſtans: De humore videris mi titubare. Nam caloris natiui ſubſtantiam ſpiritum & humorem alicubi ponis. Committo te tecummet ipſo. De craſſitie non places. Dicis eam eſſe corpus in humore latens, inſenſile quidem, attamen viſibile, cum humiditas exhalat vi caloris. Non ſatis

Latex vnde.

Craſſities Michelii.

tis constas mente, mi Micheli. Summo genere differunt qualitas & substantia, crassities & materia crassa, seu potentia seu actu. Ramæis quoque Coniugatorum lex ostendit crassitiem esse formam crassi. Nec catholicum est latitare in humore crassitiem, hoc scilicet corpus, quod emergat calore dissipante humorem. Nam cum semen, aut oui album, aut Crystallus oculorum calore crassescunt, nulla fit diuaporatio. Nec cum frigore glacies coit. Eadem veritas est in hydrargyro congelante in Crystallum, vnde reuocatur totus absque vlla iactura idque vel in mediis feruoribus prunarum: aut etiam simplici, crebra tamen ex aqua ablutione. Sed de his & similibus erratis, quantum ad informationem pertinebit, alibi plura. Non omnia possumus percurrere. Totus enim liber Michelii est vlcerosus.

NOTA XXIIII. DE CORPORE CRASSI *humoris.*

CORPVS *quod constituit crassum humorem,* scribit pag. 55. *non est terreum quid simpliciter, quia simplex terra aquæ aut humori minimè miscetur, sed incorporatur; nec necesse est, vt sit solubile quid, vt quod salis, aut aluminis, aut vtriusque naturam sortitum est. Ergo in humoribus, qui inspissantur, corpus terrestre aut salis est, aut aluminis; non caret tamen terra simplici, & vocatur tartarum.*

Tartarum.

tarum. Ita ille. Non ſunt hæc temerè prolata. Fundamentum habent Michelianæ opinionis, produntque vniuerſam eius tam Anatomiam humanam, quam Chymiam & Medicinam. Notabo nonnulla paucis. Non poſſunt accipi de omnibus, quæ coagulatione fiunt. Non enim omnia ſunt tartarus, nec omnia eius naturam habent, veluti de lapidibus, ſuccis igneis concretis, vt ſuccino, ſulphure, &c. Oſſibus, cartilagine, lignis & huiuſmodi multis neutiquam ſunt vera. Quuanquam enim hæc concreta ſunt, non tamen ita conſtiterunt, nec ſunt in humore ſolubilia. De metallis cõſtat quidem, ea poſſe in hydrargyro ſolui, ſed ad illam ſolutionem duntaxat analogicè aut comparatè. Oportet itaque arbitrari Michelium noluiſſe Catholicam Phyſiologiam inſtituere, ſed de concretis & ſolubilibus in corpore humano loqui ad mentem Paracelſi de tartaro, tartareisque morbis, & ſuam phantaſian. Impingit autem hæc ratio ſtatim in ipſo limine. Nam non tantum is humor, qui in ſe habet craſſitiem coagulabilem reſolubilemque, fundamentum eſt morborum, ſed & alii ſiue in ipſa radice generationis ortuque peccent, ſiue poſtea. Deinde, quorſum Paracelſica principia? Quorſum mineralia cætera, ex quibus dicuntur morbi vitriolati, arſenicales, realgarici & ſimiles? Si ea omnia referuntur ad tartarum, non verum erit, coagulabilem iſtã naturam aut ſalem, aut alumen, aut vtrumque referre.

referre. Inſuper, quid rei ipſi eſt cum humore tam inuiſo vniuerſis Paracelſitis? Quid cum terra ſimplici? Cauſas morborum oportet analogiam habere cum principiis ſanitatis. Et Paracelſici, vt ex tribus illis ſuis corpora naturaliter conſtituunt; ita etiã ex iiſdem deriuant morborum cauſas, idque non abſurdè. Deinde, vt ſimile conſeruetur ſimili, & morbus itẽ ſimili pellatur; neceſſe eſt tam conſeruans, quam curans ex illis tribus eſſe. His Paracelſiæ decretis quomodo congruant Micheliana, fateor me videre non poſſe. In Galenica ſeu Platonica & Hippocratica ſchola ille humor in corpore humano, aut naturâ inerat, aut præter naturam: ſub quo comprehendo temerè ingeſta, & nec iuuantia, nec lædentia. Qui naturâ ineſt modo principium generationis eſt, vt ex eo coagulent membra, modò conſeruationis, vt in ſubſtantia permaneant. Ita mundus factus eſt, inquit Hermes, fuitq; tum maior mundus initio aqua, tum minor: ad quam poſtea congruit lapidis Phyſici fabrica, vt ſic tria hæc egregiè conſpirent. Humor conſeruationis, obiter gignit excrementa & ſuperfluitates, quę, ſi in corpore manent, aut copia nocent, aut qualitate, veluti acredine, calore, frigore, conſiſtentia dura & moleſta, &c. Sed tamen non adeo exorbitant, quin in eis deprehendi poſſit conformitas, & analogia cum elementis alimentiſque (non intellige ſtatim illa externa mundi) Hinc conſequens

Paracelſici humores ſpuunt.

Vide Roſariũ Philoſ.

ſequens erat & elementa & nutrimenta nihil aliud eſſe, quam tartaream ſubſtantiam, cum ſint ex eadem radice & arbore, ex qua ille humor. Non ex quouis fit quodlibet, ſed determinatum, quanquam Michelii captus non potuit aſſequi vim huius principii. Scio, quid Paracelſitæ ita capti ſoleant reſpondere, nempe conuitia, opiniones frigidas, rigidas analogias. Sed, quid aliud hæc habent, quam peſſimæ cauſæ peiores ſophiſticationes & vanitates? Obiter etiam aliud nobis eſt contemplandum. Vult Michelius ex ſententia Paracelſi ex Ammonii deliriis proiectitiis collecta, medicinam debere morbum tollere ſimilitudine, & morbos exiſtere ex tartaro: hunc ex pauca terra, ſale, & alumine. Ecce in ſacrarium Eleuſines peruenimus. Liquido patet Michelianam medicinam vnicam & vniuerſalem ex hoc fundamento eſſe extructam. Qui enim aliâs ſit vniuerſalis? Qui tartareos morbos ſanet? Lotium eſt ille humor diſſipabilis, ex quo exiſtit terra craſſa abſumta humiditate. Ei iungitur ſal petræ & alumen, itaque vnitur, vt fiat liquor vnus ex tribus: quod tamen ſtultum eſt. Cum enim natura ex vino det tartarum, fruſtra eum arte quærimus. Sed de hoc infrà. Experimentum id familiæ Naſſauiæ olim fuit. Inde potuit ad Michelium peruenire. Sed rari Itali boni Chymici. Si ex talibus conficit ſuum lapidem, pridem abſolutus

Fundamentum & inueſtigatio lapidis Micheliani.

absolutus est ab omni spe artis, & ad Sophistas reiectus.

NOTA XXIIII. DE TARTARI MIneralium cum humoribus collatione.

PRAECLARA Paracelsum afficit laude ob introductam tartaream medicinam. Sed nescio, an pariter futura sit grata, & Michelio proficua. Ita docet pag 69. *Paracelsus nomina mineralia Humorum loco introduxit, iuxta suas cum mineralibus similitudines, non intelligendo formas, seu corpora, sed cognationem saltem, quam videntur obseruare in alterando.* Euge ne quid nimis. Vbi tartarus? Non est minerale tartarus. Deinde, non concedent tibi alii Paracelsitæ nec humores, nec similitudines. Ita enim reuera in corporibus nostris haberemus humores, quibus tropus accommodauerit nomen Rhetoricum. At Paracelsitæ tollunt omnes: nec similitudines, sed res ipsas ex maiore mundo transscribunt in minorem. Nec est satis honorifica illa censura Michelio. Refellit enim suum Doctorem Paracelsum; & mox etiam seipsum. Nam pag. 56, hæc ponit verba: *Quasi vero de nomine tantum, & non de rei essentia esset controuersia*: Si tantum tartarus ab humore differt, quantum à cælo terra; quorsum tartari natura in humore esse dicitur? An non pag. 57. scribitur, omni humori inesse tartarus? Erit quoq; eadem ratio mineralium. Vbi iam tropica illa Philosophia? Sed quando

Paracelsici principii mala explicatio.

de tartaro incepimus loqui, adiiciamus & cætera paradoxa Micheliano Paracelsica. pag. 56. *Tartarum dictum esse*, ait, *quia ægrotantes non aliter, quam ignis tartareus incendunt ex eo factum oleum, sal, tinctura.* Hæc sunt verba Paracelsi ex lib. 1. de morbis tartareis cap. 1. Non itaque ego culpandus eram, si quid transscripsissem ex Erasto. Sed si illa tria sunt tartari principia, quomodo Mercurus Michelianus est frigidus? Quomodo omnes morbi erunt ex tartaro? Qua ratione omnes sanabuntur essentiis tartareis? Quis velit se incendi tanquam igni tartareo? Vos illas medicinas bibite, qui consueuistis Phlegethontem lambere. Videtur inde consentaneum esse Tartarum dictum, quia ad tartarum mittit vtentes, aut potius præbentem medicum. Sequitur enim hoc ex illa notatione, & effectu essentiarum Paracelsi. Græci à ταράσσω putant tartarum dictum, quod turbet manes, quomodo etiam tartarus vineus vinum. Sed pergamus. pag. 57. *Tartarum omni humori inesse pronuntiat.* Videtur de homine sanando loqui. Id si est, non vnus humor erit, sicut pag. 79. de Chymicorum suorum decreto memorat, sed plures. Galenicorum itaque hostes fiunt eorum patroni, quod apparet etiam ex pag. 61. vbi plura, diuersaque humorum genera conuasauit, & ex materiæ partibus dissimilibus est architectatus. Perge Micheli. Tot sunt species Tartari in homine, quot tartari extra ho-

Tartari etymon.

Michelius habet multos humores tartareos.

Species tartari.

tra hominem in aquis, ſuccisque plantarum & animalium: Item pag. 58. Neceſſarium eſt, omnes eius ſpecies, quales ſunt in mundo cognoſcere. Ohe Micheli. Tantum cuique credendum, quantum demonſtrare firmiter ad perſuadendum euidenter poteſt. Tu demonſtra iſtud, quod dicis. Neq; genericè neq; ſpecialiter potes id docere. Non enim cognoſcitur perfectè genus, niſi cognitis omnib. ſpeciebus. Iam, cum infinita ſit ſuccorũ & aquarum in maiore mundo varietas, quomodo ſcis, eos omnes aliquid tartari in ſe habere? Vnde congruere cum homine & eſſe in eo? An etiam ſunt infinitæ aquę & ſucci in homine? Dices ex analogia maioris & minoris mundi id patere. At inquam iſtud lõgè incertiſſime & cõfuſiſſimè. Neq; enim ſi homo eſt minor mundus, neceſſe eſt omnia, quæ ſunt in maiore, in eo exiſtere. Satis.n.erat analogiã in menbris principalibus eſſe. Deinde, vnde probas hominem minorẽ mundum eſſe? Platonici & Peripatetici mundum maiorẽ dixerunt eſſe animal magnum, cuius reſpectu animalia in terra ſint animal paruum, ita vt non excluſæ ſint beſtiæ. Sed vt nulla neceſſitas cogit in magno mundo eſſe ea omnia quæ ſunt in paruo (foret enim rationali anima præditus, &c.) ita nec contra. Hominis dignitatẽ exprimere voluerunt quodãmodo, qui ſcripſerunt, eũ eſſe cõpendium vniuerſi, quo nõ tantũ viſibilia cõprehenduntur, ſed & inuiſibilia.

Id nuper repetiuit Ieſſenius in Zoroaſtre.

Sed cum tam fallax & variũ ſit fundamentũ, quæ ſtultitia eſt inde texere axiomata ſcientiarum, quæ vſurpes ad euidentes res refutandas? Sed, vt fatuitas Michelii magis pateat, attendite & hoc. pag. 58. ſcribit: *Neceſſe eſt, vt iuxta varia morborum genera ex variis tartaris* (quæ dicebat tot numero eſſe, quot in mundo liquores, & quidem etiam in homine) *etiam remedia varia ſint quærenda, ita, vt aliud ſit, ad tartarum vini, aliud ad tartarũ aquæ, aliud ciborum, fructuum,* &c. Si neceſſe eſt hoc; cogentur Medici, nec erit in eorum arbitrio res. Infinitas itaque habebunt Medicinas, quę totidem tartaris conueniant; & cum ex ſingulis variæ exiſtant miſtiones, complicationesque; quot exurgent miſta Pharmaca? Cur vna vniuerſalis Medicina confingitur, ſi id neceſſe eſt? Omnium vim habet, dices. Monſtra, inquam, iſtud. Neque vero potes effectu id euincere, nec vlla alia ratione per inductionem. Non vero percurri poteſt infinitum. Philoſophi, inquies, dixerunt. Dixerunt, inquam, atque etiam ſcripſerunt. Nos autem non curamus, quid tui Philoſophi dixerint aut ſcripſerint. In hoc verſatur cardo: Proba experienter. pag. 59. *Tartarus eſt illud impurum, quod eſt cum corporibus.* Si hoc verum eſt; & tartari tot ſunt, quot humores, liquores, aquæ, ſucci, in magno & paruo mundo: nullus humor, liquor, aqua, ſuccus eſt ſecurus immunisque ab impuritate. Fortaſſis ita erat quoque in Paradiſo. Nam

Varii tartari varia remedia contra vniuerſale vnum.

Tartarus quid.

tartarum infernalem peccatum quidem excitauit, at Paracelſicum non videtur. Eſt. n. naturalis quædem apocriſis è vino, æque in paradiſo euaſura, ac poſt. Sed ridiculum eſt, ſi tartari natura conſtat ex terra, ſale & alumine, hæc omni cibo, potui, atque porro etiam corporibus, in quibus nunquam ſunt inuenta, nec vlla vnquam arte ex eis elicita, ex mera phantaſia communicare. Certe cũ humores radicales item impuritates ſecum habeant nihil quod gignitur abſque alumine & ſale erit. Vbi eſt id alumen, quod extractum eſt ex Michelio? Inuenimus tamen in hac doctrina aliquid ſolatii, propter quod optanda eſt eius veritas. Cum enim in tartaro ſit pauca terra, plus vero aluminis & ſalis, quorum natura eſt ſolui in humore, facile poteramus nos à cauſis morbificis expedire, ſi nimirum corpus aquis copioſis proluеremus. Principium enim concretionis, monſtrat modum reſolutionis. Sane ſcribunt tartarum talem coagulatum eſſe morbificum, & egere reſolutione, vt poſtea expellatur. Non lapide Philoſophorum ergo medendum eſt, ſed liquoribus & aquis: imo potius abſtinendum, quia omni tartaro reſoluto & omni impuritate adempta, non erimus amplius in viuis. Non hic eſt ignis purgatorius, nec tartarus igni ſoluitut, ſed calcinatur fitque peior & nocentior. Aliæ vnde luſtrales ſunt expectandæ, ſolutio alia. Nolo dicere de veſania, qua aſſerit omne corpus debuiſ-

Omne corpus ſimplex.

debuisse esse simplex. Conditum erat initio, non vt esset simplex, sed ne peccaret, & innocente piaque vita Deum mundumque coleret. Si mansisset homo integer, esurus, biburusque erat, & excreturus superflua, & impuritates. At sine morbo, & difficultate. Si itaq; tartarus tunc fuisset, non fuisset morbidus. Frustra simplicitas prætenditur.

NOTA XXV. DE HVMORIBVS GALEnicis & qualitatibus, quibus distinguuntur.

NON de tota humorum & qualitatum controuersia hic agam: Est enim alibi satis declarata. Quid Michelius deliret, videndum est. Pag. 62. ait: *Vnusquisq; humor certa humoris terrestris latitudine & qualitate circumscribitur: ex quo intelligitur, in quanto errore versentur ii, qui quaternario succorum numero immersi, vanis qualitatibus humores distinguunt. Nam, cum qualitates inanes sint corporum vmbræ, substantiarum discretionem facere nequeunt.*

Humor.

Qualitas.

Videtur ille in Hippocratica schola enutritus infeliciter ab ea defecisse, & Paracelsicis adiecisse animum idque in senectute sua. Legi certe Paracelsi & eius asseclarum scripta, sed tam pueriliter nullum fabulantem animaduerti. Primum pro humoribus, quos oportet esse multos, contra vnitatem illam, quam alibi asserit, simplicibus nobis creat duplicatos, humorem terrestrem humoribus aliis immiscens

Michelius. habet multos eosque duplicatos humores.

niſcens quo diſtinguantur. Non quidem hoc nobis adeo repugnat, ſed quomodo cum ſuo principe conueniat, viderit. Deinde, humores diſtinguit latitudine. Atqui id eſt, proprietatis & anguſtiæ; Latum enim commune eſt, nec facit differentiam. Tertio diſtinguit eoſdem qualitate. Si hoc ſerio enunciat, cur mox erroris magni accuſat? Fallitur & ratione. Nam ex antecedente neutiquam apparet conſequens poſitum, ſed potius idem eſt cõcludendum, quod eſt in antecedente. Quinto, cur vanas appellat qualitates, quas & Chymici veteres, quos prædicat, agnouerunt, ex euidentia rerum cogit etiam Paracelſitas? Dicunt Elementorum eſſe qualitates, & ſuccos implicitos ita elementis, vt ſeparari omnino nequeant. Neceſſe itaque eſt elementa ſuccis adeſſe non indefinite, aut indeterminate, ſed certo modo pro ratione cuiuslibet ſucci. Hoc autem diſcrimen facit, vt poſſim recte dicere, hic ſuccus differt ab illo, quia elementa accepit ſingulari quadam ratione. Idem eſt de qualitatibus, quibus elementa differunt. Si error eſt, qualitates agnoſcere, non minus is Paracelſitis debetur quam Platonicis. Sed nec vanum eſt id, quod tantas ad agendum patiendumque vires obtinet. Frigore certe calor expugnatur, ſiccitate humor. Si calidum humidum noſtrum poteſt à qualitibus illis deſtrui, non ſunt contemnendæ. Sic, calor elementaris quantum poſſit in nos, febres ex

Paracelſici coguntur qualitates agnoſcere.

ſolis

ſolis æſtu contractæ & lipothymiæ balneis conciliatæ, aliaque abunde conteſtantur. Eſſe etiam ab humiditate & frigiditate auxilia, non ſecus, ac à calore, quis ignorat? Quomodo iſtas qualitates pro vanis haberet Medicus? Sexto de quaternario humorum numero iam ſecuri ſumus, poſtquam cognouimus Michelium facere infinitos. Nos certe ſcientiæ, quæ eſt in catholicis, ſumus propiores, & ſi omnino de homine tanquam minore mundo ſtatuendum eſt ex analogia mundi maioris, cum videamus in maiore eſſe elementa quatuor, totidem primis qualitatibus inſignita, recte eadem in minore ponimus, & elementa quidem, cum in maiore ſint miſtorũ materia, quæ initio creationis creditur fuiſſe miſtura humida, confuſis ſcil. terra & aqua, etiam in minore ab initio ſpecie humoris adeſſe, ſunt putanda, quæ res confirmatur lapide philoſophorum, quem omnes artifices ex ſucco faciunt quatuor elementis & qualitatibꝰ exornato. Sed ſi ita ſe habẽt principia generationis, an nõ & cõſeruationis? Nõ alio fit quid, & conſeruatur. Eo alimur, quo conſtamus, cum neceſſe ſit alimentum abire in ſubſtantiam alendo eandem, ne homogenia pereunte introducatur heterogenia. Ita nutriunt ſuum lapidem Philoſophi. Noſtra itaque elementa innitũtur duplici fundamento naturæ. Sed cum qualis eſt arbor, tales etiam ſint fructus, & ſimile gignat ſimile tu Micheli

porro

porro considera non tantum fatendum esse in nobis esse elementarios, alimentariosque humores, sed & superuacuos. Assume & principium Paracelsicum de conseruatione & curatione per similia. Humores Hippocraticos augebis, & illum quaternionem Pythagoricis & Chymicis sacrum, non tam temere contemnes. Ecce accipimus Paracelsica principia, sed ex iis non tuum, verum nostrum consequi symperasma firmissimo iudicio deprehendimus. 7. culpas nos qualitatib⁹ distinguere humores. Fundamentũ ante immōtũ audiuisti tã ex Platonica Philosophia, quam Paracelsica officina. Non eris amplius nobis iniquus. Sed tamen, si tibi licebat qualititibus circumscribere humores tuos, cur nõ & nobis? Ingratum forte tibi est repuerascere. Sed tamen cogita, nisi nimium es obliuiosus Dialecticam admittere distinctionem subiecti per adiuncta. Crede etiam porro Galenicos pridẽ tuos, nũc nõ tuos nõ ita esse puerili captu, vt istã distinctionẽ exmeris vanisq; qualitatib⁹ deducant, vt sese illæ sensibus offerunt. Interius quid & substantiale per externa designant. Quid enim est, quod illi totam naturam tam sæpe ingeminant? Quid est, quod non tantum à cibis potuque nos frigefieri, incalescere, siccescere, humectari scribunt, sed & in membris ita mutari, vt ea acquirant vim alexipharmacam vt Mithridates, deleteriam, vt ille Rex Indiæ, cuius sputum erat pernicio-

Galenicorũ qualitates.

ciosum: purgantem, vt lac vaccæ Scammonium pastæ, vim aduersus calculum, vt capra saxifragis nutrita: Bezoardicam, vt cerui, vt Pernanæ capræ: melancholicam, ex cibis crassi succi: phlegmaticam ex crudis viscosis, &c. Et sic est etiam de aëre locisque, vnde quædam ingenia bæotica, quædam syluestria, & sic in reliquis. En vos doctrinam nostram vobis rapuistis tanquam fures, & mendacissimis commentis deprauastis, nulla inducta nouitate, nisi vocularũ ex fatuis similitudinibus & atrocissima conuitiandi libidine, stultissimisque somniis, & Iliade vanitatum, quibus veram apertamque doctrinam conspurcastis. Sed ne dicas me ex Erasto declamare, parco verbis. Octauo falleris, cum qualitates appellas corporum vmbras. Sunt enim corporis qualis rationes, virtutesque. Vmbra est Imago corporis seu vestigium eius aduersi luminosi radiis non illustratum, atque ita ad normam corporis abscissis vetitisque radiis designatum. Non ita hercle qualitates. Nono temere negas qualitatibus Academicis, & vt doleas, Galenicis, non posse distingi substantias. Rationem ante audiuisti, quod non communiter insint rebus singulis sed determinate, sicut in lapide Philosophorum, quo exemplo libenter vtor, quanquam nouerim te tingi, & tantũ non rũpi. Vin' aliquid de his ex Rosario maiore, Arnoldo, Hortulano? Dixerunt aliqui, *Quod in opere lapidis appareant omnes*

Quilitates nõ vmbræ.

omnes colores, qui in toto mundo excogitari possunt. (Recte Arnolde. Nam idem scripsit Michelius) *Hoc est Sophisma Philosophorum,* (Ecce tuum colorem Micheli) *cum non appareant nisi quatuor principales, Et quia ex eis omnes alii trahunt originem, ideo dixerunt omnes colores. Et si tibi non apparent omnes colores, non cures dummodo poßis elementa separare* (In materia lapidis sunt elementa,) *Nam citrinitas Cholerã significat adustam, & ignem. Rubedo sanguinem & aerem: Albedo phlegma & aquam: nigredo melancholiam & terram.* Ehem Arnolde Galenissas nimium. Non ita legisti veteres, vt Paracelsus, & tamen Michelius putat, te lapidem suum potuisse fabricare, esseque Philosophũ, Idem Hortulano asscribitur. Habes quatuor elementa, & totidem humores. Si omni fide maior est autoritas tuorum philosophorum, vti significabas, non oportet te refragari. De qualitatibus num quid desideras? Alphidius ignẽ sapientum calidum in secundo, & humidum in primo gradu facit, quę quãquam symbolica locutio sit, tamen qualitates statuit. Alii fimũ putrefactoriũ calidũ & humidũ scribunt. Tudiano philosopho hęc tribuitur sentẽtia: *Lapis noster est aereus & volatilis: in manifesto frigidus humidus, in occulto calidus, siccus, &c.* Vide q̃ pulcherrime inde extruuntur in Rosario. Ita cũ Galeno in trib⁹ conueniunt isti sui Philosophi. Videamus & quartum, ꝙ de tota substãtia habet Gal. & à philosophis appellatur 5. esẽtia. Ex Cal. Rosariũ mai⁹ talẽ descripsit o-

Res mai. patet, quod lapis noster sit ex 4. elementis, &c.

Ita Arist. chymicus; cũ habueris aquam ex aere, aerem ex igne, ignẽ ex terra plenam habes artẽ Philoso. phiæ.

Quinta essentia veterum in arte.

rationẽ: Nota: *Differẽtia est inter elementũ & elemẽtatũ, & quintã essentiã. Elementũ est primũ cõponibiliũ vel mistorũ vnde nec terra, nec aqua, nec aer nec ignis purũ elemẽtũ est & simplex apud nos, quia inter se iuuicem ista cõmiscentur, & maxime in illa parte, vbi se coniungunt. Sed quinta essentia est corpus per se subsistens, differens ab omnibus elementis, & elementatis tam in materia, quàm forma, tam natura, quam virtute, non habens in se causam corruptionis, & dicitur quinta essentia ideo, quia ex omnibus elementatis est extracta, nec in ea est motus elementalis, sicut in aliis corpuribus Elementalibus.* Hæc Paracelsici quidem corruperunt, sed Galenici sciunt ab Aristotele, Galeno cæterisq; eadem scribi de tota natura, & calidi innati substantia, vnde postea dependent tertiæ seu occultæ, quas appellant, qualitates viresque quarum motus non est elementalis. Aliqui istam naturam cœlitus deduxerunt. Sed rectius femineo tribuitur principio, nec tam est aliena ab elementis, quin in eis conseruetur, imo initio creationis etiam ex iisdem sit concinnata, accedente diuina virtute in eis instituta. Itaque & nascitur in eis, & ab eis sustentatur, & incrementa capit, tandemque etiam arte separatur, quanquam non omnem elementarem conditionem exuat, vt agnouit Seuerinus. Quod dicitur in se causam corruptionis non habere, non negat corruptibilem plane esse. Vi enim externa corrumpi potest. Mysterium sane in ea est naturæ non conditæ

Id & paracelsus in lib de renouatione agnoscit.

ditæ ad corruptionem, ſed non ſempiternitatem cum ab optimo principio extiterit. Sed natura vanitati ſubiecta eſt in pœnam peccatorum. Itaque & D. Paulo teſte expectat & ſatagit liberari, &c. Hæc & ſimilia non ſunt aliena à Galenica doctrina, ſed eiusdem partim manifeſta præcepta, partim cõſectaria, quę tamen illuſtrari altius ex Theologia repetitis cauſis poſſunt. Paracelſus, quanquam Galenicis elementis, humoribus, & qualitatibus ſæpe ſit infeſtus, tamen explicatione rerum tractus compulſusque non potuit ea non agnoſcere. Ita in Archidoxis Phyſicæ lib. 3. tota metalla & cætera in elementa redigit, quanquã in aliquib. prius excepta quinta eſſentia. Lib. 5. de arcano lapidis ſcribit, quod omnem quatuor humorum ineptitudinem ſeu incommoda repurget, emundetque, vt fiant quaſi eſſent in prima natiuitate. In lib. de renouatione legimus hæc: *Hæ res ſunt ſuperfluæ, nec in materias, vel ſubſtantias corporeas excreſcũt* (tranſeunt.) *Sed in ſuo eſſe manent, veluti quatuor humores; vnus exiſtens ex frigiditate & humiditate, qui in toto corpore retinetur & naſcitur, nec habet peculiarem ſedem aut principium, ex quo prodiret, vt de quatuor complexionibus probatur: Secundus procedit ex illarum contrario, nempe calore & ſiccitate, eſtque eodem modo in corpore, nec habet proprium domicilium aut exordium, item liquorem exhibens. Tertius eſt frigidus ſiccus; quartus calidus humidus,* &c. *Euenit etiam, vt hi quatuor humores non ſint*

Elementa qualitates & humores ſæpe cum Galeno Paracelſus ponit.

in omnibus corporibus; sed aliquando vnus, aliquando duo, tres, aut quatuor, &c. Ibidem, & complexiones agnoſcit. In lib. de longa vita eſſentiam (chymicè extractam) dicit miſceri humoribus vitæ; cum ſint ei familiares. Et ſicut putandi ſunt (ait) quatuor humores ad ſuſtentandum vitæ ſpiritum: ita eſſentia ſolummodo eſt humorum, in quibus vita rei eſt, &c. vide ibidem, quomodo incolumitatem & morbos ex iis deducat, vnde conſtat, Paracelſo quoq; ſaniori eſſe quatuor humores ſuperfluos, & quatuor elementarios, in quibus calor & ſpiritus vitæ adminiſter conſiſtit. Nolo adducere ſententias ex Cheirurgia & aliis. In ipſa re ſententias ex Cheirurgia & aliis. In ipſa Phyſicorum tinctura non poteſt carere complexionibus, & ſuperfluitatibus; ſicut nec Catarrho in magnete & hummoribus in elleboro, licet ibi pungat Galenicos eo nomine.

Vita noſtra longa in tribus ſita eſt: in ſpiritu vitæ, humoribus vitæ, qui ipſum nutriant, & cęteris complexionibus & qualitatibus, &c.

NOTA XXVI. NVM HVMORES *aduri poßint.*

PAG. 64.65.&c. *vexat Galeni atram bilem ex aduſtione flauæ natam, negatque poſſe aduri humorem.* Enimuero ſciebat Galenus, ſimplicem humiditatem aduri non poſſe, idque ſæpè animaduerterat in aqua. Sed alia ratio eſt humorum in corpore animalis, qui neutiquam ſunt ſimplices. Hos, qui aduri poſſe negat, nondum id ſcit, quod famulæ culinariæ. Verum, Michelius effectum negare non poteſt, modum effecti vellicat. Exaſperari enim tunc

tunc ſcribit bilem flauam, quia ſeparatis partibus mitibus manifeſtentur acres. Mirum, ni ex lotio ſuo ita iudicare didicerit. Non poſſumus negare, ſi quis multam aquam confundat cum pauco ſale, huius ſaporẽ obliterari, nec ſentiri acredinem, niſi iterum ſegregata aqua. Nouimus idem euenire in ferinis ſeu minerabilibus fontibus, quos acidulas, aut medicatas naturaliter aquas vocant. Sed non perinde eſt in omnibus liquoribus. Aduritur certè terebinthina & ſimiles. Sed fac periculum in ſanguine, eumque confunde cum multa aqua. Hanc balneo lento iterum ſegrega, & experire vim guſtu: Poſtea adde ignem validiorem, vt empyreuma contrahat. Antiquane ea affectio eſt, an noua? Noua ſane. Ita, ſi delirare velis, generationes, corruptiones, & alterationes tolles. Quæ Chymici ſcribunt de occulto & manifeſto, plæraque congruunt cum Philoſophorum potentia, & actu. Et eatenus etiam aliquando intelligitur manifeſtatio, ſed quæ locum in ſemine, & ouo non habet. Non enim: quia inde fit animal; hoc prius ibi latuerat, excepta potentia. Cum in actum prodit, manifeſtatur quidem, ſed non eſt manifeſtatio ſimplex, qualis, cum latitares ſub forma orichalci æs ablato tectorio prodit aut, ſal, copia humoris dulcis ſeparata. Lactuca recens aquoſa eſt, aquam abſtrahe lenta exiccatione, ſubſtantia ſicca reſtat. Adure eam; aliud deprehen-

Manifeſtatio Paracelſica.

des eſſe diuaporationem, aliud vſtionem. E ligno aduſtio facit cineres, & porro lapidem fuſio. Hoc opus corruptionis & transmutationis eſt, non manifeſtationis ſimplicis. Mirum verò eſt, frigus poſſe aquas calidas refrigerare, & porro etiam congelare, abſque manifeſtationis talis ſuſpicione; & feruorem ignis duntaxat manifeſtare, cum rem totam vſque ad elementa quoque poſſit corrumpere, & tranſmutare aquam in aërem generatione, non manifeſtatione Micheliana.

NOTA XXVII. DE SALIS PER *calorem generatione.*

PAG. 69. & 70. exagitantur Philoſophi nomine ſalis quem dicuntur per calorem gignere. *Cum calor*, inquit, *nec actu, nec potentia in ſe ſalem habeat, non poteſt illum producere.* Si opponas, igni fieri cineres, ex quibus ſal extrahitur, *reſpondet ex ſimili, quod debeat facere etiam olea aquas & cœtera, quæ ignis ope ſeparantur.* Mirabiles profectò ille bonus ſenex nobis Philoſophos repræſentat. Ego hactenus nullum audiui nec vidi, qui ſcripſerit, ſalem ita produci à calore, vt ex actu eius, aut potentia generetur, quomodo gallina ouum procreat, aut faber ærarius ſartaginem; aut pyrus pyra, folia, ramos, &c. Nos quidem à creationis principio repetimus primæui ſalis fundamenta; qui vero in natura per

per generationem oritur, de eo non possumus improbare Philosophum. In 4.meteor. 7. Sales dicuntur terræ magis esse, quia ab igne concrescant. Sit sal in muria. Ignis eum facit concrescere absumta aqua. Ita in 2. meteor. 3. quidam mare salsum dixerant, quod multæ dulci immista esset terra talis, quæ, illa à Sole eleuata, ad gustum euaderet salsa, & sic ex suis latibulis in manifestum veniret. Sed ipse Philosophus maris salsedinem ex natura halitus sicci extruit, cum concretus aquæ miscetur: aut terræ saltem inhæret, & postea percolante aqua abluitur: aut halitus siccus iungitur vaporosis, indeque pluuias salsas parturit, quæ etiam salsæ gustui apparent, dulcedine per diuaporationem diminuta, id quod confirmatur fonte salso Chaonię, & Vmbrorum arte, qua ex cineribus arundinum & iunci salem faciunt. Exhalationes autem istæ ab altiore dependent caussa, nempe ab igni vrente terras, in quibus etiam eadem affectio resistit, & postea aqua transeunte sapor abluitur cum suo corpore solubili. *Principium ignis,* inquit, *extinguitur in his terris aliquando ferrefactis, quæ postea existunt veluti calx, & cinis. Cum enim exuritur terra magis minusve, omnifarias accipit formas, & calores saporum, vt aluminis, Chalcanthi, salis,* &c. per quæ, quæ percolantur aquæ dulces, transmutantur. Hæc est sententia Aristotelis de salsedine maris per mistas exhalationes concretas aquæ nubium, & de

ſalſedine fontium ex ablutione terrarum, in quibus tales exiſtebãt potentiæ ab igni productæ. Non ſcribit calorem ex ſe gignere, ſed, dum in terram agit, (terram autem non ſimplicem elementarem, ſed vt vulgo intelligimus miſtam, variarumque mineralium ſeminibus & virtute prægnantem) vſtione producere, & veluti actuare, cum prius eſſent in potentia tales, actu autem quid aliud. Itaque & tranſmutationẽ fieri neceſſe eſt, qua ex eo, quod iam, ſeu actu, hoc eſt, potentia vero aliud fiat aliud, actuque illo excuſſo, ex potentia emergat in actum deinceps ſe habentem. Non eſt mirum, ſi hanc Philoſophiam non intellexit Michelius, cum nec Chymiam, quæ pulcherimè cum illa conſentit. Capiat Glycyrrhizam, & ex ea extrahat ſuccum, deſtillet aquam & oleum. Reſtant feces. Exploret, vbi ſal ſit. At ſi ſeparatio ſimplex ſalem exhiberet, non poſſet ſe occultare. Nulla fex aut caput mortuum ſalem habet citra combuſtionem, niſi prius fuit admiſtus. Agens cauſſa hic calor comburens eſt. Patiens vero res tranſmutabilis in actum ex potentia, quæ quidem tranſmutatur ſecundum ſuam diſpoſitionem. Si perrexeris vrendo, ex ſale fiet lapis. Num & hic occultabatur in herba, aut ligno, aut carne, vel etiam ſucco extracto? Occultabatur quidem, ſed non Micheliano modo. In potentia exiſtebat, ex qua cauſa fortis eum tranſmutabat, & in actum perducebat.

Plostello mures adiungit, & cum pueris restim ductitans saltat senex hic Philosophaster, dum nobis de sale dulci cantilenam canit. Scimus varios succos posse permisceri, & melle saccharove ita salem temperari, vt gustu præter dulcedinem nihil percipias. At sua natura omnis sal est salsus, pertinetque ad contrarium dulci, nempe amarum. Sin delectatur suis tropis, referamus ei, quod Aristoteles Empedocli, scilicet ad poësin sic loquentem, *fortasse dixisse conuenienter sufficienterve: Metaphora enim poëtarum est: ad cognoscendam autem naturam, non sufficienter, sed ridiculè.* Saluator salem non amplius salsum, fatuum vocat & communiter proiici docet, & conculcari. Quod si ex succo dulci salem fieri posse beneficio ignis comburentis voluit scribere, non ita temere blaterasset, nec Philosophos contemsisset. Diuersa sunt salem esse, & ex dulci succo combusto in cineres elici. Idem iudicium est de sale acido. Scimus Chymicos abuti interdum vocibus & salem appellare, qui neutiquam est; & Aristotelem muriam acidam per interpretem proponere.

Pag. 72. sal dulcis.

Chymici sales sæpè vocant calces resolubiles vel essentias tales vt est sal plumbi, &c. sed verus sal non est.

Sed his nihil iuuatur Michelius in disputatione de rerum propria simplicique natura.

NOTA XXVIII. QVID IN HVMORIbus acribus erodat.

NEGAT *pag. 76. Erosionis causam esse humorem aut qualitatem posse, & Galenum ob id traducit.* Altius certè fuit Galeno ingenium, quã vt puerili isti seni cedat. Si nec humor, nec qualitas erodit, & tamen ea vis est Lotio Micheliano, est sali, aquis causticis, spiritibus salis, vitrioli, &c. liceat ei tribuere affingereque istis dentes caninos. Non ignotum est, erodendi potentiam esse in acri substantia, quæ, si subtilis simul est, celeriorem habeat effectum, penetretque altius. Non itaq; propriè humor est corrosiuus, sed humor acri qualitate præditus, aut in genere corpus acre. Quis vero adeo est imperitus, vt nesciat, substantiam sine agentibus qualitatibus viribusquè otiosam esse? Salsedo est qualitas in sale. Si ea non afficit linguam, sal non percipitur, & iudicatur fatuus. Caliditas calidi qualitas est quâ calidum. Nemo calidum appellat, aut putat, vbi caliditas non agit, aut saltem aliquãdò egit. Sed assumamus Michelii exemplum humorem scilicet salsum, vt lotium. Sentit ille non humorem exedere, sed in humore iacentem salem. At, inquam, ille sal erat humoris salsi membrum. Totum autem agere dicitur in homogeneis, cum quid membri potissimum vnius facultate agit, veluti totum acetum acidè afficit gustum, etsi in illo potissima fun-

ma functio sit eius partis, in qua acor hæret. Totum mel dicitur dulce, quanquam insint etiam partes acres. In heterogeneis pene eadem est ratio. Nã oculus videt, quanquam in eo functio principalis sit crystallini humoris. At Michelius dicit, omnem humorem esse similarem. Quid tum postea, si sit? Modo non sit plane simplex. Sed quinam erat ille Michelius, qui in humore alium humorem terreum statuebat? vtra ergo pars erodat, humor tamen id peraget.

NOTA XXIX. DE CHYMICORUM consensu.

PAG. 82. Galenicorum dissentienti præliantiq; secum factioni opponitur Chymicorum Michelianorum seu Paracelsitarũ ὁμοψηφία quædam admirabilis. *Tanta est, inquit, inter chymicos, qui & sunt soli, & veri Medici, symphonia & concordia, tanta constantia certo ordini coniuncta, tanta consensio in rebus, & nominibus, tanta præceptorum cohærentia cum vero & plano agendi modo; non ambiguis rebus, & verbis aut aperto falsis conscripta, vt vno ore omnes loquentes diceres.* Ita ille. Fere persuadet hic locus, vt Michelio laruam Ironicam tribuam. nemo enim non scit, id quod dicitur esse falsum. Non possumus quidem exacte scire, quinam sint illi Chymici, quibus hoc arrogat. Nã nulli tribuit artem nostra ætate præter solũ Paracelsum, & seipsum. At nec sibi Paracel-

Nota mirabilem cõsensum.

ſus conſtat, nec Michelius, neutrique cum altero conuenit. Aſſumamus tamen etiam veteres, & alios Paracelſitas, idque tam grande præconium paucis contemplemur. Scribit Paracelſus Tom. 6. Pag. 108. in omnibus cōpoſitionem obſeruandam eſſe, & nullam Medicinam ſolam omnia tollere, quam ſententiam repetit in Chirurgia magna, & aliâs quoque tot propoſitis medicinis vulgari & Chymica arte cōcinnatis ſedulo docet. In tincturæ Phyſicorum. cap. 7. catholicum ſtatuit, vt & in manuali; & cap. 5. rerum naturalium idem pronūciat de hyperico ſeu perforata (eſt vniuerſalis Medicina ſuper totum hominem) Non itaque ſibi conſtat Paracelſus, De Michelio documenta habemus plurima. In primis ſupra dictum eſt, quod neceſſarium eſſe velit, tot eſſe Medicinas quot ſunt tartari ſpecies. Sed infra audiemus alias omnes Medicinas repudiari, & vnam ſolam vniuerſalē vero Chymico & Medico aſſcribi. Cætera omitto. Non item conuenit ei cum Paracelſo. Qui enim damnat Chymiam deſtillatoriam, ſublimatoriam, & cæteras, quas tamen in Archidoxis & alibi paſſim Paracelſus inculcanit: item, qui vnum vniuerſale ponit, cum Paracelſus duo, vt paulo ante dictum eſt, is non congruit cum eodem. Quod etiam nec ſibi, nec mutuis conſentiant apertum eſt ex lapidis doctrina. Paracelſus lib. 1. Phil. ſagacis ait; Qui volunt aurum facere, & argentum, errant.

Paracelſus contra ſolā vnam Medicinam.

Pro vna Medicina.

Pag. 58. Iuxta varia morborum genera varia remedia quærenda ſunt, ſed pag. 82. & alibi cōtra.

Paracelſus lapidem repudiat.

Itaq;

Itaque inanes ſtipulas terunt. Non enim eſt á Deo datum, ſe[illegible] figmentum humanum. At id tum Paracelſus alibi, tum Michelius cum magno conatu aſtruūt, ille vt videri cupit, artifex & Monarcha, hic neq; magiſter neq; artifex, ſed diſcipulus Gebri de inueſtigatione pfectionis. Seuerinus proculdubio eiuſdē eſt farinæ. Michelius vim narcoticam opii Mercurio aſſcribit: ille ſulphuri. Michelius infra Philoſophos obſcuritatem duplicem in rebus & verbis habere ait, Pag. 82. nec res nec verba ambigua concedit. Michelius negat lapidem extrahi ex metallis. Contra Roſarius, *Lapis, quem Philoſophi quærūt, inquit, in quo ſunt elemēta prima mineralium, tinctura & calx, anima & ſpiritus cum corpore, fixum & volatile, eſt Mercurius, ſcilicet non quilibet, verum ille, circa quem natura ſuas primas operationes determinauit ad naturam metallicam, & imperfectum reliquit. Mercurius noſter non eſt natus, vt multi putant, Sed de corpore extractus: Lapis Philoſophicus creatus inuenitur à natura, & per Deum altiſſimum nullo amplius indiget, niſi, vt remoueatur, quod eſt in eo ſuperfluum. Ergo ipſa præparetur materia, vt ex eo eliciatur, quod eſt purum, terreum autem & feculentum remoueatur, &c.* Sed re manifeſta nolo actum agere.

Lapis ex metalis eſt.

NOTA

NOTA XXX. DE ESSENTIA MISTI, deque misto & temperamento Galenico.

PAG. 84. *Essentiam misti ex quatuor elementorum mistione natam, non esse mistam, ostendere possem vera demonstratione.*) Male hercle abs te factum Micheli, quod studia nostra tam desiderabili demonstratione fraudas. Quanto ego redimerem istam veritatem? Sed tamen videtur enorme Paradoxum, quod ponis. Essentia misti mista est, dixerã ego. Tu cõtrà scis non mistam esse, & quidem scis ἀποδεικτικῶς te iudice. At si nata est ea essentia ex mistione quatuor elementorum, cur nõ sit mista: Fortassis rationẽ habes, qua conuincas, mistũ esse non mistum & albũ non albũ, verum nõ verũ, Ens non ens. Noster Aristoteles, & fors etiam meus, vt tu ais, aliquatenus mistum, aliquatenus immistum videtur quid dicere. Huc ne appellis: versabar aliquando furtim in Paracelso & Seuerino, ibique audiebam de tribus principiis, nescio quid. Hoc mysterium proculdubio innuis. Sed mi Micheli, noli sciens errare. Miscent quidem Paracelsitæ essentias & componunt, sed non ex quatuor elementis. Res ipsas & subiecta partim ex elementis constituunt partim principiis. Sed cum hæc pridem sint digesta, non opus est, vt ad crudum reuoces. Illud libentius tecum disceptabo. quod de Meo (vt opinaris)

Ari-

Aristotele refers, nempe hunc de re dubium fateri aliquando aboleri, vel obscurari mistilium formas, aliquando manere. Ista quidem tua verba non inuenio in Aristotrlis mei libro: Ita vero inquit: *Non est mistio, si quæ miscentur pereunt, & corrumpuntur: neque tamen etiam, si integra manent. Quædam sunt actu, quædam potentia. Actu est aliud quid quod ex istis (mistilibus) est generatum, potentia vero vnumquodq; id est, quod erat ante mistionem, Et non periit.* Non video hic dubium, aut problematicum, sed sciẽtem & theorematicum. Non adest illud tuum aliquando. Desidero in te candorem & in allegando fidem. Sed quid de Crasi habes: Pag. 85. *Crasis nihil pertinet ad mistionem, quia est eius vmbra.* Hoc profecto tam verum est, quam illud, quod aiebas: Substantia nihil habet cõmune cum accidentibus. Quid enim si generi communi subessent? Crasis, vt te ad Alphabetũ reducã, à κεραν dicta temperaturã & mistionẽ significat ipsam. Cũ mistio nõ ptinebit ad mistionẽ, tũc tua enunciatio erit vera. Peccat & argumentũ. Nã ideo ad mistionem pertineret, si esset eius vmbra. Pertinet enim vmbra corporis ad corpus inseparabili societate. Et sic argumentum potest à pari aut simili tractari. Sicut enim vmbra corpus imperspicuum in sole sequitur: ita qualitas corpus quale, temperamẽtum, corpus temperatum. Non peccares, si corpus per vmbram propriam destingueres, nec nos cum corpus

quale

Aristoteles, dicitur dubius de misto.

Crasis.

quale per qualitates proprias. Scio te cum Paracelſo ex Iſaaco conficere eſſentias ex principiis chymicis, easque veſtire elementis, quibus tribuis qualitates: ſed ſupra oſtendi te cum Paracelſo & Seuerino cæteriſque à vera explicatione aberrare. Dicis me confundere qualitates cum ſubſtantia. Inique id quidem. Non enim es aſſecutus meam mentem. Sed tamen, ſi Craſin vnam ſubſtantialem miſti formam appellaui, non debet me pœnitere huius gratia tui, aut ſociorum. Vere enim appellaui &, vt rerum natura eſt. Nam miſti ratio, qua eſt id, quod eſt, temperatura ſeu Craſis eſt, qua deſtructa, ceſſat eſſe miſtum. De Galeno, quod temperamentum definiuerit formam rerum ſubſtantialem, obliuione peccaſti. Non enim rerum formam eſſe craſin ſcripſit, quam ſimilaribus miſtis duntaxat aſſignauit. *Inſunt corporibus*, inquit. in 1. de vſu part. *Primum & maxime temperamenta, quippe quæ propriam particularum ſubſtantiam complent. Nam ſingulis id eſſe, quod ſunt, ob quatuor qualitatum primarum certam quandam temperiem contingit. Hæc igitur eis ſecundum ſubſtantiæ rationem inſunt.* Quæ corpora intelligat, indicat exemplis. τὸ γὰρ εἶναι σαρκὶ τῇ σαρκὶ καὶ τῷ νεύρῳ καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστῳ, τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ διὰ τὴν ἐκ τῶν εἰρημένων τεττάρων ποιὰν κρᾶσιν ἐγένετο, &c. Patet ex hoc non nudas qualitates meraſque intelligi, Sed vna comprehendi corpora ſimplicia, quæ ad miſtionem concurrunt, vt eſt in 1. de craſibus,

Galeni tēperamentū.

bus, quanquam in fine 1. de element. nolit determinare vtrum totę qualitates totis miſceantur tantum, an etiam corporeæ partes. οὐκ ἔχοντες εὑρεῖν (inquit) χωρὶς οὐσίας οὐδὲ μίαν ποιότητα, σὺν ταῖς οὐσίαις ἀναγκαζόμεθα προσφέρειν τοῖς δεομένοις σώμασιν, &c. In illo dubium eſt, quod velle videtur, partes ſimilares, quæ ſunt diſſimilarium elementa, ex primis elementis ſeorſim exiſtentibus fieri, & licet non miſceantur corpora tota totis, tamen qualitatum pugna & compoſitione tandem abſolui miſti formam, eſſeque miſtum. Hęc enim eſt prima opinio eorum, qui de generatione ſimilarium ex elementis deque temperamentis ſcripſerunt, quanquam duplex. Alii enim exempli cauſa, in plantis & animalibus, ſimilares partes fieri ſtatuunt, dum collato ſemine virtus quædam generatix, formatrixque in ſpiritu & calore ſpumoſoque corpore adiuta quatuor facultatibus naturalibus ex materia præſente aſſumit attrahitque & cogit elementa, quę poſtea certa ratione diſponat & informet copuletque, vt fiant ſimilaria diſſimilariaq; & organica. Illam vero virtutem plaſticā talem eſſe aiunt, & talem motum habere, qualis erat parens, à quo eſt ſeparata, vt ſic veniat in locum genitoris huiusque motum perficiat. Alii addunt correctionem negantq; ex materia elementa aſſumi prima, ſed elementata, vnde poſtea fiat inexplicabilis naturarū, craſiumque varietas. Ita eſt prima ſententia,

quam

quam tribuunt Aristoteli potissimum. Vetustiores, & nonnulli ex recentibus ex potentia materiæ omnem generationem educunt. Aiunt enim initio quidem elementa constituta esse á mente omnia disponente vniuersaliter, sed ea postea sigillatim compacta iuxta vnam quanque rerum speciem, vt voluit eam esse opifex sapientissimus, & singulis speciebus, seu compositionibus ita insitam esse suam naturam, crasin, potentiam, facultatem & vires, vt postea in naturæ vniuersæ progressu deprehenduntur. Additam itẽ vim quandam propagatoriam, cuius principium quidem à Deo primum sit, sed tamẽ seminibus insitum vt postea vnumquodque ex eis intimo domesticoque motu, si non desint adminicula (calor, spiritus, humor locus seu matrix) fiat, nec egeat formatore singulari: Seminis autem generandi potentiam iuxta naturam cuiusque esse concessam speciebus absolutis: Interim tamen relicta esse in natura elemẽtaria compositionis nudæ quoque rudimenta, quã videmus lapides, terras & similia proximè ex elementis fieri. Hæc sententia, cum vetustiorum sit, videtur tamen ab Aristotele parumper reprehensa. Sed saniores Chymici, & peritiores Theologi ab ea non abhorrent. Ita enim legimus in oraculis diuinis, creata non ex se extitisse, sed opus habuisse creante, sapientissime omnia componente, ordinanteque: & creatione absoluta cum numero sese debe-

rent

rent, augere, & in locum decedentium venire similia, vt species essent perpetuæ, institutam esse generationem, quę non opus habet noua mistione ad species constituendas, sed retinet morem primum, & ex semine indito suppullulat. Nam & semen Deus initio cōtulit, quod esset istius mistionis custos. Non autem factū hoc esse absq; elementis, tum liquido indicat oraculum, tum conseruatio & augmentum coarguit. Est alia opinio quæ fingit in omni misto, vt etiam hodie fit & generatur, soluta elementa concurrere, & quilitatibus inter se pugnare, donec concordent aliqua ratione, quæ ipsis vocatur crasis & temperamentum. Varia autem ideo fieri, quia innumera sit concursus differētia, actio, absolutio, nec semper simplicia omnino congrediantur, sed non raro pridem mista. Hæc parum abest ab atomis Democriti & similiū deliriis, fortuitò potius, quam certa ratione præsidente omnia constituentium. Paracelsici propius videntur accedere ad Theologos, nisi, quod sententiam circa elementa mutent, & sua principia introducant, in hoc decepti, quod artis leges misceant naturæ, vt dictum est. De Galeno iam videamus, quid hic de mistione & generatione statuerit. Hæc enim duo in præsens sunt coniungenda, quanquam aliâs differant rationib. propriis, & aliatenus quid misceatur, aliatenus generetur, quod aliqui explicant mirificè, dicentes generationē versari circa speciem

talem qualis eſt homo, bos, abſynthium, magnes; miſtionem vero, quatenus eſt ſimilare quid &c. ſed nobis etiã res ſimilares habẽt ſuã naturam & ſpeciem, cumq; non careant miſtione, tamen in præſens generantur, aluntur, augentur potius, quam miſcentur, ſemper tamen comitante miſtione, generationem talẽ, de qua iam eſt ſermo. Quid itaq; Galenus ſenſit? Mihi videtur, non procul abeſſe ab Ariſtotele, & tamen quodammodo deflectere, vt ad ſecundam ſententiam, quam veriorem puto, inclinet. Alii potius vltimam ei aſſignant, quæ eſt miſcentium res ex elementis in generatione per qualitates, &c. Et, non negare poſſum, videri eum aliquando planè ſic ſtatuere. Sed, cum multa argumenta aliud euincant, iudico eum inſeruiiſſe inuentioni & vſui Medicinæ, & per ſenſilia rerum naturam expoſuiſſe, vt eò facilior eſſet methodus: Certum eſt, Medicum ſenſibus & experimentis in notitiam rerum venire. Senſilia vero talia ſunt in vnaquaque re, quale principium, à quo dependent, quod tamen in ſe & per ſe homini eſt incomprehenſibile. Itaque, ſi dixeris varietatem ſenſilium & experientiæ; putandum eſt, deſignatã quoque internam naturam eſſe variam, quia hanc ſequitur illa. Interim tamen, ſicubi plenius Philoſophatur, & non à principio, quo ad nos (vt Ariſtoteles loquitur) ſed à principio naturæ rem deducit; non quidem omittit craſes ſuas, non elementa, &

Galenus in expoſitione miſtionis Medicinæ facilitate inſeruiit.

ta,& qualitates : quia hæc concurrunt: Sed principium actiuum & passiuum proponit, quod motu suo res procreet, faciatque, vt sint id, quod sunt, astipulantibus his, quæ deinceps sunt, & sine quibus non est natura. Ita, vt exemplo vtamur plantarum & animalium, in 1. de sem. fœtum scribit omnem generationem & formationem à semine accipere, quandoquidem natura seminis non aliis viribus plantam producat, aliis animal. Semini coniungit sanguinem, (in animalibus sanguineis, in cæteris intelligitur analogum) ita, vt semen sit efficiens animalis principium & facultas quædam, sed tamen vnâ etiam materia; sanguis vero magis materia, ex qua (vt est in 2. de nat. fœt.)fiant os, cartilago, arteria, vena, neruus, &c. licet sint exanguia, (in 1. de sem. ad semineam materiam ista magis referuntur; quod tamen perinde est, cum semen ex sanguine oriri dicat, & sanguinem mutari ad talem substantiam) & sic omne membrum similare. Ita materiam descripsit. Principium actiuum, licet seminis voce aliquando denotet, tamen sæpius appellat Naturam: vt in 1. de fac. nat. Similares particulas in prima animalis formatione natura creat vsa generatrice, & alteratrice potentiis : Item : alteratrix facit particulas elementares; formatrix formam & compagem:& in 1. de sem. Est facultas opifex & fingens animalis cui adiacent qua-

tuor potentiæ naturales : Et: natura corpus præparat, &c. Sed vnde eſt ratio equi, bouis, &c. Animal, equus, &c. inquit, eſt iuxta ſubſtantiam, ex qua factum eſt, & non ſecundum facultatem ipſius ſubſtantiæ motricẽ formatricemq;, quod Ariſtoteles dixit, hominem fieri ab homine ſimilitudine ſubſtantiæ & naturæ, quia is, qui gignit, ſic habet actum. Hinc poſtea deducuntur vires totius naturæ in nutriendo, purgando, & alia quædam ex vi occulta agendo, quæ craſi nudæ ex quatuor qualitatibus non poſſunt aſſcribi, vt apparet ei, qui omnẽ temperamenti elementaris rationẽ excutit. Sufficiant hæc pauca, quibus explicat Galenus efficientem & materialem cauſſam ſimilarium; poſtea etiam rationem compagis ſeu compoſitionem, tertiò totam naturam, vnde eſt aliquid non ſimilare, aut diſſimilare, ſed bos, leo, homo, &c. Vbi vero iam illa mirifica craſis? Intelligitur facta eſſe in inſtitutione naturæ, & poſtea cum illis principiis ſemper propagari, ita tamen, vt quia indiuulſa eſt comes generationis miſtorum, & ſe accommodat ad cuiusque ſpeciem & naturam intimam; non ſit abſurda per eã explicatio. Quin, cum miſtionis propria ratio ſeorſim eſt reddenda, licet nunquam in his, quæ ſemine gignuntur, ſit ſeorſim, nõ poteſt præteriri, licet ſermo ſic inſtituatur, quaſi primum fieret ex cõcurſu ſimplicium corporum. Vbi vero fortuita nudaq; eſt miſtio, ibi etiam per ſe locum habet,

2. de ſem.

habet, vt, cum ex aqua terraq; fit lutum & inde lapis, qui per se, nisi quid seminale vnà cõprehẽdat, nihil habet virtutis peculiaris, quã, quod elementaris cõpactio præstare potuit. Sed de his rebus alibi copiosius disseritur ab aliis. Sic ego Galenum bona fide intelligo & interpretor. Sin alicubi variauit, condonandum est humanæ imbecillitati, & magis constans præceptum spectandum, ad quod cætera, qua possumus humanitate, salua semper veritate, accommodanda. Vt enim præclarè Aristoteles scribit, *Veneratione magis, quam temeritatis obiectione digna est promtitudo illa, si quis propter Philosophiæ sitim, etiam paruas insufficientias amat, de quibus maximas habemus difficultates, nec iustũ est similiter omnes increpare, sed videndũ, quo pacto se habeat in credendo quis, humanitusne, an modo superiore*, &c. quo inhumaniores sunt Paracelsitæ, qui in defunctum Galenum, & suam sententiam suis verbis nequeuntem amplius explicare tam rabiosè debachantur. Sed ad Micheliũ reuertor. Is, cum Galenus crasin appellauit substantiã similarium (vtpote per quam denotatur, adeo, vt docẽdi causa perinde sit crasin dicere & formã rei, sicut magnetis formam & attrahendi ferrum naturam, &c.) satis rusticè scribit ad tales absurditates iã dudum occalluisse aures suæ factionis. Verum ille debuerat sibi in mentem reuocare laudem, quam aliâs Galeno tribuit & fortassis etiam aliquod ex eius disciplina meritum. Solent Pa-

Pag 182. dicimus errare illum, qui Galenum tanta ingenii artisque subtilitate tanto rerum vsu prædi- tum parui facit.

racelſitarum aures ad veritatem obtuſę eſſe & callo obductæ. Sed Micheliũ non putarã tam amenté, animiq; impotem fore, quin viri ſolertis verba explicare, quam ſuperbè repudiare mallet. Suorum Philoſophorum nihil penè, vt is ait, præter fabulas & ænigmata ſcribẽtium perplexitates pro oraculis habet, nec abſurdas eſſe credit, cur tam iniquus eſt in Galenum? Hũc etiã argumentis impetit, pag. 85, & 86. quaſi, cũ qualitates moueant ſenſum, ſubſtantiæ vero neutiquam; varientq; manente ſubſtantia; videatur itẽ conſequens eſſe, ſolũ materiam eſſe naturã, ſi formæ ſint ex qualitatibus, cætera verò affectiones, & habitus, non poſſit craſis, quę eſt ex qualitatib. forma ſimilarium miſtorum eſſe. Sed explicatio præcedens facilè confutat hunc Michelii conatum. Ridenda vero ſunt iſta tela de ſubſtantia inſenſili, qualitatibus autẽ ſenſilibus. Non enim faciunt ad cauſam Paracelſitarum. Nota 16. examinauimus paradoxum Michelianum ex pag. 41. de eſſentiis Chymicis, quas volunt eſſe ἄποιους. Si ſubſtantiæ non incurrunt in ſenſus, neceſſe eſt Paracelſitarum eſſentias nec videri, nec tangi, nec alio ſenſu apprehendi. Sunt enim liberæ à qualitatibus, vt contendunt. Quod ſi dixerint, ſe intelligere primas Ariſtotelis, Galeni & reliquorum; ſaltem non debent tangi. Sed & hoc falſum eſt: ſicut nec illud verum, ſuas eſſentias ex mercurio, ſale & ſulphure factas eſſe rei ſubſtantiam formalem,

Subſtantiæ Paracelſitarum inſenſiles.

malem, cum adhuc ſit miſta, & per qualitates non tantum in ſenſus incurrat, ſed & operetur. Temperamentum mutari manente ſubſtantia, ſcio Galeni pronuntiatum eſſe: ſed quod certum reddit, quomodo acceptum velit id, quod temperamentum vocat. Cũ ſubſtantiam rei nominat, adiunctis deſcripſit deſignauitq; ſubiectum, aut effectis cauſam: Cũ mutabile facit nõ mutata eſſentia, vt in eodem homine iam puero, iam iuuene, iam ſene; nõ quidem vult omni craſi liberam ſubſtantiam eſſe, ſed tamen per ſe conſideratam hanc extra complicationem eſſentiæ, variari. Neque vero ita mutari credendum eſt, vt planè deſciſcat à primæua natura. Nam operationis effectusq; potius reſpectu mutatũ dicitur, quam ſubſtãtia ſeu origine miſtionis. Cerebrum frigidũ humidũ cenſetur natura ſua. Sed diuerſos habet gradus in puero, iuuene & ſene, ita, vt in hoc frigidum ſiccũ æſtimetur reſpectu pueri, in quo calidum humidum per collationẽ erat. Aliter docetur de re ſimpliciter & in ſe cõſiderata; aliter comparatè. Sic ventriculus ſenis frigidus iudicatur, adoleſcentis calidus; pueri humidus calidus; viri calidus ſiccus. At in omni ætate ſua craſi conſtat robore & effectu duntaxat variante. Perinde h. e. ac ſi rhabarbarũ exoletũ & recens, Theriacã veterem & nouam cõferres. Sciendum & h. e. auxiliares copias nõnunquam vires inſitas deſerere. Itaque, cum ſpiritus & calor minuuntur, non ita

Mutatio temperamenti.

ſe exerunt innatæ facultates, vt ipſis præſentibus. Sic depaſcitur etiam humidum congenitum, & vnà cum eo exileſcit ſpiritus & calor. Cum itaque maneat miſtura ſimilarium vſq; dum vel vi corrumpantur, vel putreſcant, tamen temperamenta mutantur, ſiue per ſe conſiderata, ſiue reſpectiuè ad diuerſos gradus & adminicula. Hæc doctrina nihil habet abſurdi. Ariſtoteles miſtionem appellat miſtilium alteratorum vnionem, quaſi ſit elementorum (ita vocantur principia materialia ſiue prima omnium ſint elementa, ſiue certi generis) agentium & patiẽtium mutuo (hæc enim ſunt miſtilia) per qualitates ſeu vires pugnaces compoſitio ad vnum quiddam ſimilare tota ſubſtantia, & viribus. Talis vnio eſt miſtionis modus & forma. Cætera apud Ariſtotelem patent, nec rectè iudicat Michelius cũ ſcribit, illum reliquiſſe miſtionem incertiſſimam, obſcuriſſimam, & indefinitam, quam tamen quaſi digito monſtrauit, licet non ad infectum veneno Paracelſico Michelii palatum. Non mentimur (vt nos accuſat) cum dicimus, naturam miſtiones perficere vtentem ad eas qualitatibus, quæ poſſunt totæ alterare. Aperta res eſt in his, quæ arte contemperantur, & tandem acquirunt vnam formam. Galenus, quia qualitates vidit potius totas totis temperari doceri, nomina qualitatum retinuit, neque tamen, vt monſtraui, corpora excluſit. Quod autem Paracelſici quidam miſtionem

Hanc definitionem repetit Roſarium maius in cap. de fermentatione, & ad Chymiam accommodat.

ſtioné hanc agnoſcant, ſed intra eam aliquid abſtruſius ponant, quod conſtet ex ſuis principiis miſtione exiſtente ex elementis, id quale ſit, ante dictum eſt. Veri Chymici Phyſici ſciunt id, quod iſti ex principiis fabricant, nihil eſſe aliud, quam eiuſdem rei miſtæ partem nobiliorem efficacioremque, & ideo Paracelſum exemplo Iſaaci introduxiſſe Mercurium, ſulphur & ſalem, quia in ænigmatibus chymicis ſcriptum eſt, lapidem conſtare ex illis, & tamen in omni re inueniri, quæ cũ verbis idem ſonent, explicatione tamen & ſenſu longe aliud habent.

NOTA XXXI. DE MISTIONE Micheliana.

PAG. 89 ita habet. *Nos elementorum corporales ſubſtantias in miſtis non agnoſcimus, ſed tria duntaxat principia, quæ ſuis formis prædita in prædeſtinatos fines prorumpunt, &c.* Fato quodam euenit, vt qui à veritate ad alia quæuis deficiunt, poſtea nec prius, nec poſterius teneant, ſed ſua ſomnia paſſim occinant. Ego neſcio, qui ſint illi Nos, de quibus Michelius loquitur. Interiectum quid eſſe inter Galeniſmum & Paracelſian puto. Pag. 91. *Nos iterum*, inquit, *in cunctis rebus miſtis eſſentiales poteſtates elementorum non tolli ſcimus.* Prius non agnoſcit in miſtis elementorum corporales ſubſtantias: poſterius non tollit eſſentiales poteſtates in iiſ-

Antilogiæ.

dem miſtis. Fateor me obtuſiorem eſſe, quam vt intelligam, quomodo eſſentiales (quæ eſſentiæ elementorũ inſunt, & eam ſequuntur comitanturque indiuulſe) poteſtates inſint, neque tamen ſubſtantiæ. Alias in tota rerum natura quicquid eſſentiale eſt, id arguit ſuæ eſſentiæ præſentiam. Rurſus Pag. 92. *Quamlibet formam ſequitur temperamentum certum.* Et pag. 91. *Miſcentur corpora, temperantur qualitates, & temperamentum exprimit qualitatum complexum.* Si hoc verum eſt, neceſſe eſt complexum qualitatũ adeſſe cuilibet formę, & ſi tria principia pag. 89. habent ſuas formas, habebunt etiam temperamentum, & qualitatum complexum. Præter antilogias ſene indignas nihil video. *Nos*, inquit, *non agnoſcimus.* Quaſi vero referat, quid vnusquisque, qui ſibi factionem fingit, deliret. Etiam nobis eſt illud Non agnoſcere, & habemus in hoc autoritatem parem. Si non agnoſcitis elementa in miſtis; cur ea ſeparatis? Cur Paracelſus habet ſeparationis elementorum magiſterium? Cur artifices chymici paſſim in lapide inculcant elementa? Audiatur Idea Seuerini. *Elementorum officia*, inquit, *ſunt communiora & materiæ rationem obtinent: Principiorum, (officia) proprietatibus, & actionibus deſtinata mirabili proprietatum poteſtate vigent. Nihilominus indiſſolubili nexu ita elementis corporum principia cohærent, vt naturæ legibus nunquam vix vlla artis induſtria, idque non perfecte ſeparari poßint.* Ita ille. Si non maluiſ-

maluiſſet Paracelſicas deprauationes repetere, quam ſyncere docere, ferri potuiſſet Chymicus de rerum natura Chymice loquens. Iungit elementa principiis indiuulſo nexu, adeo, vt etiamſi quis arte ſeparare velit, tamen nunquam perfecte poſſit. Paſſiones aſſcribit elementis tanquam materiæ: actiones eſſentiæ, hoc eſt, in miſto parti nobiliſſimæ, quæ tamen elemẽtis non vacat. Locutio tolerabilis eſt, modo nõ vacillaret explicatio. Sed non ita Michelius, qui non agnoſcit in miſto elementa. Iterum Seuerinus ait, *elementa & ſemina in ſuis fontibus quondam vnita fuerunt, nec officiorum varietate diſtrahuntur.* Sane ita Deus ex elementis conſtituit miſta, iiſque inſeuit ſeminarias rationes, iuxta quas vnumquodq; produceret ſuum ſemen & gigneret ſimile, ſicut in animalibus vox oraculi iubet ea creſcere & multiplicari. Illæ rationes ſeminariæ in ea parte ſunt, quam Chymici eſſentiam vocant, Galenici ſuccum, aut calidum innatum ſubſtãtiale, in quo ſimul humor, calor & ſpiritus (quæ fortaſſis etiã nomines tria principia) Hęc doctrina nec Ariſtoteli nec Galeno repugnat quanquam explicatione egeat, & collatione. Si itaque Paracelſitarum quis probandus eſt, ſenſerim potius cum Seuerino addita ſcilicet interpretatione quam dixi, quam cum Michelio toties in ſe & veritatem iniquo. Quod ſi omnia naturæ momenta myſteriaque non poſſumus ſcrupuloſe rimari, &

perfectẽ

Eccl. 16. plurima Dei opera sunt in absconsis Ecclesiast. 11.

perfectè intelligere, credamus etiam in hoc loco valere id, quod D. Paulus de visione in ænigmate scribit, & interim cum gratia id, quod à Deo accepimus, boni consulamus. Porro ab ista sententia, quam scripsi, non abludit alius Chymicus, Comes nimirum Bernhardus, apud quem leguntur hæc verba: *Tempore primæ creationis incepit vis generatiua, Cum Deus ex elementis semina constituit. Iam nihil amplius (de mistis perfecte & mysticis viribus donatis intelligo non de imperfectis, confusis, aut ruditer compactis veluti saxis arenariis, &c.) creatur ex elementis, quod non suam primam materiam acceperit in prima creatione, &c.* Neque hic ergo excludit ex mistione essentiali elementa. Damnat Michelius contrarietatem Aristotelicam in mistione. Sed eam tamen Chymicus Calid. ex quo aliquot adducit suæ Chymiæ fundamenta, apertissimè asseruit: *Inuenimus* inquit, *quod quicquid est in mundo, id retineatur per suum contrarium, vel suo contrario, scilicet caliditas cum frigiditate, siccitas humiditate*, &c. Idem inuenire est etiam apud cæteros vetustos.

Contrarietas Aristotelis.

NOTA XXXII. DE INTERITV MIsti & vltimo corruptionis.

QVODCVNQVE mistum in natura destruitur, scripseram inter obiecta Chymiæ, id simul perit totũ. Facile fueram passus in asserenda Chymia vera etiam cuiuslibet respon-

ſponſionem rectam : quandoquidem & ego hunc nodum ſolueram. Sed ſenex vt eſt deprauati iudicii, ita etiam perperam ſtulteque axioma iſtud damnat ineptiæ, falſitatis, abſurditatis : mox conſcientia male iudicati, negat, ſe aſſequi ſatis, quid per miſti deſtructionem intelligam. Id certe eſt rem incognitam condemnare. Pueri, qui in ſcholis triuialibus elementa Phyſica diſcunt, deſtructionem norunt eſſe motum ab ente ad nō ens ſeu tranſmutationem eius, quod eſt actu ſecundum ſubſtantiam in aliud. Miſtum ex miſtilibus facta vnione compoſitum, rationem ſui & formam ex modo miſtionis habet. Si itaque hoc corrumpitur, modus miſtionis & vnionis miſtilium perit, fitque diſceſſus cuiuslibet, ſeu ad ſua, ſeu ad aliud, ſi corruptionem noua miſtio excipit. Intelligitur itaque forma, miſtionis amiſſa deſtructaque, nihil remanere miſti, quod eſt totum miſtum, quâ miſtum, ſolui & interire. Non volo redigi in nihilum. Sed actu miſti ſubſtantiali deſtructo, miſtum non amplius eſſe, hoc eſt, totum periiſſe, cum ab actu formali ſit id quod eſt, iudico. Interim ſiue in aliud miſtum tranſeat, ſiue materiam relinquat, cum non amplius ſit id, quod fuit, nihil impedit, quin dicatur periiſſe totum. Ita ſe habet iſta ſententia, ſi vox miſti abſque omni circumſtantia per ſe accipiatur. Ego vero ibi ſingulariter accommodaueram dictum, vt ſophiſmati inſeruiret, ſicut facile oſten-

Pag. 93.

ostendunt exempla. Consideraueram enim corpus dissimilare coactum ex similaribus membris, idque totum simul corrumpi scripseram, sicubi natura putrescit aut comburitur violentè, adeo, vt nulla pars maneat salua, veluti, si rorem marinum constantem radice, stemmate, surculo, foliis, in ignem conieceris, non corrumpitur prius in folia & reliqua seorsim, sed omnia simul consumuntur & pariter in cineres desinunt. In his quoque, quæ nos similaria corporum animalium vocamus quoniam respectu seminis & sanguinis, non primum ex elementis sunt orta, sed ordines quosdam ab illis per mistiones interuenientes obtinent. Experientia testatur, non corrumpi carnem & reliqua in fibras diuersas, has in sanguinem & semen, &c. sed totã simul perire putredine, & resolui mistionem in quibuscunque hæreat particulis. Veruntamen, ille senex non est sine argumẽto. *Falsum est*, inquit, *quicquid mistum à natura destruitur, id totum perire, & in vltima resolui: quia ab arte, & natura multa generantur, & destruuntur, inque meliorem statum transmutantur, quæ non redeunt ad vltima.* Hæc ille: Sed pueriliter. Ponitur mistum perire. Id intelligitur, quâ mistum est. Quæritur, num totum destruatur, an non? Certa responsio est, id, quod perit non manere, & quia rationem & formam amisit, non esse amplius. Hinc autem erat totum. Scio materiam quoque

que ſubſtantiæ membrum eſſe. Sed hinc res non eſt id, quod eſt, nec cum de ſingulari ſermo ſit, in vniuerſale deflectendum eſt. Nam eſt forma propria, eſt & materia vltima. Cum res deſtruitur, non omnis forma perit nec omnis materia, ſed illa tantum, quæ erant huius indiuidui ꝙ corruptum eſt. Cum itaq; nihil ſingulare, quod fuerat, remaneat, & cum forma materia quoque vltima & ſingularis ceſſet, cur non dicam totum periiſſe, quod eſt deſtructum? Sed num in vltima reſoluitur? Non ignoro ambiguum quid ſeu æquiuocum latitare in voce iſta. Sed ex fundamento miſtionis, & forma, cum reciprocum ſit iter, primumque & vltimum diuerſis reſpectibus & initiis (nam interdum à nobis incipimus interdum à natura) permutentur. Dico ad vltimum redire miſtum, quando ad ſua principia ſeu componentia reductum eſt, licet illa poſſint porro ex prioribus coaluiſſe. Eſt enim aliud, poſtremum omnium, aliud poſtremum generis certi. Negat Michelius in vltima redire, quæ deſtructa in meliorem deducuntur ſtatum. Sed fallitur. Nam generatio corruptionem ſtatim excipit, atque ita momento latet, vt non obſeruetur corruptum fuiſſe in materiam. Aliâs ratio dictitat ſubſtantialiter non deſtrui, quod ita in meliorem traducitur ſtatum, vt ſubſtantiam & compoſitionem retineat, ſed alterari aut alio motu progredi potius, quam tranſ-

mutari

mutari. Philoſophus dicebat deſtructionem aut aliud facere, aut materiam. Semper quidem vnius corruptio eſt generatio alterius, nec vlla generatio eſt abſque materia: omnẽ ergo deſtructionem in ſubſtantia neceſſe eſt materiam exhibere, ſed ille ad id, quod deinceps relinquitur, reſpexit. Nam combuſto ligno relinquitur cinis. Hic terram continet, & ſalem. Habes aliud, habes & materiam. Sed tamen niſi ſalem ſeparaueris reliquerisque cinerem, ſponte ſua ſal non exit, & ita manet materia. Cum caro putreſcit, aut in vermes mutari poteſt, aut ſtatim in materiam elementarẽ tranſire tota. Hæc aperta ſunt. Quæ Chymic⁹ efficit ſeu ſeparatione, ſeu tranſmutatione, quia arte regit naturam, eaq; vtitur ad arbitriũ, magis videtur aliena eſſa à dictis. Sed ſciendũ eſt, ſeparationẽ partis nobilioris, nõ eſſe corruptionẽ miſti, ſicut ſophiſma voluit. Nam qui oleum exprimit ex oliuis, non deſtruit miſturam naturalem, ſed duntaxat diuerſas partes ſegregat. Sin tranſmutatio procuratur, certum eſt, ex illo in hoc tranſeundum eſſe, & priore corrupto, aliud fabricandum, quod quidem po teſt eſſe melius aut deterius pro motu & fine artis. Sed obiiciet, non neceſſe eſſe in tranſmutatione miſtionem tolli. Cum enim ex plumbo fit vitrum, manet miſtio, licet plumbi ſubſtantia ſit deſtructa. Verum hoc nihil attinet ad pręſentem locum Nam diſputatio eſt de miſti interitu, qui fieri

fieri non poteſt, niſi in partes componentes ſit reſolutio. Nemo neſcit, cum ex ſemine fit planta, generationem ſimplicem eſſe & ex planta potentia motum ad plantam actu? Ita ſi Chymicus non ſoluit corrumpitq; miſtum, ſed ſeminale principium promouet, aut violente in aliud faceſſere cogit, non obnoxius eſt iſti obiecto. Pag. 95. reprehendit, quod dixeram, quanquam inſeruiens theſi, id, quod ad vltima redactum eſt, ad omnia ancipitem habere facultatem, quia materia eſt omnium vltimum. Vocat delirium Philoſophorum. Sed ſi rem perpenderis, ſapiens & à naturæ auctore factum eſt decretum. Aut vltimum omnium intelligitur, aut vltimum in quolibet genere, idque retro à nobis ad naturam procedendo. Illud eſſe communiſſimum, ſacræ literæ in creatione teſtantur. Deus enim initio fecit terram & aquam cum ſyſtœchis. Deinde ſigillatim informauit, inſtruxitque ſpeciebus certis, introducta natura vniuerſali, & particulari. Ita & hominem ait rediturum in terram corpore, ſpiritu ad Deum, ſiquidem ſanctimoniam ſuam comprobauerit. Nec alia fata mundum mouent magnum, cum per ignes conſumtus fuerit. Præterea quotidianis deſtructionibus per putredines totales, vbi nihil non putrefactum eſt, & corruptiones violentas itidem totales (nam vtraque deſtructio eſt duplex, vniuerſalis, cum omnia, quæ ſunt in re, ſimul pereunt; aut particula-

Materia prima num ambiguæ facultatis.

Putredo & corruptio duplex.

ris, cum quadamtenus pereunt, quadamtenus ſeruantur, vt in miſtione cum quidem putreſcunt ea, quæ craſſa conſtant compage, ſubtilia vero, in quibus eſt naturæ maxima vis & potentia, reſeruantur, nec miſtionis formam perdunt, veluti cum per ignes olea eliciuntur, capite mortuo peſſum eunte; aut, cum ex parte comprehendente calidum humidumque innatum fit planta, aut animal, cæteris putredine ad elementa reuertentibus) idem comperimus omnes. In hoc itaque nihil eſt dubium. Iam, ſi talis materia fit, qualis eſt deſtructio; an non neceſſe eſt, totalem corruptionem, ſequi potentiam facultatemque generalem? Ita enim determinata fit ex determinato, non tantum ſpecie, ſed & genere cuius potentia plures comprehendit ſpecies. In deſtructione ad materiam certi generis par eſt ratio; ſed non ad ſpecies externas iſti generi, verum homogeneas: Veluti mercurius eſt communis materia metallorum. Corrumpe metallum in mercurium, an non is poſtea ambiget ad omnem metallorum ſpeciem? Oportet autem ita deſtruere metallum, vt & proximam ſpecialemque potentiam exuerit, planeque euaſerit materia communis. Hoc exemplo Chymici vtuntur crebrò, & eandem mecum doctrinam profitentur. Quid enim eſt, quod vbiuis inculcant ex eadem materia mercurii ſuo ſulphure inſtructi, diuerſa coctione diuerſa fieri metalla,

& ob

& ob hoc inter ſe transmutabilia eſſe? *Mercurius*, inquit Roſarii autor, *Conuertitur in omnem naturam vel naturas, cum quibus iunctus fuerit, idque alii declarant natura verſatili Planetæ, quem Mercurium vocant.* Idem autor vult, vt & Hermes, omnia facta eſſe ex aqua, ſicut hominis membra ex ſemine & ſanguine diuerſiſſima prodierunt. Cur itaque vltima materia non ſit ancipitis naturæ?

NOTA XXXIII. DE FIDE, QVAM *merentur ſcripta Ethnicorum.*

PASSIM negat Ariſtotelis, Galeni, Hippocratis & cæterorum extra Eccleſiam auctoritatem tanti eſſe, vt ei poſſit fidere, quod alieni fuerint à notitia Euangelica: contra vero extollit Paracelſi, & ſociorum exiſtimationem, quod nati ſint in Eccleſia. *Nos*, inquit, *longe feliciori, ætate geniti ſumus, propterea, quod lumen à vero lumine intuemur, ac contemplamur, nullisque auctoritatum fictionibus ducimur, neque apud vllum nomina profeſſi ſumus.* Sic ille. Putabam in Theologico curſu ſaltem aliquid profeciſſe iſtud capulare ſenium; at & hic mera eſt pueritia, ni malis ſtultitiam. Neminem à mendacio immunem facit, intra Eccleſiam natum eſſe, & Euangelicam doctrinam agnouiſſe. Vnde tot hæreticorum claſſes? Ipſe Antichriſtus in Eccleſia Dei ſedet, ſeq; pro Deo gerit, & Satanas in Hiobi hiſtoria apparet

inter Dei filios. Deinde non, ſi aberrarunt Ethnici à lumine euangelico, etiã à naturæ notitia. Bonus erat Deus, & nulla tangebatur inuidentia. Afflatu ſuo diuino etiam gentes illuſtrauit, ſingularibusque & mirificis donis exornauit. Non enim illi non erant curæ, qui omnia amplectitur regitque prouidentia. Solem ſuum piis & impiis miniſtrat, ſicut & fertilitates, artes & cætera. Quid, quod vt eſt in Rom .2. τὸ γνωστὸν αὐτοῦ gentibus in creatione mundi patefecit? Quid, quod à Deo (Rom. 2.) opus legis ſcriptum in cordibus acceperunt ſuis? Itaque & pręmia benefactorum, & pœnas facinorum ſenſerunt. Cum Siracides à Deo creatum Medicum & ob id honorandum ſcriberet, nec Iudæum, nec Chriſtianum ſpeciatim intelligebat, ſed Medicum. Quod ſi ob id Ariſtoteles & Galenus non merentur fidem, quia fuerunt extra Eccleſiam, quid dicemus de Chymicis Michelianis, Gebero, Auicenna, Calidio & cæteris? At Paracelſus in Eccleſia natus, tamen prauè ſenſit de creatione & multis aliis. Sed qua prærogatiua Michelius gloriari poteſt, cum tot Myriades doctorum in Eccleſia idem fateantur & doceant, quod illi Ethnici? An non ab his abundè ſuppletur, quod in illis defecit? Quid, ſi & nos fortè de notitia Saluatoris rectius poſſimus gloriari Michelio? Ego certè nolim, me alienum ab amplexu oraculorum diuinorum eſſe, & fortaſſe non minus in ſacris literis verſor,

ſor, quam ipſe. Sed non poſſum inde exculpere ſententiam Michelianã, ex Gramano tranſſcriptam. Dicit ſe intueri lumen à vero lumine. Solidam tibi hanc gloriã precor Micheli. Sed vide ne ſis in hæreticorũ albo. Cogita etiam iſtud intueri non eſſe perfectum in hac vita. Itaq;, ſi ſtas, vide ne cadas, & ſanè ingentem ſaltum feciſti à contemplatione, aut potius obſeruatione veri luminis, dum in libro tuo tam ſæpe tamq; atrociter es mentitus, & calumniis inauditis proximum immeritum proſcidiſti crudeliſſimè. Duci te autoritatum fictionibus negas. Nec nos curamus autores & teſtimonia ficta. Veritatem tamen aſſerentium non repudiamus, præſertim ſicubi experientia, induſtria, integritasque teſtantis ſunt in conſpicuo, nec nos tam acuto ingenio, aut adminiculis ad ſimiliter experiendum ſumus præditi. Cur quæſo non credam tot autoribus oculatis, in India eſſe herbam viuam, quam ego nunquam vidi? Quo iure cum tuis Catholicis poſtulas credi eſſe vniuerſalem Medicinam vnicam ſingularemque quam tamen nulla vnquam experientia confirmaſtis? Nosne Hippocratis veritatem relinquere, & veſtra amplecti ſomnia vultis? Si apud nullum profeſſi eſtis nomina, cur eſtis factioſi? An ita eſt inter vos, vt ſinguli ſingula habeant dogmata? Si veſtram ſectam negas alii ſectæ addictam, nihil narras noui. Neque enim Academici recentes, cum Stoicis & Pe-

ripateticis ſentiunt, neque Epicurei cum illis. Ego nomen meum apud Saluatorem meum CHRISTVM depoſui, fateorque me velle in eius grege eſſe, & mori. In cæteris tantum cuique addictus ſum, quantum veritati, nec me pudet Galeniſmi, Hippocratiſmi, Ariſtoteliſmi, ſicut te tuoſque pudet pigetq; Paracelſiſmi, licet non amplectar omnia, quæ iſtorum autores poſuerunt. Sequor magiſtros in præceptis veris. Vbi exorbitant, declino, nec reuereor etiam modicè reſiſtere, & errori remedium inuenire, id, quod ipſos voluiſſe, literæ loquuntur.

NOTA XXXIIII. DE SYLLOGIſmo Paracelſico, quod Mercurius Sulphur & Sal ſint principia omnium vltima

HVNC pag. 96. ſatis magnificè ita effert: *In quæcunque corpora omnia diſſoluuntur, vltimò ex iisdem quoq; componuntur neceſſariò.*

In Sulphur, Salem, & Mercurium omnia vltimò reſoluuntur. Ex his itaque omnia componuntur neceſſario. Vnde conficitur, hæc eſſe principia rerum prima. Aſſumtum appellat experientiam.

Lis hæret in aſſumto. Si pro mercurio ponas aquam, pro ſulphure aëream igneamque partem quanquam hæc etiam aquæ forma latere poſſit, pro ſale, terram; ita enim plerique exponunt; ſed tamen diuerſimodè in arte, & extra artem, cum in arte ſignent elaborata ad purum extra artem vero impura: non abſurdus eſt ſyllogiſmus, ita tamen, vt vox OMNIA non

non extendatur vltra compoſita corpora, & elementata. Scimus autem artem etiam elementa exhibere, quæ non raró cum principiis coincidunt: ſed tamen item cum analogia ad planè externa. Quod ſi accipias de his ſolummodo, quæ artifices Chymici appellant, nec verum eſt aſſumtum, nec eius munimentum. Eſt magiſterium elementorum in Chymia; eſt principiorum. Quodq; ſuas habet regulas, quibus miſtum docet ſeparare in iſta. Sed analoga tantum eſſe ad naturę elementa, priuatio ſimplicitatis ſummę indicat. Sapor enim odor & cæteræ miſtorũ ſolorum affectiones in illis reſtantes arguunt miſtionẽ, ne quid dicam de reſolutione vlteriore. Ita ex ſale Chymico amplius fieri lapis poteſt. Hunc cõpoſitum eſſe, nemo tam ſtupidus eſt, quin agnoſcat. Oleum, ſeu ſulphur coagulat ex liquido. Ipſo Michelio teſte neceſſe eſt, duos humores in eo fuiſſe, liquidum, & craſſum. Craſſum vero ſecundarum qualitatum è miſtione eſt: et indicat idem flamma, quæ ſimplicem ignem, aërem, aquam, terram, aut ſi ita volunt, omnino ſimplex principium non prehendit. Si aurum ſolueris in ſalem, ſulphur, & mercurium, nullum iſtorum erit, quin ex remotioribus conſtet. Nec elementa Chymica ſunt vltima compoſitionis. Sunt enim duntaxat artis, & ex analogia nomen acceperunt. Quis aliâs tam ſit ſtolidus, vt ſimpliciſſima & prima velit ex miſtis elicere magno cũ labore,

cum iis abundet natura? Multo minus itaque principia artis, ſunt principia naturæ. Sacræ literæ, vt intueamur lumen de lumine, quo gloriatur Michelius, hominem, quin omnia ex terra facta, reducenda eſſe in terram aiunt. Terram autem quam? Illam, quæ erat ante ſpecies diſtinctas. Certum autem eſt, eam fuiſſe tunc rude elementum, & ancipitem ad omnes ſpecies, quas poſtea diuino iuſſu produxit, materiam. Hæc ſunt vltima elementa, idque tam euidens eſt, vt pluribus oraculis crebro inculcetur, vt Gen. 3. Sir. 3. 17. 41. Hiob. 10. Sap. 3. & 15, &c. Videmus item etiamnum, hodiè ex aqua & terra fieri limum viſcidum, & hunc conglutinari, aut concreſcere in lapidem. Si hic reſoluitur in vltima; non in mercurium, ſulphur & ſalem, niſi hæc ſint elemẽtorum Symbola, ſed in elementa vulgata ſoluetur. Qualitates primæ ad tactum & compoſitionem indicant Ariſtotelicam ſententiam adhuc obtinere. Sed oportet Michelio etiam opponere Paracelſicum dogma, vt videat conſenſum. Omnia corpora in ſalem, mercurium, & ſulphur reduci ſcribit. At Paracelſus cum ſuis ita eſſentiam duntaxat diuidit. Corpus craſſum deſtinat elementis. Hoc ſaltem cum item ſit miſtum, non erit ex illis principiis, aut neceſſe eſt fateri nulla eſſe elementa in Alchymia & natura, ſed meras eſſentias, quarum aliquæ ſint degeneres. Sed audi ſequentem notam.

NOTA

NOTA XXXV. DE ELEMENTORUM *compositione.*

MICHELIO elementa sunt corpora mista. Principia vero simplicissima, principia autem Isaaci ex ænigmatis Chymicorum arrepta, & tradita Paracelso. Itaque pag. 98. sic narrat. *Elementa dicimus esse omnium rerum matrices, & receptacula ex tribus principiis composita, in quæ etiam resoluuntur. Sunt enim prima corpora composita, ac suis gradibus distincta.* Agnosco Seuerini verba, sed non mentem. Scribit quidem hic, illa tria non vulgariter intellecta vniuersa corpora cõficere, vt videatur ẽt elemẽta sale sulphure & Mercurio polluere: Sed aperta tamen de elemẽtis mẽte hęc habet: *Elementa sunt, loca, matrices, domicilia, vitali validaq; potestate munita quæ semina generationi consecrata fouent: Et: quia loca sunt, incorporea vt sint, necessitas iubet. Nisi enim essent demensionum legibus absoluta, nequaquam corporum principiorum, & seminum tantam multitudinem tam facile reciperent. Semina cohærent elementis indissolubili nexu.* Hæc est prima elementi Seueriniani acceptio qua nihil est per se existens, sed tantum relatio loci ad locatum quanquam tunc frustra eis tribuat vitales facultates, & potestates validas, quas locus per se non habet, sed ob alia seu corpora, in qb⁹ est ista loci rõ. Deinde elementa ponit alia, in quibus illa loci rõ hæret. *Ea sunt*, inquit, *corpora elementorum proprietatibus magis insignita, in quibus nulla interna dyna-*

mis latet, ſed tantum ſteriles caliditates, frigiditates humiditates, ſiccitates: Et: *fructus ſeminum aliorumque elementorum perenni fluxu & irrigatione generationibus inſeruientes, quæ Paracelſus putet eſſe corpora arcanis deſtituta ſeu cherioniæ naturæ, prædita ſterilibus ſeu relollaceis qualitatibus, in quibus ſit nulla conſpiratio cum aſtris morborum, &c.* In his Seuerinianis non poſſum videre illam compoſitionem. Nam incorporeum ex corporeis naturaliter non fit. Itaque priora elementa non ſunt ex Mercurio, ſale & ſulphure. Deinde ſi poſteriora elementa ſunt ſterilia, & nihil habent, præter qualitates primas non poſſunt conſtare ex principiis Michelii, quæ eſſentiam fœcundam conſtituunt, & à qualitatibus iſtis abhorrent. Non itaque conſentiunt hi duo. Addo recentiorem quendam, qui ita ſcribit. *Elementa ſunt fulcra rerum, & ſuſtentacula, glutina, vehicula, & materialia: Principia vero ſunt ætherea, formalia, ſubſtantifica quæ ſunt de Eſſe rei & ſe habent actiue. Item Mundus diuiditur in ſimplicia, & compoſita. Ex ſimplicibus ſimplicia ſunt duo, Elementa, & Principia. Elementa ſunt ex quibus res ſunt, & in quæ alia omnia, vt in receptacula ſunt repoſita, & ſunt tria, materialia, terra, aqua, aer & vnum formale vt cœlum.* Ecce tres conuiuæ mihi diſſentire videntur. Cadet cauſa Michelius, & male erit contẽplatus ſuũ lumẽ. Certe, ſi elementa ſunt capſę rerũ cæterarũ, erunt & principiorũ & ſic priora natura & ratione. Si item ſunt prima cor-

corporum, quomodo conſtabunt ex aliis? Diuinũ lumen nominant cœlũ, terram, aquarum abyſſum, aerem, prima: non Mercurium ſalem, ſulphur. D. Petrus: vltima mundi reſolutione elementa cętera ab elemento igni deſtructum, iri vaticinatur: οἱ οὐρανοὶ ῥοιζηδὸν παρελεύσονται, στοιχεῖα δὲ καυσούμενα λυθήσονται, καὶ γῆ καὶ τὰ ἐν αὐτῇ ἔργα κατακαήσεται. Præmittit terram, ſubiicit reliqua. Si vellem myſteria in ſacris de his venari, poteram etiam ex D. Paulo ad Heb. 5. principiis præmittere eleměta, cum ibi fiat mentio τῶν στοιχείων τῆς ἀρχῆς: Elementorum principii, &c. Vnde innui credi poteſt, elementa eſſe gratia principiorum. Sed nolo in his aliquid roboris ponere. Paracelſus vulgaria elementa iterum reſoluit in elementa, quod fortaſſe ſic æſtimaret ex veterum ſententia nullum elementum circa nos in noſtro loco eſſe purũ, hoc eſt, omnia viciſſim compoſita eſſe ex elementis prioribus. In lib. de eſſentiis tribus, quicquid ex elementis productum eſt ex tribus eſſe putat, quæ principia vocat. Sed Chymici veteres omnes Mercurio elementa priora faciunt, & Bernhardus ait, *in principio chaos ceratum eſt, ex quo fiebant quatuor elementa, & ex his beſtiæ* (quod & Paracelſus in lib. de peſtilitate repetit) item *ſicut omnia ſemina ſunt ex quatuor elementis, ita & ſulphur & Mercurius, &c. Ita ſcilicet conſentiunt Chymici Paracelſici inter ſe, & cum veteribus Chymicis.*

2. Pet. 3.

NOTA

NOTA XXXVI. DE *Bombardis.*

BOMBARDAS prifco æuo fuiffe ex 6. Æneid. Virg. indicat. Dicitur ibi Salmoneus quatuor equis inuectus, & lãpada quaffans per Græciam Elidemque iuiffe, nimbofque & fulmen ære, curfuque equorum fimulaffe. Seruius interpretatur de fabricato æreo ponte, fuper quem acti fint currus ad imitanda fulmina. Nihil certè puerilius eft, quam ex ære & equorum curfu tormenta bellica colligere, quod fors melius ex glandibus liuentis plumbi in bello Æneæ fparfis confeceris. Id, inuentum in Germania aut potius Europa nouum, apud Chinenfes fcribitur memoria annorum carere, & vetuftiffimum effe, tefte Garzia, & aliis. Petrus Meffias, referente Ambrofio Pareo, lib. 10. chir. in præfatione, circa annum Domini 1343. & multo etiam ante 400. nimirum annis indicauit Mauros & Tunicios ex doliaribus quibufdam machinis, feu cannis ferreis ignita fulmina in hoftes cum multo bombo detonuiffe. Ego inter obiecta notaram à Chymico repertã effe artem. Senex ille, fors Polydoro perperam intellecto, mẽdacium pro fenili modeftia vocat. Sed eft in hiftoricis pluribus circa annũ Saluatoris 1355. (aliis 1380.) Monachũ, feu Chymiftam Philofophum (vt ex Benato allegat Paræus) Friburgi natum nomine Conftantini: aut vt alii fcribunt, Bertholdum nigrum profeffione Monachum

nachum Franciſcanum & Philoſophum, quē Mattheſius appellat eximium Alchymiſtam, ſclopetos inueniſſe, dum halonitrum cum ſulphure ad ignem ſtuduit figere, quanquam Polydorus neſcio quid de ſcintilla in mortarium incidente ſomniet. Nec ignotum eſt Monachos, ex quibus etiam Thomas de Aquino, Lullius, Reinaldus, &c. olim Chymiæ fuiſſe deditos. Si mendacium eſt, non eſt meum. Sed facile Michelius alios poteſt pro ſua modeſtia mendacii arguere, cum nemo fors in mundo ſit, qui ea probet ſtatuatque, quæ ipſe ſibi de Chymiſtis finxit. Mihi ſane, & autoribus meis Chymicus fuit. De deliriis Michelianis non ſum ſolicitus. Tale eſt, quod pag. 100. accuſat me auaritiæ, quaſi pecunias affectaſſem, cum ſcripſi in natura eſſe diuitiarum copioſiſſimarum mare, vbi pro abundantia & inſtructo variarum rerum naturalium penu diuitias enunciaui. Nauiget Anticyras.

Ridicula ſtultitia Michelii.

NOTA XXXVII. DE FERmentatione.

PAg. 119. Atrociter in me debachatur quaſi falſa doceam & ex erroribus dogmata conſtituam, dum nuger ſtolide de fermentatione cum Mercurio frigido. Ego quidem fateor, me id retuliſſe epiſt. 68. lib. 2. Sed non ex me, verum ex Thomæ de Aquino ſententia. Ita hæc habet: *Cape ſolis depurati communis*

Thomas de Aquino per meam perſonam a Michelio traducitur.

in i-

in igne calefacti, qui fermentum rubedinis est, vncias duas: Incide in frustra parua cum forcipe: Adde Mercurii vncias quatuordecim: Fac Mercurium fumigare in tegula & solue in eo salem, &c. Ita is in auro. At in argento sic: *Misce fermentum Lunæ cum partibus septem Mercurii eodem modo vt in rubeo fecisti. Nam eadem est materia, fermentum diuersum, Argentum foliatum sic magis est vtile, quam Massalega habet in se misturam quandam fæcum Mercurii, & debet amalgamari cum Mercurio frigido. Alioquin hoc operando maxime errant, soluentes amalgama aqua forti.* Hæc Thomas. Non debebat huius autoritas adeo sordere Michelio, cum non tantum fuerit, Alchymista eximius, sed & Paracelsi præceptor, cui mille Michelii nunquam possunt ne cōparari quidem. Ego ista ad Chymiam retuli, & mysterium subesse artis indicaui. Verba ita vt sonant, in suo reliqui honore. Cur inde in me sæuit? An etiam compos mentis erat ille senex cum ista effutiret? Sciat autem me quidem de frigida amalgamatione non admodum esse solicitum, sed tamen rem ipsam longe euidentius scire, quam is tot annorum decursu cognouit, aut adhuc cognoscet. Verum est istud Rosarii, *Multa bona procedere ex corporum cū Mercurio amalgamatione; Verum, quod alius scribit de fermentatione, aurum esse fermentum Elyxiris, sine quo nequaquam peragatur: hæc esse coniungenda, miscendaque, nec posse fermentum ex alia esse quam rei natura quia quodlibet gignit*

gnit suum simile : Sulphur & argentum viuum tingendum, aurum ad rubeum, argentum ad album sumendum, quæ sit clauis Philosophiæ, &c. In Rosario Philosophorum negatur ignis necessarius esse ad tincturam albam, sed ad rubram, quæ verba eundem habent sensum cum Thomæ. Itaque & Arnoldus ab hoc virulento homine traducitur.

NOTA XXXVIII. DE INSTRVMENTIS Chymicorum.

CENSET pag. 119. me blaterare de instrumentis Chymicis, cum miser Chymicus vnica materia, vnico vase, vnico furno sit contentus. Itaque iudicat me fornacum numerum á meis Pseudochymicis Nebulonibus esse imaginatum. Quis vnquam fuit tam insigniter impudens conuitiator? Aut vniuersum Chymiæ ambitũ contemplamur aut partem eius præstantiorem, quam perfectum magisterium lapidis appellarunt. Neutra in parte satis est vna fornax. Quod autem ille senex garrit, Chymicum nõ nisi vnam requirere id mysticum est, nec intelligitur de omni eius opere, sed tantũ de digestione, vsque ad cõplementum Elyxiris. In præparatione vero, & reuerberatione, explorationeque impossibile est, si artis præcepta & dexteritatem velit obseruare, & nõ pditè mutileq; laborare, vna fornace õia peragi, & hæc sciens scribo. Sed ne solus conuitia sustineã solusq; id affirmare

Chymici, à quibus Alchymiam accepi, vocantur nebulones,

videar

videar, aduoco in consortium culpæ omnes Germanos, Italos, Gallos, Arabas & cæteros, quorum commentarii de Chymia hactenus sunt editi. Omnium erit communi crimini obnoxium esse, aut Petulantiam huius Michelii damnare. Profero duntaxat trium testimonia, de quibus scripsit Michelius, non esse iis refragandum, quibusque ipse frequenter acquiescit. Librum de fornacibus suum Geberus iussit custodire, quod exponat cuncta diuersis libris suis scripta. In hoc describit furnum calcinatorium, sublimatorium, & fusorium, omnes distinctos, seorsimque expressos. In summa perfectionis addit sublimatorium duplicem, descensorium, destillatorios plures, vt per cineres; balneum, filtrum, &c. Insuper calinatorium repetit, & solutorium exhibet singularem. Ecce mecum consentit. Non autem opus est, vt ille malus senex me doceat artificium lapidis ita esse absconditum, nec egere tot instrumentis. Aliud est de sola materiæ coctione agere, aliud de vniuerso Chymici officio, quam rem non considerauit. Procedat & Calid. quem item in oculis habet Michelius. Hic instrumenta suæ Chymiæ, quæ plane est & sola de lapide, nominat cucurbitam cum Alembico, & aludelem, quorum vnumquodque furnum habeat sibi conuenientem, sicut & similitudinem congruam quilibet furnus. Sit tertius Nebulo Paracelsus. Hic in cap. 1. de tinctura Phy-

Geberus fornaces ponit plures.

Calid.

Paracelsus.

Physicorum enumerat cucurbitas, circulatoria, vasa Hermetis figulina, itē balnea, fornaces ventosas reuerberatorias, aliasque cum tabulis marmoreis forcipibus & huiusmodi, sine quibus negat se posse in Alchymia & Medicina progredi. Quod si velis perseuerare in tua Phantasia, & libellis putatitiis, pronunciat te ad nihil proficui electum & prædestinatum. Vide & Augurellum, qui caminum sublimatorium multis vasculis aptum cōcinnat, & post hunc etiam alium fabricat ad digestionem: tertiò ad proiectionem in tigillo seu catino, requiritur rentosa.

NOTA XXXIX. DE OPERATIONIbus, sit ne vna, an multiplex?

COGNITA *natura, ars non pluribus indiget rebus*, inquit Rosarium Philosophorum, *nisi vna, nec magnas requirit expensas, quoniam vnus est lapis, vna Medicina, vnum vas, vnum regimen vnaq; dispositio. Alii duntaxat digerēdum, & coquendum monent.* Hæc & similia dicta apprehendit Michelius ille fatuus, & cum in cæteris omnibus ænigmata & fabulas sibi somniet, hic putat apertam esse dictionē, cuius fiducia me exagitat. Sed non attendit illam operationem vniuersalem diuersis modis regiminis, diuidi in plures particulares. Solue & coagula, clamant plæriq;, vtrumque tamen potest fieri igni. Quid mirum, si vtrumq; exprimitur per vocē coctionis? Quis nescit de-

ſtillationem, reuerberationem, ſublimationem & alia plura Chymiæ artificia inſtrumento ignis abſolui? Num itaque, quia coctionis nomine, aut ſeparationis (multi enim vocant artem ſeparatoriam) præcipui labores contineri dicique poſſunt, vituperandus eſt, qui plures deſcribit? Non puto vllum hominem tam fore iniquum, excepto ſtolido iſto Michelio. Pag. 122. debacchatur in me quaſi putauerim nihil aliud ſignificari verbis Chymicorum, quam quod ſonant, dumque legerim mentionem putrefactionis, deſtillationis, ſublimationis, calcinationis & reliquorum omnium, non conſiderauerim vnica ſolum vniuerſali quadam operatione continua, non interrupta, reliquas omnes quotquot ſunt, cōprehendere autores voluiſſe, & producit teſtimonium Auicennæ. Ego ſanè ignorabam Michelii figmentum. Alioquin ad id me, ſi dignum iudicaſſem, accommodaſſem. Sed cum Chymiam ita deſcribere inſtituerem, vt in commentariis vſuque inuenitur artificum, non potui vna operatione eſſe contentus. Ipſum Roſarium Philoſophorum titulo Alterius partis Chymiæ de lapide, indicat, plura tractare Chymicum, ad quæ illi opus eſt etiam pluribus operationibus. Præterea videbam impoſſibile eſſe vnâ omnia eiùs artificia abſolui. Ipſe Michelius illam quidem vniuerſalem vnam nominat, ſed nihilominus ſpeciales plures, in illa contentas agnoſcere cogitur.

cogitur. Et infrà pag.329.& seq.inter ea, quæ sciri debent, ponit imbibitionē, assationem, fermentationem, destillationem, sublimationem, incerationem, inhumationem, &c. quorum impossibile est vnam eandemque esse rationem & definitionem. Quocirca & administratio variat, & sic in me reprehendit, quod ipse statuit. Rogerius quidem scribit, quod totum magisterium terminetur vna re, lapide vno, vna via, coquendo scilicet, & vase vno: sed Turba ter ponit coque, & Arnoldus, in cuius Rosario nihil occultum, deuium, & diminutum esse indicat caput primum, pluribus id explicat: *Opus primum Philosophicum est,* inquit, *dissoluere lapidem in suum Mercurium, vt reducatur in primam materiam :* Item : *Qui vis operari, primum labores in solutione & sublimatione duorum luminarium oportet sublimare, figere, calcinare, & soluere,* &c. Idem autor in flore florum, *si ad perfectum magisterium,* inquit, *peruenire volumus, oportet primò, vt lapidem Philosophorum purum & mundum habeamus, acceptum, sicut est in sua minera nullo adiecto, nec diminuto; Et sublimare ipsum, descendere, destillare, calcinare, soluere, coagulare, fixare, incerare, quæ est tota practica.* Paracelsus in Physicorum tinctura iubet digerere, destillare, sublimare, reuerberare, extrahere, soluere, coagulare, fermentare, figere, &c. Num itaque, vt titulus istius fanatici seu famosi libelli cum pagina 123.

habet, iſtæ operationes ſunt ementitæ? Si mentiti ſunt Geber, Paracelſus, Arnoldus & cæteri, qui tamen in hac re iudicantur verè ſcripſiſſe, non pudet me cum iſtis mentitum eſſe, vt ſic virtus ſuſtineat nomen vitii execrandi, ſed væ Michelio, qui lucem vocat tenebras, & tenebras lucem.

NOTA XL. DE SVBIECTO CHYmici, deque etymo Chymiæ, & metallis Philoſoph.

Vide notam 5.

DOCTRINARVM plenus hic eſt Michelius, & crebrò inculcat, vnde dicta ſit Chymia, quid tractet Chymicus, & quæ ſint metalla ſuorum Philoſophorum. Ego me doceri rectius, præſertim à ſene, ſicubi errauerim admodum exopto: Veruntamen à perito & ſapiente non à futili blaterone, & odioſo ſophiſta, qui cum ipſe nihil veri rectique ſciat, tamen ingentis ſapientiæ opinionem ſibi arrogat. Sed quid tandem tractat Chymicus? Pag. 129. *Negat eum contrectare aurum, & argentum.* Cur? *Quia conſtat aurum & argentum non eſſe materiam, circa quam laborat.* Hoc docet Etymologia. *Dicitur enim Chymicus, quia circa humorem, non, vt tu (Libaui) dicis, circa metallorum, aut mineralium metamorphoſin, verſatur.* Ita pag. 130. *quamuis lapidem Philoſophorū, aut eius principia auri, argenti, & ſimilibus vocibus quandoque nominarunt, id fecerunt, vt artem celarent,*

Pag. 157. idem repetitur & 253.

rent, imperitos secluderent, doctiores allicerent: Pag. 131.: *Metalla Philosophorum non sunt metalla vulgi: quia illa communicant vna materia, quæ est argentum viuum cum suo sulphure, & solum differunt maiore, minoreve decoctione: id, quod de vulgaribus metallis est falsissimum, quæ propriam habent mineram & generationis materiam.* Pag. 152. *Quid illa (Stibium hydrargyrus, cinabaris turpethum, &c.) ad verum Chymicũ? Nihil illi cum sale, Vitriolo, hydrargyro metallis, aut mineralib. est cõmune. Nam illa ne tãgit quidem* (Au) *omitto vt contrectet.* Hæc & similia satis fuse Michelius, quibus ex sapientibus planè stultos facit, & omnia ad conceptam opinionem ita cogit, vt secus sentiens nihil sentire credendus sit, alienusque esse ab omni vera Chymia. Contemplemur tamen istas sententias aliquantulum, vt illustrior fiat veritas. Fatetur Philosophorum verba pro me esse, sed id significare quod solent, negat. Non sum ignarus, sermonem istorum artificum esse disciplinæ peculiarem, & docendi genus perplexum. Sed hinc non est consequens nihil propriè apud eos dici. Fallunt maxime tropis, qui tamen explicantur alibi. Deinde ordinem habent crypticum, cumq; multis modis possint operationes in rebus diuersis fieri, modos modis permutant, vt, cum putes sublimandum esse, quomodo hydrargyrus cum sale & Chalcantho solet, illi non hanc sed suam sublimationem requirunt. Cum iubent soluere, nolunt te aquis forti-

Chymicorum obscuritates.

tibus aut cellarum deliquiis vti, ſed ea ſolutione, quæ fit per ſuum acetum, & ſic in reliquis, in quibus videndum eſt, quid certæ materiæ pro natura eius conueniat. Fit & aliqua occultatio, dum modo negant affirmata, modo affirmant negata, ſed non ſimpliciter, quia aliud quid verſutè intelligunt quam quis ſimplicior exiſtimare poſſet, veluti, cum dicunt hydrargyrum ſuum non eſſe vulgarem, & tamen crudum à minera item vſurpant. Sed à vulgo accepta tunc ſunt Philoſophica, cum per artem ſunt apparata, nec differunt ſubſtantia, ſed adiunctis, &c. Hæc & ſimilia in vſu diſciplinæ Chymicæ inueniuntur. Michelius transformat omnia in, neſcio, quæ Phantaſmata portentoſa. Chymiam dictam vult à ſubiecto, quod tractet Chymicus. Sed hæc vox incognita eſt Gebro, Hermeti, Meſuæ, &c. qui perfectum magiſterium ſolent appellare, & reuera diuerſis modis ſcribitur, veluti Alchemia, Alchymia, Chemia, Chymia, quod à fuſione ſeu ſolutione, aut humoribus, hoc eſt extractis ſuccis, nomen inueniſſe putent. Roſarium maius narrat Alchymiam apud Græcos ſignificare tranſmutationem. Vnde ars iſta ſit tranſmutationis ſcientia. Alii aliud afferunt. Fuit & in Ægypto oppidum vetuſtum CHEMIS, apud Herodotum. Putare quis poſſet hinc nominis originem, vt rei

Chymiæ vox.

vt rei, eſſe. Sed parum refert, vnde natum ſit vocabulum. Itaque ſiue à fundendo, ſiue ſucco appelletur Chymicus, non certabo cum Michelio. Illud apertè falſum eſt quod negat, ipſius opus eſſe metallorum tranſmutationem, ſi circa humorem occupetur. Conſideretur ſaltem factum Ægyptiorum tempore Diocletiani, & tantæ pugnæ, quæ hactenus circa Chymiam fuerunt, quaſi ſpecies non poſſint transfigurari. Ipſe Michelius contra Moreſinum meditatur libellum ob hoc ipſum, ſicut & contra Eraſtum. Si quis vnquam fuit in illo ſene pudor, hic eſſe debuit, ne tam perfrictè audacterque mentiretur contra conſcientiam.

Chymia negatur metalla tractare.

Sit eius labor in humore: at nihil impeditur Metamorphoſis. Verum tamen eſt, quod non poſſit metalla permutare, ſi ea planè non contrectat vt ſtolidè garrit. Itaq; & hinc inuiolabile argumentum eſt contra ipſum. Neceſſe enim eſt metalla tractare eum, qui promittit fine artis ſuæ eorundem tranſmutationem. Hoc autem intendere Chymicum, eum præſertim, qui lapidem fabricat, quem ſolum ille Chymicum ſtatuit, Sole meridiano eſt clarius. Vtuntur quidem illo etiam ad medendum, ſed interiore ſcopo, cum non requiratur tanta perfectio ad Medicinam morborum, quanta ad metalla mutanda; imò noxium venenum eſt lapis perfectus homini. Hinc conuertitur etiam ad

gemmas aliosque vſus. Tædet autorem allegare. Conſtat enim vulgo polliceri omnes auri & argenti effectionem. Non eſt conſequens ſi humorem pro ſubiecto habet Chymicus, eum non tractare metalla aut mineralia. Mirum quidem eſt, transformari eius ſubiectum in HVMOREM, qui omnibus Paracelſitis eſt vnguis in oculo, adeo, vt Galenicos probroſa voce ſoleant Humoriſttas appellare: qua ipſi potius erant notandi, cum toti Humoribus addicantur: ſed tamen etiam metalla & hydrargyrus, aliaque mineralia nonnulla ſunt ſucci terreſtres, & à Platone aquæ nuncupabantur. Humor penè humorum, vt ita loquar, eſt hydrargyrus. Hic vultum mercurii Philoſophici habet, quem ſolum & vnicum artis ſubiectum omnes ſtatuunt, idque proximè cõcedo. Itaque Chymicum, qui lapidem fabricatur, ttactare humorem, ſed non excluſa natura minerali, & metallica. Imo & metalla ipſa nominibus expreſſerunt ſuis, licet callidè negantes vulgaria eſſe ſua, id, quomodo ſit accipiendum, ſuperius eſt expoſitum. Michelius aurum & argentum appellaſſe vult, vt rem celarent, &c. Sed falſo fine. Nam occultatio non eſt in voce auri & argenti, ſed in diſcretione Philoſophici, & vulgati: Vtrumque eſt aurum & argentum eſſentia, & natura. Sed aliter diſpoſitum Philoſophicum, aliter vulgare. Nominant tamen aurum etiam Solem, argentum Lunam; vtuntur vocabulis maris & fœmi-

Chymici in Humoriſtas transformantur.

Vox auri & argenti.

fœminæ, corporis & animæ, ignis & materiæ, &c. quæ omnia ſymbolica ſunt, & aliquam proprietatem rei exprimunt. Recenſui ſupra argumenta irrefragabilia, quibus certo demonſtratum eſt, Chymicos, qui lapidem concinnant, metalla tractare, veluti (vt ea compendio repetam) quod ex fine artis eius principium ſit ſpectandum, iuxta axioma, Simile procreat ſimile, & in tota praxi nihil alieni, quod non ſit naturæ eiuſdem, eſt inferendum, & fermentum eſt eiuſdem radicis, cuius eſt maſſa, & contra, vel, vt Roſarium habet, fermentum non eſt, niſi ex natura paſtæ. Deinde, quod natura imitanda ſit artifici, natura autem tum vniuerſalis in generatione ſimilis ex ſimili, tum particularis in auri & argenti confectione per ſemen auri & argenti. Tertio, quod impoſſibile eſſe ſcribant lapidem per minora mineralia, vegetalia, & animalia perficere, ſolamque omnes requirant naturam metallicam. Quarto, quod omnes negent, ab artifice poſſe dari diſpoſitionem ad auri ſemen, ſed neceſſarium eſſe, vt id iam per naturam ſit effectum arte nihil conferente præter coctionem ad perfectionem debitam, quam ſolam natura non potuiſſet præſtare. Itaque vbi nulla eſt natura metallica, fruſtra laboratur ad producendum lapidem metallificum. Nec valet Michelii iudicium, qui credit Elyxir ex aliis ſcilicet ſuccis eſſe fermentum ex metallis. Natura propria natura

Metalla tractari à Chymicis.

gaudet, nec fieri poteſt, vt fermentetur metallo id quod metallicum non eſt. Quinto adduco his conſentientes artificū ſententias, neque has in prima acie pono, ſed prioribus rationibus ſubmitto, vt per illas firmentur, & viciſſim conſenſu ſuo declarent illas. Sexto, cum experiundi gratia principium operis tētaſſem, vidi naturæ potentiam reſpondere philoſophorum requiſitis, ex vnione triun fieri Mercurium Philoſophorum, quo impoſito ad digerendum putrefactio exhibeat ſeparationem, & ſolutionem, in qua apparet nigrities illa, & fumus, quem caput corui appellant & reuera in ſe habet occultatam rubedinem, &c. Sed ne meis verbis putes te circumduci, præter ſupra poſita teſtimonia adiicio nonnulla alia. *Lapis noſter, inquiunt, apud omnes Philoſophos nominatur Mercurius, qui non eſt natus, vt multi, putant, ſed ex corpore (non humano, vt Michelius videtur velle, ſed metalli perfecti) extractus, fitque ex tribus, Sole Luna, & Mercurio. Extractio fit per Mercurium crudum, aut per ſolutionem Philoſophicam in primam materiam. Qninta enim eſſentia non extrahitur ſine aqua, (inquit Roſarius) & tinctura debet eſſe corporea à corporibus metallicis extracta per beneficium & mediū mineralium, ſed non abſque Mercurio. Si enim corpus non roſolueris in mercurium cum Mercurio, virtutem ex eo habere non potes: nec vlla extractio valet extra compar, ita vt omne alienum repudietur. Natura enim gaudet natura, eamque mutat, &c,*

Teſtimonia nonnulla.

Iuro

Iuro per Deum (inquit quidam in Roſario) *quo nullus alius ſit Mercurius, niſi extractus ex duobus corporibus: &,Medicina eſt ſimplicis, virtualisque naturæ ex aqua Mercuriali,in qua aurum,& argentum prius ſunt ſoluta, producta. Auicenna requirit ſulphur, id quod negat exiſtere ſuper terra, niſi in duobus corporibus, ſole & luna, in ſole perfectius quia magis digeſtũs. Noſtrũ Elyxir (ait Roſarius) repudiat vegetalia, & animalia, item magneſias Marchaſitas,Thutiam, Baurach, ſalem, atramentum, alumen, &c. quod ea forent in Mercurium mutanda, idque fruſtra, cum is aliâs ſuppetat.* Ita reiicitur ſulphur,argentum viuum, auripigmentũ,arſenicum;&c.Idem facit Richardus negās ex minorib.mineralib.poſſe fieri metalla,quodtñ ſcopus artis requirit.Roſariũ maius *impoßibile, ait, minora mineralia poſſe fieri artificialiter metalla,& cum his etiam profligat animalia, horumque vrinas, ſtercora, oua, ſpermata &c. quicquid ſeminauerit homo, inquit, id & metet, ſemina, aurum,& argentum* (non certe Michelianum; tale enim nemo vult metere) *& afferet tibi fructum millesimum cum labore tuo, mediante natura, quia ipſum ſolum habet, quod quæris,& nulla alia res mundi, cum omnia alia ſint fœtida,& naturæ cedant per ignis aßiduitatem & examen.* Hanc ob cauſam Geberus auri artificialis ea propoſuit examina, quæ nulli rei conueniunt, niſi ſyncero auro, vt iterum ſit temeraria ſpes Michelii,qui ſuum Elyxir ex alio facit, ex alio fermentum. Non enim ſuſtinere

nere poteſt examina aliud, nec vna manere in miſtione, & omnes ignes, præſertim antimonii,& cæmenti negatis repetitos perferre. Sed non fatigabor amplius collectione ſententiarum. Percurro argumenta iſtius ſenis. I. *Metalla Chymicorũ, inquit, non ſunt metalla vulgi quia illa habent vnam materiam, hæc non.* Fallit argumentum. Nam & vulgi metalla, & Philoſophica ex vna radice Mercuriali ſunt, vt ex tot diſputationibus & laboribus Chymicorum patet. Decipitur ſenex phraſi nõ intellecta. Agnoſcunt certe Philoſophi etiam id aurum, quod foſſores ex montibus eruunt, ſed in hac forma, ſuum eſſe negant. Poſtquam autem artem expertum eſt, iam eſt aurum Philoſophorum. II. *Chymicus non exercet χαμαίαν τινὰ τέχνην, nec occupatur in rimandis his quæ ſub terta ſunt.* Equidem non eſt foſſor metallicus ſed tamen cognitam debet habere naturam metallorum, vt poſſit eligere materiam & tranſmutare. Ars habet vera principia naturalia, inquit Richardus, cum natura formet corpora in minera. Hæc itaque, qui non nouit deſperet de arte. Ita Geberus in lib. perfecti magiſterii requirit notitiam naturalium in minera. III. *Qui tractat vulgaria metalla, tantum diſtat à Chymici ſtudio, quantum cœlum à terra.* Hoc fateor verum eſſe, ſi tractatio quoq; ſit vulgaris. Aliâs & Michelius cum ſuo fermento aureo & argenteo abſit à cœlo. Qui tractat ritu & more artis, recte tractat.

Argumenta Michelii contra metalla.

Geberus citante roſario, Artificem oportet naturas metallorũ generationes, infirmitates, & imperfectiones in ſuis mineris cognoſcere, antequam perueniat ad hanc artem.

IV. *In artificio plura ſunt nomina metallorum, at non res, quia tantum diſpoſitiones & articuli coloresque differunt. In natura vero vulgari etiam res diſcrepant.* Non ignoro Philoſophos ex analogia lapidis ſolere iudicare de naturæ progreſſu in metallis gignendis, quaſi à Mercurio per plumbũ, æs, argẽtum ad aurũ pergat, nec vllũ ſit aurũ, quin prius argentũ aut æs fuerit. Hoc quidẽ ego nunc non voco in dubiũ, at ipſorũ lapidẽ ſimiliter progredi per imperfectiones ſcio. Quid quod aſſerant nonnulli, ſi tunc ceſſaret ars, cum plumbi diſpoſitio apparet, nil fore præter plumbum, ſi cum argenti, nil præter argentum?

V. *Verus Chymicus non tangit ſalem, argentum viuum, &c.* Quid planius eſt, quam Michelium ſibi peculiarem Chymiam ſomniare? ſi non contrectat, nec tangit metalla vulgi Chymicus, ſane delicatulus eſt, imo arte prorſus exulat. Non tamen ſordebat iſti ſtibium pag.175. cuius ſubſtantiam recte purgatam, & vſurpatam vires dicebat habere non pœnitendas. Quin nec laudanum opiatum Paracelſi auerſabatur, quanquam duo capiat venena. Meus Chymicus tractat quidem omnia ex quibus magiſterium & eſſentiam facere poteſt, in lapide tamen conficiendo ignorat alumina, ſales, lotium, & ſimilia. Scit enim hæc, tanquam peregrina, & à metallis aliena, non poſſe eorum naturam corrigere, aut perficere.

NOTA

Vide infra punct. 5.

NOTA XLI. DE HIPPOCRATICA Medicina.

Galenus negatur cognouisse arcana Hippocratis.

HÆc laudatur pag. 139. & 140. *Sed pag. 141. Galenus ne quidem per transennam dicitur vidisse arcana Hippocratis, & nunquam ingressus ad ea, quæ ille cognouit*, Repetitur nimirum delirium Gramani, quæ ex Hippocrate spagirum faciebat Paracelsicum excerptis distortisque voculis nonnullis ex lib. de veter. Medicina. Sed cum Michelius cum cæteris suæ farinæ, atrociter inuehatur in principia communia Hippocrati, Platoni, Aristoteli, Galeno, aliisque, commendatio illa subdola esse friuolaque deprehenditur. Quod arcana fingit in Hippocrate, ad quæ non peruenerit Galenus, ridiculum est. Vbi est in Hipp. Mercurius ille, sal & sulphur, quæ tria, vt patet ex Rosario maiore, arripuerunt improbi Chymici ex artificum ænigmatis, postea que Hollando duce, & Paracelso propagatore omnibus rebus addixerunt? Pag. 139. *Incertum esse, scribit, qua medendi methodo & lege vsi fuerint antiqui Græci, vt AEsculapius, Prodalyrius & cæteri.* At si vera sunt somnia Paracelsica & Micheliana, per lapidem sanarunt absque omni methodo. Præfatio manualis, quæ Paracelso tribuitur, dicit, *quod Deus spiritum Midicinæ per Machaonem, Podalyrium Apollinem & Hippocratem fundamentaliter inceperit sinere operari, vt vera Medicina tanquam per nubem appareret, &c.*

Pap. 142.

Cōtra pag. 217. Æsculapius dicitur vniuersale Michelii sciuisse. Item sequar vestigia Machaonica, quæ ex lumine naturę procedūt sicut flos à calore solis.

In 1, de vita longa *ex Mahomete & Hippocrate fiunt magi, quorum hic filiam suam argumento incantationis transformauerit in corpus ab omni natura alienum*. Lib. 2. negatur intellexisse Medicinas Epilepsiæ. Et iterum in 1. cap. 2. negatur magnale longæ vitæ procurandæ assecutus, &c. Fingunt itaque & refingunt sibi Paracelsitæ Hippocratem pro libitu. De Podalyrio, Machaone & aliis vetustioribus, si consulantur Historici, constat Chirurgiam & Diæteticam eos exercuisse omissa plerunque Pharmaceutica, quam venenatam iudicabant. Hoc confirmat liber Hippocratis de vetere Medicina in initio, vbi Medicinam ex victus obseruatione ortam tradit. *Mihi equidem*, inquit, *nemo ne quæsiuisse quidem Medicinam videtur, si idem victus & sanis & ægrotis conuenisset, &c.* Item: *qui Medicinam inuenerunt, primum ex cibis copiam detraxerunt, & pro multis paucos statuerunt.* Vide & reliqua. Plato in 3. de Republica veteres Medicos hoc modo describit. *Absurdum*, inquit, *existimandum est, homines Medicis egere non ad vulnera sananda duntaxat, morbosque curandos intemperie aeris & pro anni tempore aliter atque aliter incidentes, sed ob desidiam & luxum, vt homines lacunarum instar, aqua, flatuque exuberantes coëgerint præclaros AEsculapii successores morbos quosdam nouo nomine, flatus* (φύσσας) *& catarrhos appellare. Nona sane hæc morborum nomina, nimiumque absurda AEsculapii tempore non e-*

non erant, quod hinc coniicio, quod eius filii apud Troiam poculum ex vino Pramnio, farina & caseo non improbarunt, &c. Vide & reliqua, vbi modos medẽdi comprehendit per vomitum, deiectionem ventris, vstionem, incisionem, qui tamen antiquitus nõ fuerunt omnes, sed diuturna victus obseruatio & externa nonnulla. Ita quod in Theætheto est ἰατρός φαρμάκοις μεταβάλλει posterius inuentum est. Inuenit autem Aesclapius. Nam cum negarent negotiatores sibi vacare ad diætam diuturnam & capitis suffarcinationes (πιλίδια περὶ τὴν κεφαλὴν pileolos) Æsculapius his, qui natura & diæta alias corpore bene haberent, morbum autem quendam in se deprehenderent, eam ostendit Medicinam, qua Pharmacis & incisionibus infirmitas tolleretur, consueto, solitoque victu seruato: τὰ δ' εἴσω διὰ παντὸς νενοσηκότα σώματα οὐκ ἐπιχειρεῖν διαίταις κατὰ μικρὸν ἀπαντλοῦντα καὶ ἐπιχέοντα, μακρὸν καὶ κακὸν βίον ἀνθρώπῳ ποιεῖν, &c. hoc est, plane morbida intus corpora non aggressus est vtpote diæta paulatim exhauriens & infundens, vt sic longum quidem, at malum vitæ spacium homini contingeret. Hæc & similia narrantur de veteribus ante Hippocratem, quo pertinet etiam consuetudo Ægyptiorum & Lusitanorum, de qua Strabo in 3. Geog. refert, quod Ægrotos plateis exposuerint, vt prætereuntes, qui olim simili laborassent malo, iis sanationis modum communicarent. Fuit & lex, quæ

quæ præcepit Medicis primo triduo ægrotos ex arte curare, & ſi non conualeſcerent, poſtea tentare, quæ quis haberet comperta. Ex Æſculapii porro ſtirpe natus Hippocrates Cous (vt eſt in Protagora) ab omnibus dicitur diſperſam Medicinam in volumen artemq; redegiſſe, & ita locupletaſſe, vt eius ſcripta oſtẽdunt. Eodem autem ſeculo fuiſſe perhibentur Hippocrates, Democritus, Empedocles, Socrates, Plato, nempe ab anno mundi 3500. vſque ad 3620. aut circiter: & Democritus quidem cum Empedocle refertur inter artifices Chymicos, quanquam ille Theoricus potius extitit, hic videtur etiam practicus fuiſſe. Nam in hiſtoriis eſt, eum medicamine quodam reſtituiſſe quendam Elatum, & veluti ab inferis reuocaſſe. Id appellant ἄπνυν, quod abſque cibo, potu ſpirituque creditum ſit hominem per menſem ſeruare poſſe. Sitne hæc cauſſa nominis vera an ficta, aut potius nomen ex rumore natum, quaſi reſtituere poſſit eum, qui per menſem non ſpiraſſet, non licet iudicare. Videntur tamen hinc habere Chymici, quo ſui medicaminis laudes efferre poſſint. Narrant ſenem quendam Medicum ſponſionem feciſſe, ſi vllo vnquam morbo decumberet, ita nimirum fidem facturum arti ſuæ. Eum poſtea ſcalis deiectum vltima ſenectute interiiſſe. Fors & huic aſſcribent ſuum lapidem. Sed Ægyptii maluerunt auri argentique theſauros.

Hermes Ægyptius floruiſſe dicitur circa annum M. 2430. & circiter, coætaneus Moyſi Ebræorum. Alii ſynchronum Zoroaſtri, quem Chamum nominant & Abrahæ dicunt fuiſſe.

NOTA XLII. DE ARGVMENTIS *quibusdam pro lapidis vniuersali ad omnes morbos virtute, & vsu.*

NON omnes, qui Chymiam lapidis docuerunt, mentionem faciunt vsus medici ad omnes morbos, quod, vt ait Paracelsus, obiter cognitum sit, etiam corpori ægroto sanando istum prodesse. Richardus Anglicus asserit, *aurum Philosophorum* (ita appellat Medicinam illam, seu tincturam ex auro) *infinitas, imo omnes ægritudines curare, quia excellens in ea ignis agens, omnes humores consumat in ægris corporibus existentes, tam calidis, quam frigidis causis, idemque efficere argentum per artem digestum perfectè: nec aurum in prima sua dispositione curare lepram tam potenter, nisi per artem plus digeratur. Non autem vsurpandum aurum, aut argentum vulgi.* Addit, *morbum vnius mensis sanari vno die vel hora, vnius anni, diebus octo, & dimidio mense in Chronicis seu antiquis; arcere senectutem,* &c. Rosarium maius citat Platonem suum Hermetem, Geberum, & Arnoldum, repetitque verba Richardi, nominatim dicens, *istam Medicinam expellere omnes humores malos, inuehere bonos, conferre honorem, amorem, securitatem, audaciam, victoriam in prælio.* Rosarius Arnoldi dicit, *in omnibus morbis excellenter iuuare, menstruum morbū sanare die, anniculum diebus duodenis.* Non segnis est Paracelsus in his Elogiis. Ea enim cumulatim recitat in Tinctura Physicorum, &

Richardus de lapide ad morbos.

Rosarium Philosoph.

Arnoldi Ros.

Paracelsus.

rum, &

rum, & manuali, idq; ita arroganter, & superbè, vt atrociter inuehatur in Aristotelem, Galenum & cæteros. Et quanquam alibi vniuersale damnet, hic tamen cõtentiosissimè astruit, & omnes veteres recentesq; se Arcanorum Monarchã sequi iubet. Nolo commemorare plura. Tã magnifica suæ Medicinę cũ tribuant hi artifices, nihilominus tamen scrupulus in animis etiam horum relictus est, qui aliâs eius magisterio non aduersantur. Quis quæso tam simplex est, quin hyperbolen ironicam in Rosarii maioris verbis notet? Illene lapis victoriam in prælio tribuat, amorem conciliet, & reliqua quæ magicè superstitioseque etiam gemmis asscripserunt veteres, sed absque rei consensu? Quam fidem meretur id, cuius experimentum nullus vlla hominum memoria, saltem literis consignata, exhibuit? Ille ipse, qui gloriosissimè superbissimeque de lapidis notitia, vsu & possessione scripsit, Paracelsus non tantum non omnes morbos in vniuersum vna illa Medicina curauit, sed & plurimas compilauit, inculcauitque alias, & sibi neutiquam potuit nec morbum nec paupertatem aufferre, aut saltem mitigare. Pollicetur aliis centum quinquaginta vitæ annos, aut etiam plura secula, sed sibi ne ad Iubilæum quidem seu quinquagesimum profuit. Tot passim sunt Paracelsitæ; tot artifices. Vbi lapis? Michelius sibi præ aliis eum vendicat. Vbi effecta? Arnoldus metalla &

Mercurium transmutauit, morbos omnes vno lapide vniuersali quando & vbi sanauit? Quid opus fuit tam multis in Medicina commentariis, si omnis vis in vnam Medicinam est congesta: Satis esse in vino & alio liquore exiguam eius quantitatem præbere, scribit Paracelsus. Nimirum tota Medicina ita redigitur ad Pharmacopœian, & potum lapidis. Non requiritur præceptorum de variis morbis, variis remediis, vario vtendi modo multitudo, si ab vno sunt omnia. Institutum certè proprium requirebat, ne plura præciperent. Sed hoc ipsum, cum factum sit, diffisos suæ arti fuisse argumento est. Bernhardus aliquoties sibi factum esse lapidem narrat: Sed vbi historiæ auxiliorum? Sed vt vt hæc aliaque se habent, & ipsa quoque morborum natura & diuersitas non patitur vniuersale aliud, præter Medicinam vniuersam, eamque non nisi in reparabilibus; (de DEI potentia nemo dubitat, estque ea contemplatio Theologica) tamen si existat aliquis artifex, qui & faciat illum lapidem, & omnes omnino morbos ita feliciter sanet illius solius adiumento, parati erimus pedibus in istam assertionem ire. Ego interim non ibo inficias præclarum esse medicamentum, & quod industriè cum Diuina benedictione adhibitum plurimum possit. De vniuersali vero expecto experientiam. Michelius vult nobis verbis persua-

persuadere; sed his non curamur. Sileat, & argumentum proferat ab experientia euidente & historia singulari. Verba verbis retundere facilè possumus, & rationem ratione elidere. *Morbus duntaxat triplex est* (inquit pagina 146.) *ex caussa triplici. Ergo in curatione vna quadam Medicina generalis, ex tribus composita, existere potest.* Sed illa diuisio morbi triplicis proculdubio exhibet tria genera, quorum quodque ab altero tota natura est distinctum. Ita Galenici quoque tria morborum summa genera habent; sed, vt hinc non potest vna Medicina inferri, ita nec inde. Medicina genera generibus opponit, singularia singularibus, valetque illa Idea Catholica in præceptis ex prioribus natura deducendis; at sanatio est in singularibus. Et quis erat ille Michelius, qui infinitos tartaros in corpore humano videbat, & necesse esse, singulis suum remedium inuenire, asserebat? Tria genera morborum si vno remedio composito & triplici facultate instructo sunt curanda, necessario item ad vnum erunt reducenda. Si enim inter se pugnant, vni familiare remedium duobus resistet. Generica quoque facultas, nisi aliquo additamento ad speciem singularem reuocatur, determinaturque, nihil efficiet laudabile. Sit autem morbus vnus in defectu partis, alter in abundantia, tertius in imbecillitate radicali; si hic iu-

1. Argumentum.

uerit vnum remedium naturale, & resectum digitum restituerit, abundanrem sextumque sustulerit, & simul ab ortu claudicantem correxerit, fatebor miraculum inesse. Ita iudico, si in vna parte Mercurius ille Paracelsicus fuerit absumtus, in altera Sulphur excedat; in tertia Sal fatuus euaserit, aut saltem Mercurius & Sulphur ille defecerit, hoc abundauerit. Sed secundum auscultemus. *Duo sunt*, inquit, *quæ corpus nostrum fulciunt, vitamque conseruant, calor natiuus, & humor radicalis, substantia calidi innati: quæ duo spiritu persusa connexaque in omne corpus dimanant. His vna potest prospici Medicina.* Quid opus est nouo fundamento? Aut idem hæc sunt cum tribus istis, aut diuersum. In eodem nihil est præter tautologiam. In diuersis non tantum triplicem habebit potentiam Medicina, sed sextuplicem. Cur non satius est, semel dicere, omnium & similarium, & dissimilarium partium, instrumentorumque vt spirutuum, sanguinis, & caloris, vim habere Medicinam tam in genere, quam in indiuiduo? Ita vno halitu omne argumentum erit confectum. Sed tamen, si ad probationem peruentum fuerit, aqua, opinor, hærebit. Nouimus autem calorem natiuum, & humorem & spiritum conseruari vno nutrimento sinceri sanguinis, atque ita benè esse corpori, quantum in hoc esse potest. Ita vniuersalis

2. Arg.

uersalis conseruatio est à nutrimento. Sed, si spiritus, sanguis & calor aliundè labefactétur; si non hæc duntaxat instrumenta, sed & partium singularum substantia iacturam incurrat, vt non iuuare possit etiam optimum nutrimentum: si idem spiritus modo sit impurus, modo copiosior iusto, modò deficiat, iam etiam non sat digestus, aut venenata qualitate ab aptitudine sua ad functiones vitales deiectus; si obstructio assit inueterata; si meatus præcisus, & membrum computruerit; hæc & similia infinita num sanare vna eademque Medicina potest? Restauret spiritum exiguum; impurum emundet: torpidum frigidumque calefaciat & recreet. At, si inflammatus fuerit, & detentus obstructionibus, corruptioneque vel vehiculo humoris destitutus, quomodo his vna eademque succurret opera? Non dico iam eundem calorem spiritumque instrumentalem sanguinis ritu applicandum esse singulis membris, & in iis peculiariter informandum, quo non facto, nequit esse procurator singularum functionum. Si membrum singulare laboret, nec illa medicina vim membri habeat, quid prodesse possit, nō video. Vtinam tantum sarcoma, aut varicem, aut aneurisma, aut enterocelen sanare posset: quæ tamen si non restituit, non potest esse Medicina vniuersalis. III. *Morbus in homine nihil aliud est: quam affectio, qua impeditur functio spiritus vitæ. Ergo Medicina, quæ spiritum suble-*

Si vnus modus esset singularis medicamenti, vt nutrimenti, posset admitti vniuersale.

3. Arg.

ſubleuat, cunctis aliis vitam & animam ſuppeditabit. Agnoſco Paracelſum, & Ambaldum. Tria & iterum tria producebantur fundamenta; iam vnum. Quæ veſania eſt? Si in vno ſpiritu omnis eſt morbus, quid producis Mercurium, Salem, Sulphur, Calorem, Humorem? Sed nec vera definitio eſt, nec inde ſequitur thema. Non ſpiritui Medicina eſt adhibenda, ſed id tollendum, quod eius actionem impedit, niſi ægrotet & ipſe. Demens ſis, ſi in obſtructione veſicæ fellis à calculis, mihi augere velis ſpiritus, aut eos reddere calidos per ignẽ tuum lapideum. Si tua Medicina tunc prodeſt, non ideo prodeſt, quia ſpiritum in ſua ſubſtantia aut qualitatibus adiuuat. Aſſit ſtrumoſus quidam, qui ſimul habeat vnguem in oculo. Da ei Medicinam ſpiritus augentem, aut minuentem, aut acuentem, &c. non autem abſumentem ſuperfluos humores, & diſſipantem vnguis ſtrumæque materiam; quam egregiè ſis profecturus, apparebit. Riſu digna vox eſt, illam Medicinam membris animam & vitam reſtaurare. Em pedoclem, ſi hoc eſt verum, non iniuriâ dicunt mortuum reſtituiſſe, quod tamen & Æſculapius perhibetur feciſſe. Quid opus eſt ventoſa lingua Micheli? Si haberes illam Medicinam, quam profiteris, eo defendis, non tam otioſe nugareris, & famoſos libellos ſcriberes. IIII. Pag. 148. ita eſt: *Noſtra Medicina vniuerſalis, omnibus morbis præſtare ſalutem poteſt, tum ratione ſimilitudinis, cum*

Animam reſtaurat Micheliana Medicina.

4. Arg.

calore

calore insito, tum quia est incorruptibilis, & omnibus morbis contraria. Sit similis calori insito, si hoc, non curantur omnes morbi, nec Medicina illâ. Non autem calore insito etiam optime constituto posse omnes morbos curari, noto est notius. Quid enim quæso in pestilente febre efficit ille calor? Quid in cerebri vlcere? Quid in lue Gallica? Integer cum est, non potest resistere morbis eosq; prohibere. *Auget*, inquit, *iuuat, nutrit.* Nego hoc. Nullũ enim est singulare exemplum, cumque omnes Chymici ex metallis & Mercurio lapidem faciant, neutiquam potest calori innato, qui animalem rationem habet, & in nobis humanè est dispositus, nisi prius informetur à potentia nostra naturali, similis esse. Nec informatur id, quod est ita inuictum, & incorruptibile, vt scribit. Nec informationis modum habent furnuli Chymicorum. *At omnibus morbis est contraria.* Impudens hoc est mendacium, quanquam non conueniat Paracelsicæ sectæ contrarietas in morbis. Sit contraria obstructioni vesicæ: quomodo eiusdem lacerationi, & annatæ carunculæ? Abundantię humorum aduersetur & diaphoresi ignea subtilique dissipet humiditates, quomodo repugnabit siccitati hecticæ? si incorruptibilis est, quomodo nutrit calidum innatum? Nihil nutrit sine transmutatione sui in substantiam nutriendi. Verba profundẽda erant, etiam cum impudentiæ nota. Persuasum ha-

bent illi homines, vt opinor, ſicut ſub tegmine ænigmatum Philoſophicorum ſtrenue mentiuntur, nec refelli poſſunt, etiamſi inconditiſſima dicant, ita fore etiam in cæteris. Sed ex auribus aſinum agnoſcimus.

5. Arg.

V. Pag. 149. *Notum omnibus eſt, curationem nunquam fieri niſi natura ſuperante morbum. Seruandum itaque id, à quo agendi facultas procedit, & negligenda cætera: Et per conſequens, nullum medicamenti genus exhiberi poteſt vt Proſit, Niſi Hoc Noſtrum, quo corroboratus calor aduerſus rem noxiam inſurgens eam vincat, & expellat.* Ita ille. Gratulandum eſt veritati, quod eius hoſtes, etiamſi ætatem putent ſe contriuiſſe in contemplatione, tamen adeo inepti, rudes fatuique inueniantur in controuerſia, eſtque hoc proculdubio victoriæ certiſſimæ argumentum fidele. Concedo axioma prrmum. Nam & nos dicimus morbum ſanare eſſe naturam ad priſtinam integritatem, á qua per morbum deiecta eſt, reuocare. Concedo item, id fieri maxime per naturam, adminiſtrãte Medico ea, quibus excitetur ad opus, roboreturque, & tollente aduerſa & moleſta. Inepte tamen ille ſenex loquitur, ſuamq; inſcitiam in medendo prodit, dum negligenda putat cætera, & ſeruandam ſolam naturam, ſeu id, quod agendi facultatem confert, quod calorem poſtea vocat, quaſi natura ſit ſolus calor, aut hic ſolus curandus, cætera contemnenda; ſed ſi omnia hæc concedantur,

num

num conſequens eſt, vnam medicinam eſſe, & nihil prodeſſe, niſi vniuerſale Michelii? Nihil minus. Primo enim ſingulares naturæ, & quæ vniuerſalia ſunt in corpore ne poſſunt quidē proprie & per ſe vna medicina iuuari, idque ſi fingeres eas omnes vno modo ſimplici afflictas eſſe. Quod enim vnius membri naturæ cōgruit, id non admittit reliquorum, niſi ſigillatim fuerit immutatum, & diſpoſitum. Nec perinde eſt vniuerſalia iuuare & particularia, cum ſæpe illa ſatis ſint commoda nihilominus his laborantibus, vt in crurum cachexia vel bracchii tabe, vbi ſanguis vniuerſalis ſpiritus, calorque poſſunt eſſe inculpati, at membri natura proſtrata tantum valet, vt etiā illa deprauentur cum adueniunt, nec fit ſanatio, niſi hoc ſigillatim curetur. Deinde, ſi non vno modo, nec vna natura, nec omnes afficiuntur, ſed penè innumeris & inexplicabilibus interdum, variæque ſimul exiſtunt & implicātur variæ affectiones, multo minus vnum medicamentum naturale, cuius eſt per ſe eodem modo ſemper agere, proficiet. Scimus præclaram operam nauare in variis vna medicina ſanandis vſum & artificis induſtriam. Itaque Polychreſta nō repudiamus. Nec ignotum eſt, medicamentum vnum modo per accidens operari, modo per ſe, & vt diſpoſitum eſt patiens, ita ſequi actionem veluti fit, cum vno colore cortinæ immerſum varie diſpoſitum linteum, tingitur

gitur varie sed nullibi inuenitur τὸ πᾶν, nec i
omnibus vniuersisque existit τὸ μόνον. Am
baldus eodem vtebatur argumento, & inue
niebat astipulatores aliquos. Sed caussa ce
cidit. Neque enim ratione, nec sensu, ne
experientia potuit suum assertum defendere
tãdemq; turpiter id reuocauit ad particulare
Bonum præceptum est Naturam esse iuuan-
dam. Sed quibus modis iuuatur? Non vnc
certe in omnibus, Sæpe illa per se valet, &
duntaxat impeditur, siue quod instrumenta
vniuersalia nõ sint præsto, vt cum obstructio-
ne præsente sanguis non potest peruenire ad
membrum, aut excrementa recte secedere
&c. siue quod aliquid externæ insit noxæ,
quam nequeat sola expellere, vt cum vermis
natus intra caluariam lancinat depasciturque
partes, siue quod non possit continere id,
quod aduenit, vt rupto magno vase in vul-
nere, aut nimiis pororum laxitatibus, &c.
Tunc certe frustra conuertimus nos ad so-
lam naturam, eamque validam medicina ca-
lori familiari reddere annitimur; obstructio
tollenda; effugia adminiculorum obturanda;
molestũ quod est auellendum, partes vinctæ
aut luxatæ restituendæ. Non nego obstru-
ctiones paruas sæpe tolli à medicina ignea, vt
quæ fit in paralysi ab humoribus, qui possunt
concoqui & dissipari á diaphoretico: Sed v-
bi calculi sunt duri & pertinaces vt carnes,
crassum phlegma, grumus, pus, & similia,
mirabor

mirabor, si profuerit illa vna Medicina. Mirabor, si ruptam venam maiorem intra abdomen consolidauerit. Hæc & similia morbos faciunt, aut etiam sunt morbi, at nequeunt sanari isto vniuersali, nec satis est naturam roborasse. Vbi illa gloria magnifica? Si nullum medicamentum dari potest, vt prosit, præter Michelianum; nullus autem id habet ne ipse quidem Michelius, quia non est artifex: iudicate, quam egregius sit Medicus, & qua turpitudine infamet omnem Medicinam etiam eam, quam ex stibio commendabat, cum laudano Paracelsi. Pudeat senem huiusmodi friuola priuatim dicere, nedum literis publicare.

VI. Pag. 150. ab autoritate ratio producitur simul cum prolepsi. *Scio, inquit, multos esse Chymiæ veritatem negantes: Sed plurimos è contra nouimus, qui eam non inficiantur: & si tibi eiusmodi artifices sunt ignoti, aut existimas paucos esse imo nullos, qui optatum finem assequantur: non propterea artem negare debes, quam Nisi vniuersalem certam, & rebus consentientem animaduertissent viri illi sapientißimi, nunquam theoremata vniuersalia reliquissent, & posteris tanquam vera magno consensu tradidissent. Neque enim sequitur artem esse falsam, etiamsi pauci aut fere nulli optatum consequantur finem Nam effectus non est finis artis, sed artificis, qui arte vera existente errare potest.* Ita Michelius. De Chymiæ veritatem negantibus alius est sermo. Si plurimi sunt, qui eam

6. Arg. Pag. 248. ita de suis Chymicis loquitur: Iudicare tantos viros Geberum, Anaxagoram, Democritum Lulliũ mendacia nectere de hac re, qui de reliquis vera tradiderunt, absurdius est, quam vt cõfutatione verbosiore dignum cẽseri debeat. Ohe.

eam non inficiantur , non tamen ideo est comprobata. Expectant enim illi plurimi fortassis, donec tandem experientia & opere confirmentur illa quæ se posse aiunt Paracelsitæ. Fors etiam pro sua modestia in medio relinquunt, nec de ignotis volunt iudicare. Præterea, quomodo persuadebit nobis ille senex plurimos esse Chymiam aut non negantes aut scientes, cum ille ipse nullum esse scribat, qui eam hac tempestate explicarit, aut perfecte sciat? Ego profecto cum plurima legerim de Chymia vetusta, nonnulla etiam ipse & factitauerim & viderim ; tamen somnium Chymiæ Michelianæ non deprehendi , præterquam , quæ in famoso suo in me scripto effudit. Si hæc est Chymia', quam Michelius putat, nulli sunt in vniuersitate artifices Chymici. Non si quis Chymiam putat esse veram, Michelianam putat. Insuper, qui credam artem esse, cuius nulla existunt opera? Si nullus artifex assequitur finem optatum, ars aut nulla est, aut temeraria est. Nulla est ideo, quia omnis extruitur per experientiam certam immotamque, & dum discitur, simul confirmatur exemplis. Somnium est, si verum putas, cuius tamen in agendo nihil comperias veri. Temerariam autem iudico, si ab vno aut altero conscripta, cæteris non prodest. Quid est commodi ab inutili scientia eius, quod nisi opere spectatum, nihil potest edere proficui? Quæ vero dementia est ad illos homines

mines fidem ſine experientia alligare , qui
obſcuriſſime de arte ſunt locuti , nec inue-
niunt , qui id , quod volunt , aut aſſequa-
tur , aut facto demonſtret ? Vin' me tibi
credere , Micheli ? Age prome tuum lapi-
dem & omnes morbos cura. Tunc valet
autoris teſtimonium , ſi integræ eſt fidei , ſi
candidus, apertuſque & iuſtus , nec diſſen-
tit experientia. Neſcio an hæc inſint iſtis
tuis artificibus , quibus quid præ Ariſtote-
le , Hippocrate , Galeno & cæteris am-
plius credam , non video. Si noſtros au-
tores repudias , cur obtrudis tuos ? Idem
argumentum , quod de tuis vſurpas de no-
ſtris poſſumus , & longe hoc verius , cum
certum ſit , naturam ipſam & experientiam
eis in plurimis aſtipulari. Theoremata de-
bent eſſe fidei plena , abſoluta , perſpicua,
immotaque , nec demonſtratione & expe-
rientia deſtitui. Si hoc de tuorum artificum,
tuiſque verbis & pronunciatis confirmas,
credemus theoremata vos fundere. Friuo-
lum eſt , non tradidiſſe incognita. An non
fuerunt homines ? An non pluirma men-
dacia , fabulas , ænigmata ſuis libris ingeſ-
ſerunt ? Quid verum , quid falſum in illis?
Liquido hoc & ad oculum monſtra. Sed tu
ſenio tuo nugaciſſimo imperitiſſimoq; con-
uenienter facis , quod verbis garrulis te de-
fendis. Re enim non potes Mirum eſt,
tantæ

tantæ ætatis hominem non didicisse de arte & artifice recte loqui. Cur quæso effectus non est artis finis? Quorsum tendunt artis præcepta, nisi vt aliquid fiat? Ars est forma & idea artificis quam sequitur. Si secundum hanc operatur, reliquis astipulantibus, non debet aberrare, & si nō potest propter externas circumstantias ad finem peruenire, tamen in partibus & vbiuis bene agere debet, aliâs artem vel non didicit, vel non exercuit. Quæ vero ista ars est, cuius documenta inter tot præclara ingenia, quæ eam tentarunt, adhuc delitescunt? Loquor de vniuersali in morbis sanandis. Cuius adhuc primum experimentum desideramus ab omni mundi memoria, quæ ars ista? Verborum & iactantiæ satis est. Quin tandem procedunt opera?

7. Argu.

VII. Pag 152. *Cum vulgaria, quæ tui carbonarii parant tanto honore celebres, vt nobilißima dicas esse artificia, & virtute præstantißima, quid diceres si vel scintillam veræ artis Chymicæ, in qua Chymicus Vnum tantum artificium agnoscat, reliqua Respuit, quia vnico hoc medicamento plura præstare potest, quam omnes tui spagirici, fumiuenduli, &c. fuisses assecutus?* Hoc â minore est argumentum quasi prædicaturus sim immodice scintillam Vniuersalis Micheliani cum reliqua mea extollam laudibus. Ego vero, Micheli, dico, syncero animo, me longe amplissimis præconiis exornaturum esse istud tuum Vniuersale, si modo eius exhibeas specimen, & omnes

mnes morbos eo vnico cures. Tuum est non deesse tibi & arti. In me nihil erit moræ. Sed, ne tecum nuger, fateor, me nunquam vituperasse istud medicamentum, de quo scripserunt artifices vetusti, sed in suo semper honore relinquentem preciosis annumerasse. Sed tamen illud, quod sibi somniat Michelius, nunq̃ nec prædicaui, nec alicuius æstimabo, antequam, quale sit, factis cognouero. Illud, quia scio ex auro, argento & mercurio fieri, studiosissimeque elaborari, non possum repudiare. Constat enim his rebus præclaras inesse vires, si ex contumacia pertinaciaque corporea resoluantur in habilem naturam. Notetur autem locus de Chymico Micheliano, & nominatim duæ voces VNVM TANTVM: Item RELIQVA RSRPVIT, iubeo notare. Nam confutatione non eget, cum palam sit, Chymiam veterum plura habere artificia; & si veterum non haberent, tamen, quia posteri artem auxerunt, non consideranda esset in primo imperfectionis statu, sed in eo, qui nunc est. Artibus enim sui sunt progressus, & incrementa. Consideretur etiam Paracelsi cũ Michelio consensus, quem tantopere prædicauit hic nugator. Cum plurima apud illum inuenientur medicamenta chymica, non particularia tantum, sed & vniuersalia, proculdubio vanitas huius senis patescet. Videatur pag. 169. de laude laudaui opiati, item 154. 165. 167. vbi Opiatæ commendantur, quod felicissimo

Chymicus Michelii. Vide suprà notam 3.

Opiatas laudauit Michelius.

ſucceſſu iis ſint vſi Medici ad vehementes colicorum, nephiticorum, pleuriticorum arthriticorumq; cruciatus cōpeſcendos, quodque nulli medicamento cedant in ſomno acceſendo, quæ præconia certè multum detrahunt iſti vniuerſali: Et tamen cum per ſe videantur non iniuſta eſſe, futili huius ſenis incōſtanteque lingua nihil poſſunt ſolidæ gloriæ obtinere. Damnantur enim non tantum per vniuerſale, ſed & pag. 168. periculoſa in vſu appellantur. Verum enim verò is morbus eſt huic homini calidum & frigidum vno efflare ore. Certè etiam ſuum Paraceſum mirificè prædicauit pag. 164. & 165. ſed eum mox nebulonem, carbonarium, fumiuendulum, &c. vocat, dum alia medicamina Chymica præter vniuerſale ſtatuit, docetque, & ignorat planè artem Michelii.

NOTA XLIII. DE VENENO, CVIVS *accuſari dicitur veterum Medicina.*

CONQVERITVR de hoc Michelius pag. 158. quaſi ſint, qui dicant Chymicos non carere ſuſpicione veneni, cum tamen verſentur circa ſubiectum naturę humanæ vtile, iucundum, amicum, familiare, &c. vbiuis ſuos facit Michelius veteres, à quib. tamen tantum abeſt, quantum à ſapientia ſtultitia. Sed tamen, ſi in ſuſpicionem veneni inciderunt, fors id non nullam habet cauſſam.

Eorum

Eorum enim sectatores hydrargyrum sublimatum sibi habent commendatissimum. Rosarii autor ex Gebro suo citat hanc sententiã: *Quam vtilis est ea res, quia nos vtimur ea Medicina cruda; quæ res postquam cocta & digesta fuit, est maximum venenum super omnia venena.* In Turba aqua Philosophica nominatur venenũ plumbum, serpens auri pigmentum, &c. Et additur axioma: *Qui venenum sole & eius vmbra tinxit, ad maximum peruenit arcanum. Nunquam quidẽ moritur, attamen neci datur mulier, quæ suos coniuges interimit. Etenim venter mulieris veneno fit plenus.* Calid. iubet vngere folium toxico ad assequẽdum verum principium magisterii. Paracelsus in manuali concedit, in præparatione esse venenum æquè atq; etiam magis, quam serpens Tyrus, (quem venenatissimum in lacu asphaltite inueniri aiunt, & Paracelsus ineptè putat Theriacam ingredi) concedit item post præparationem magis, quam ante esse venenum, quanquam certa ratione. Vlstadius ob hanc causam repudiat aurum Chymicorum, quia nullus possit gloriari, se non vti hydrargyro, quod Plinius scripsit esse venenum rerum omnium. His dictis ipsi Chymici suam doctrinam faciunt suspectam, quanquam comparatè & tropicè loquantur plurimi. Ego non diffiteor nobilissimam Medicinam in manu imperiti veneno nocentiorem effectum sæpè habere. Nec vult Paracelsus huiusmodi hominum erratis astipulari. Deinde si tanta effica-

cia transmutat metalla, & totam eorum naturam vertit, non immeritò timent aliqui, ne similes turbas moliatur in corpore humano. Certum est nullum metallum mutari vi eius, nisi millecuplo auro, argentove, pro vt est parata, denuo misceatur, & quasi ad certum quid determinetur. Iam ad Medicinã vsurpatur absq; ista mistura, viribus integris, & infractis. Itaq; etiam scribitur in minima quantitate vires habere maximas. At in natura humana non possunt ferri excessus. Est terminus, in quo consistit eius integritas, quem si excedere velis iuuando noceas instar eius, qui croco immodico vitam tollit, consilio eius adiuuandæ. Itaque periculosus saltem erit vsus istius Medicinæ, cum nemo in explorato habeat exactos singularium naturarum terminos. Vocatur & ignis consumens humiditates. Si non potest discernere inter naturales, & præternaturales, non sine periculo metuq; præberi potest. Nam ne superflui quidem omnes sunt tollẽdi, nedum naturales. Dicitur autem superfluos omnes cõsumere. Si cõmendationem itaq; meretur illud medicamentum, cur reddũt suspectũ periculi? Si est tam familiare, & amicũ naturæ, vt scribit ex aliis Michelius cur adeo formidolosa de eo legimus? Illius vsus etiam cuilibet est tutus, modo se non obruat copia. At nõ Medicinæ huius Chymicæ, sed quicquid vndecunq; sit, quod suspicionẽ mali gignere possit, omne tamen libenter ab-

iiciemus,

iiciemus, ſi modo illi Chymici ad oculum nobis demonſtrent, & factis exprimant id, quod dicunt. Hoc ſolum argumentũ decideramus. In hoc cardo eſt negotii. Quin neruos intendis Micheli, & mundũ hoc ſcrupulo liberas? Non cogemus te nobis cõmune facere tantũ bonũ, quod poſſeſſionẽ attinet. Tu ſolus eſto dominus. Tantum fonticulos tuos foras deriua, & illa vna Medicina omnes morbos cura, eo modo, vt ſcripſiſti.

NOTA XLIV. DE IVDICIO OPII & laudani opiati.

PAG. 170. & 171. Diuerſas Opio aſſcribit virtutes, caliditatem & frigiditatem, idq; explicat pag. 172. per diuerſa principia. Verba eius hæc ſunt. *Si ſpectemus, quid Medici ferè omnes de opio memoriæ prodiderunt, tum effectum ſtuporis in eius exhibitione, non dubium, quin frigidum eſſe pronunciabimus. Si guſtu amarorem perceperis, & vim diaphoreticam intra corpus aſſumti expertus fueris, frigidum eſſe nullus compos mentis dicet. Opiũ in aquam, oleum, & terram eſt diuidendũ*, hoc eſt, *Mercurium, Sulphur, & Salem. In Mercurio latet frigiditas, & vis ſtupefaciendi? In Sulphure anodyna virtus. In Sale amaror & facultas diaphoretica. In præparatione Laudani ablato Mercurio, reſtat Sal & Sulphur, in quib. poteſtas anodyna, & diaphorica relinquitur.* Ita Michelius. Eſt quidem inter Galenicos quoq; ſententiarum de opio, Solano, hyoſcyamo, ſtramonia, & ſimilibus diuerſitas. Frigidum quidam ſtatuunt, quidam calidum;

vtrique tamen cum ea determinatione, quod non negent partes inesse diuersas, vnde operationes discrepantes. Sunt, qui toti naturæ assignent effecta, negentque frigiditatis aut caliditatis simplicis esse, sed substantiæ, cui tamen adiunctæ sint & ministrent diuersæ qualitates. Videntur alii non curare qualitates in ipsa natura determinatas, sed contenti esse experientia medica. Itaque & qualitatem illam opii medicamentariam vocant, siue à principio interno per se, siue ex accidente procedat. Potest hoc modo fieri, vt effectus videatur frigoris esse, qui tamen neutiquam sit huius, sed plurium facultatum, quarum quælibet conferat suum. Non negari potest frigus excedens stuporem inferre, & necare partes extincto calore innato. At idem valent multa venena & septica, quorum tamen potentia deprehenditur caliditati propior. Aliud iugulat spiritum eiusque formam destruit; aliud putridum reddit humorem, & calorem dissipat, & sic de cæteris. Inde fit effectus perinde, ac si frigus validum esset adhibitum. Ita contrà incendere possunt frigora foris circumstantia. Cum itaq; in opio exactè qualitates & carũ opera determinare sigillatim nequeant, sed cũ agit, simul agat omnibus virib. malunt medicamentariã vim appellare, quã de primis qualitatib. otiose, & nullo cum fructu disceptare, quorũ sententiã ego iudico esse æquissimam, maximèq; Medico competẽtem

tem. Hic enim ſi ſimplex frig⁹ poſtulat, poteſt id ab aqua, aëre, niue, glacie habere; non aſſumet opium. Sin vim quandam, qualis Opio ineſſe deprehenſa eſt, merito hoc eliget, atque ita ſciet, ſe ſanare, non quâ calidum, aut frigidum quid eſt, ſed quâ facultatem morbo aduerſam accommodat. Hæc vna eſt controuerſia de opio. Alia eſt de correctione, vtrum ea fieri debeat per calida, an alio modo. Calidis emendare ſolent vim eius pernicioſam, qui id frigore moleſtum dicunt. Hoc ſi de frigore medicamentali in effectu intelligunt, ſiue id ex calore, ſiue frigore ſit elementari; non vſque adeò ſunt improbandi, modò non inſtituant correctionem per elementaria calida ſed per determinata in ſubſtantia. Deprehenſum eſt ſolano, cicutæ & ſimilibus reſiſtere vinum Græcum generoſum. Hoc & ſimilibus licet vti in correctione. Sicut enim Ellebori ſuccus venenum omne amittit halitu ſaltem Cydonii, ita ſe habent & alia, quæ Creator naturæ Deus oppoſuit. Sed Paracelſici non ferunt correctiones per additamenta præſertim more vulgato coagmentata, & chymicas præparationes producunt, & ſeparationes, quanquam contra magiſtri facta in opiato laudano & aliis. Putant enim ſe perſpectum habere, in qua parte compoſitionis lateat malitia; aut, ſi non poteſt id cognoſci; tamen artis fiducia per menſtrua ſua, & præparationes credunt duntaxat ſeruari bonum, malum

ſegregari. Aliqui omne malum elementis, & corporibus (vt vocant) aſſcribunt. Itaque omnem eſſentiam innoxiam putant. Rurſus alii diuerſas partes eſſentiæ diuerſa operari ſcribunt. Itaque ſtudendum eſſe monent, vt quæ pars ad præſens incommoda eſt, ea ſeparetur, relictis partibus conducibilibus. Paracelſ⁹ nominatim Tom. 4. pag. 68. narcotica, vt opium, mandragoram, hyoſcyamum, papauer, lolium, vuam verſam, affirmat exigua pręparatione indigere. Iccirco horum farraginem ſæpè leuiter miſcet adiectis nonnullis aromaticis, vt in compoſitione narcotica ad Epilepſiam, quæ conſtat ex opii Thebaici Sicilico, cinamomi ſęmuncia, Moſchi, & ambræ ſingulis ſcrupulis, ſem. vtriuſque papaueris ſingulis ſemunciis, mandragoræ ſemidrachma, Caphurę drachma, Maſtiches drachmis tribus, quæ puluerata exceptaque ſucco Cydoniorum intra Cydonium malum incluſum panis maſſæ pinſuntur, & tritorum ſemuncia iungitur arcani vitrioli vnciis quinque. Ita & in aliis. Interdum eſſentias miſcet adiecto auro potabili, vt in ſummo Anodyno in cura Choreæ conſtante ex quinta eſſentia opii, ſi mandragoræ gr. vij. lolii ℈j papau. ʒij. hyoſcyami ʒiij. auri potab. ſemuncia, aquæ cordis ſex drachmis: In Diabetica liquorem papaueris & hyoſcyami iungit lolii parti quartæ: Contra orexin, hoc eſt, bilis in ſtomacho ardorem radicis hyoſcyami, ſem. hyoſcyami, papaueris ſingulas

ſingulas drachmas cum mandragorę quatuor granis, lolii ſemidrachma, & Theriacæ quãtitate commoda ad formam Electuarii iungit, patetque ex doſi quatuor ſcrupulorum, res integras intelligi. Ego, vt dicam, quod ſentio, non improbo Chymicas correctiones, ſed tamen non probo quaslibet, & quorumuis hominum. Eſt quidem opium, hoc eſt, ſuccus albi papaueris maximi è capitibus collectus inciſis (nam alius dicitur meconinm) per ſe extractus ſuccus, & à Turcis Perſiſque in familiari vſu habetur citra vitæ incommodum: Veruntamen, quia ſpiritibus validis turbat ſpiritus vitales animaleſque, eosque quaſi torpidos reddit & confuſos, vnde ſequuntur ſomni, & quædam delirii imago, ratio monſtrat, ſi coquatur, aut torreatur cum aliqua expiratione, poſſe id miteſcere, quomodo etiam Paracelſus adiecto halonitro arſenicum reddit innoxium, & aliâs vipereæ carnes corriguntur. Quin cum in opiatis initio vim validam habeat, facta fermentatione cum expiratione non parum debilitatur. Itaque coqui in ſucco vel liquore aut aqua cydoniorum & ſolui poteſt, poſtque depurationem denuo coagulari, aut ſi meliores ſunt modi, hos quoque non repudio. Videtur autem cydonicorum ſuccus partem ſpirituoſam figere, ſi qua non exhalat coquendo, maxime autem putet quis, conducere hunc modum, ſi adiecta fuerit maluatici portio. Michelius

 ſepa-

ſeparat in tres partes, aquam, oleum & ſalem. Si aqua ſit per deſtillationem recentis & adhuc liquidi ſucci, apertum eſt, magnam ſpirituum turbantium vim ei ineſſe: & ſecuriore vſu poſſe dari repurgatum ſuccum reſtantem, quem licet in oleum & ſalem redigere fecibusque abiectis iterum coniungere. Neq; tamen omnino à natura opii hæ partes abſoluuntur: Sed tantum mitiores ſunt, & ad ſecure medicandum habiliores. Ita refelluntur hi, qui fecibus tribuunt venenoſitatem, eſſentiales vero partes innoxias tradunt, cum hic ſecuritatis gratia ſit abiiciendus Mercurius, qui tamen & ipſe eſt pars eſſentiæ. Paſſim in vſu eſt arcanum Helidæi ex opio & allio factum, nihilque aliud eſt, quam ſpiritus horũ duorum vaporoſus in alembico vnitus coagulatusque. Rectius mea ſententia facerent, qui vtriuſque ſuccum extractum ſeparato ſpiritu & neglecto adhiberent. Somnificum quidem id medicamentum, ſpirituoſum eſt, ſed non ſine turbis & ventriculi cerebriq; læſione. At cum maluatico extractum opium conducibilius iudicauerim, atque etiam ſuauius, cum illud medicamentum horrido odore ſaporeque ſit moleſtum. Ita ego paucis de correctione opii in præſens cenſeo. Nunc percurram Micheliana cætera. Narcoſin, ſeu vim ſtupefactiuam tribuit frigiditati, quæ eſt in aqua opii. Quid ergo? Num didicit frigiditates non tantum ineſſe elementis, ſed & eſſen-

Michelii eſſentiæ quædam ſunt frigidæ.

essentiis? Non erat talis ille Michelius, qui suum cum Paracelso, & cæteris consensum prædicabat, & qualitates arrogantissime ab essentiis exulare iubebat. Deinde si stupefactiua vis in Mercurio opii est, hoc separato, nõ amplius opium erit Natcoticum, quin & vis hæc frigiditati asscribetur. At non omne frigidum est ita stupefactiuum, vt opium, cuius parua quantitas efficax est idque pręstat, quod non magna copia aquæ frigidæ, aut aeris hyberni aut lactucæ &c. Tertio opium anodynum esse tradunt ob stuporem quem inducit. Segregato itaque Mercurio non amplius erit anodynum, quod tamen vult Michelius. Nã sulphuri seu oleo illam virtutem asscripsit. Quarto, quid responsurus est Seuerino, qui cum Chymicus sit Paracelsicus, in hoc tamen non conuenit cum Michelio? Sic Philosophatur Seuerinus? *Chymici facta separatione sulphur vel oleosum quippiã deprehendimus plane narcoticum (quod est stupefactiuum, vt est effectus torpedinis) eiusdem naturæ sulphura ante conspexeramus eadem industria in multis naturæ partibus in vitriolo nitro salibus fere omnibus sulphure vulgari, herbis pluribus. Itaque nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec siccitati, nec tenuitati, nec crassitiei hanc opii proprietatem asscripsimus, sed tali corpori h.e. sulphuri narcotico.* Hæc Seuer. Tribus sententiis aduersatur Mich. 1. stupefactionẽ sulphuri tribuit, nõ Mercurio: secunda corpori tali, non frigiditati: tertia sales omnes Narcoticos facit, itaq; & salem opii, cõtra Michel,

Vide, quæ paulo infra ex Paracelso retuli.

qui huic calorem&amaratorem adiudicat. Diſcors nimirum eſt Paracelſitarum concordia. Certe eſt etiam in oleo opii aliquid narcotici quanquam mitius, quam in ſpiritu: & Seuerinus temere confundit vim anodynam cum narcoſi & aliis, cum non ſtatim narcoticum ſit quod dolores tollit, ſed nolo me litis iſtius facere participem. Quinto, cum Michelius opium ita tractat, inficit manus ſuas, & mentem turpi inconſtantia, & ſeſe Chymciis meis nebulonibus carbonariis cæteriſque ingerit. Non enim tractabat nec attrectabat Chymicus eius huiuſmodi medicinas, & ne aurum quidem. Tanta eſt ſanctimonia. Sexto confundit ſuam doctrinam in laudani iudicio. Hoc anodynum eſſe concedit & ſtatuit. Vnde An non ab opii ſulphure? Nullo modo. *Non ea ratione, inquit, anodynum dicimus laudanum opiatum, quod calidum ſit in primo gradu, vt Galenus de ſuis pronunciat, ſed propria & innata virtute, quam non tantum ex opio aut eius qualitate, Sed à toto compoſito contraxit. Sola enim vis, efficacia, facultas, & proprietas medicamentorum abigit morbos.* Sed horũ mox oblit⁹ ille miſer ſenex pag. 172. hæc deblaterat verba. *In præpararatione laudanii, ablato Merc. reſtat ſal & ſulphur, in quibus poteſtas anodyna, & diaphoretica relinquitur. Si quis dubitet in ſolo opio præparato faciat periculum, & crudi ac præparati differentiam facile agnoſcet.* Videris hominem nugaciſſimum ad hanc contentionem nihil præter purulentam rabiem

biem attulisse, & stultitiam cum obliuione insignem? Opium in laudano dicit anodynam vim habere, argumento, quod eandem quoque ante compositionem seu præparationem obtineat: & tamen negauerat prius opio laudanum dolores demulcere, sed totius compositi virtute. Vtrobique vero eadem considerationis ratio est. Nam in ipsa compositione, & non extra iudicatur. Septimo impura linguæ pollutæ, deprauatæque mentis sonat verba, dum laudanum suum scribit propria & innata virtute pollere, cum sit artificiosa cōpositio, à qua habet formam, & stulte aut saltem calumniose Galeno asscribit anodyni opii iudicium ob primum gradum caliditatis. Duplicia is habet anodyna (in 5. de simpl. M. fa.) priora, quæ vere & proprie sunt talia, vt anethinum oleum, quæ dicit esse ex primo calefacientium ordine, posteriora improprie, vtpote, quæ ingenti frigore stuporem inducentia dolores arcent, relicta causa, in quo genere opium ponit, quod liberalius potum sensum ita stupefaciat, vt mors inde queat consequi. Toto genere deleteria substantiaque ipsa, vt solanum manicum, dryopterin, hydrargyrum, &c. ab istis seiunxit. Si quid in his peccauit Galenus, frigoris iudicio peccasse videtur: sed tamen non est tanti error, si æquiore iudicio locutum de medicamentaria virtute, non simplici & elementaria, quin potius de effectu, qui ad frigus reduci potest

Anodyna Galeni.

pronun-

pronuncies, â quibus differre veluerit ea, quæ non queant tam liquido ad manifestam temperaturam referri. Sed ab hoste nihil expectes æquitatis. Octauo mentitur ille senex; cum scribit in laudani præparatione Paracelsica opium ita præparari, vt Mercurio sublato, restet sal & sulphur. Paracelsus ipse negabat magna præparatione egere, & simplici extractione per vini spiritum absque omni separatione in principia est contentus, quod ne putet me ex imperitia scribere, legat, quę retuli in Alchemya, antequã vidi sceleratum eius in me libellum. Anodynum certe specificum lib. 7. Archidox: non alio conficitur modo, quam extractione & digestione. Sic enim habet: *Opii Thebaici vncia, succorum arantiorum, Cydoniorum senæ vnciæ, cinamomi, caryophyllorum singulæ semunciæ, contusa misceantur, inque vitro cum alembico cæco digerantur ad salem vel fimum per mensem. Deinde exprime & adiectis musci dimidio scripulo, ambræ scripulis quatuor, croci semuncia, succi coralliorum, magisterii perlarum singulis semidrachmis misce & digere iterũ per mensem, tandem dimidia drachma quintæ ex auro essentiæ iniecta contempera.* Ecce Micheli tuus Paracelsus vtitur succis extractis, quos condit aromatis, & exprimit, vt succi ab impuritate aliena saltem, aromata à crassis corporibus liberentur. Ipsum opium dissolutum in succis, quid putas omittere? Nihil certe præter stipulas, si quæ assunt, aut alias sordes. Substan-

Opium in laudano nõ soluitur in principia.

Anodynum specificum Paracelsi.

ſtantia manet integra, tantumque alterando corrigitur. Idem videre eſt in ſuperioribus, quæ ex illo autore repoſui, inter quæ quod anodynum ſummum vocatur, non principiis ſeparatis conſtat, ſed duntaxat quintis eſſentiis quod vocabulum ille ſæpe tribuit extractis per vini ſpiritum. Quid quod tu Micheli, cũ tuo Paracelſo etiam in iudicio de ſulphure congruis, ſicut cum Seuerino, aut ille ſecum? In ſpecifico anodyno vim tribuit opio, qua morbum dormire & quieſcere faciat, non hominem. In lib. de reb. nat. cap. 7. de ſulphure hæc habet: *Breuem regulam vobis cõmuniter tradam, quod omnia ſulphura de vitriolatis ſalibus ſint ſtupefactiua, narcotica, anodyna ſomnifera, cum tali tamen proprietate, vt hic vis ſomnifera tam ſit placida & mitis, vt abſq; omni nocumento perficiatur non inſtar operationum opiaticarum veluti in hyoſcyamo, papauere, mandragora, &c.* vbi addit opiata non poſſe vſurpari propter venena, præterquam in forma quintæ eſſentiæ. En tibi tuum Paracelſum. Quintam eſſentiam opii prædicat, quanquam inconſtanter, vt ſolet, non tua principia, & vim anodynam cum ſtupefactiua attribuit ſulphuri, non Mercurio coniunctim, non ſeparatim. Cæteras diſcordias tu animaduertas ipſe. Nono diaphoreticum eſſe, anodynum, & ſtupefactiuum, quia ſunt vires miſtorum, compoſito debentur, vt etiam

Opiũ morbum facit dormire.

Paracelſi ſulphur anodynum & narcoticum.

ipſe

ipſe nugator pronunciauit. At principia illa ſunt eſſentiæ Paracelſicæ elementa ſimplicia, quæ ſeorſim neutiquam poſſunt eas vires habere, quas coniunctim in miſto. Aut igitur non vltima erunt, ita vt etiam elementis anteferanrur, vt ſupra delirauit Michelius,, aut falſum eſt, quod hic de viribus eorum garrit. Decimo intemperiæ agitant hunc ſené,vt contra ſectæ ſuæ fundamenta vnum ex principiis abiiciat, cum tamen perpetuum hoc ſit in ore Paracelſitarum, innoxia eſſe,& minime proiicienda principia. Certè ille ipſe ſuprà in Vniuerſali contendebat, Chymici ſui medicinam ex tribus conſtare, vt morbo poſſit eſſe ſimilis, qui item fortaſſe ex tribus eſt conſutus. Decem itaque punctis in vno iudicio hic ſenex compunctus eſt,& ſic tanquam Theſſalicis notis inuſtus obambulabit, vt reliqui nouerint, qui vir ſiet. Addo illis Corollarium, vt ſi vna fors nota obtrita fuerit,dum pudorem à fronte abſtergit,quod impudentiſſimo homini ſæpe facere conuenit, aſſit in ſupplementum vndecima. Opiatum laudanum ab omni noxæ ſuſpicione vindicaturus ordine ſimplicia omnia præter ſolum Hyoſcyamum. At ſi hic venenatus eſt, tota compoſitio ſuſpecta eſt veneni. Deinde non attendit,ſe laudanum Paracelſicum laudando, Philonium à Galeno relatum deſcriptumque per Meſuen approbare. Parum enim diſtat Philonis antidotus à laudano, & radi-

Laudanum Paracelſi in Eaſi eſt Philonium.

radices conueniunt, adeo, vt conſtet Paracelſum ſuffuratum fuiſſe id laudanum è Pharmacopolio Galeni, & ſibi arrogaſſe. In Philonio enim eſt hyoſcyamus, opium & crocus, quæ etiam in laudano. His, ne quid fruſtrà Paracelſus videatur egiſſe, mangonium induxit per additamenta nonnulla, modò verus hic miſturæ ſit autor. Præterea, cum Diambra Galenica irrepit, confunditur Paracelſiſmus totus. Quorſum opus erat turbis Galenicis, ſi tam religioſe tamque præclarè componunt Paracelſitæ?

Laudanum habet Galenicam cõpoſitionem.

Iactitabit nobis extractionem. At fruſtrà. Nam Michelio ea non eſt Chymici, ſed nebulonum, carbonariorum, fumiuendulorũ. Deinde Philonium ita concinnatur, vt in horas poſſit dilui & extrahi feliciſſimè. Digeſtionem enim & ſuccum ſuum habet, qui conſeruatur rectius in corpore familiari & proprio. Si ſeparare cupis, affunde liquorem congruũ, & cola cum expreſſione. Ecce Galenicorum facultatem longè feliciorem. Sed ſat graue eſt corollarium.

NOTA XLV. DE CINABARI *factitia Chymicorum.*

GEBERVS, Bulcaſis & alii deſcriptionem dederunt cinabaris ex Sulphure, & hydrargyro, interdum Sale adiecto, concinnandæ, idque ad vſus potiſſimum metallicos.

Nam aquas regias & gradatorias ex ea cum aliis iuncta parant; aut cæmentis argenti adhibent eandem, cuius gratia ex veterum Chymicorum ſcriptis libellis plurimas conſignaui compoſitiones, quas etiam hodierni Chymici nõ plane contemnunt, vt expoſui in Alchymia & commentariis. Paracelſus Gradationibus & cæmentis frequenter immiſcet, quin & transfert ad Medicinam duplici modo. Etenim componit Emplaſtrum ad vlcera gallica ſiue ſolitaria, ſiue cum cãcro, & fiſtula, in quo non poſtremas habet cinabaris. Poſtea in 2. chir. mag. de correctione impoſt. vbi agit de ſuffumigiis per mercurium, iubet ſublimare hydrargyrum cum Sulphure & Sale petræ, poſteaque ſublimatum ad fumum transferre. Eſt autem id nihil aliud, quam cinabaris factitia, nec abſurdum eſt, hunc ita vti cinabari, qui mercurium ſibi in Gallica lue adeo habet commendatum, vt ſacram anchoram vocet patronum, vnicumq; arcanum, in quo totus Theſaurus curationis ſit cognitus, quiq; nulla egeat correctione. Imo vlcera gallica, inquit, requirere vſum ligni in forma aquæ, & adiuuari mercurio per ſuffumigia, vnctiones, loturas, neq; id de mercurio vegetabili & animali intelligit, ſed de minerali, quia minerali morbo quærendum tale remedium. Itaq; & annulum ex hydrargyro coagulato ad eundẽ vſum applicauit, & Marcaſithas, cum metallis pro remedio implorat. Paracelſum nuper vincere voluit

Paracelſus cinabari vtitur ad medicinam per Emplaſtra & fumum.

Ea deſcriptio extat etiam in quinto naturalium. Ad faciendum cinabarim ex Mercurio debet prius cum citrino Sulphure & Sale mortificari, & fundi, vt fiat puluis niger: poſtea in cucurbita ſublimari diligenter, &c.

voluit Ambaldus. Cinabarim itaque ex istis tribus confectam pro vniuersali magno cum applausu passim vendidit, & proclamauit, nec iam ab ista mercatura quiescit. Ita, qui Chymici habentur à Michelio, vt Geberus, & Paracelsus, cinabarim & parant & vsurpant. At nihilominus non tantum supra execrauit tales, & à vera Chymia remouit, nebulones appellans, sed & pag. 176. cinabarim vocat Pseudochymicorum instrumentum. Si Paracelsus & Geberus, quos Michelius in primæ notæ Chymicis habet, sunt Pseudochymici, quis ipse? quam profitetur Chymiam? Si semen tale, qualis fructus? Laudat cinabarim natiuam, quod habeat arcanum ad Epilepsiam. Non repugno. Habet & opium ad eundem morbum vim occultam. Sed ideo non eximitur venenis. Crato vero docet Paracelsitas scelerato auso propinasse istam pueris epilepticis, & pro salute mortem procurasse. Ego de his meam sententiam alibi aperui.

Paracelsus & Geberus Michelio sunt Pseudochymici & nebulones.

Pag. 201. scribit magica & Chymica mysteria viguisse apud Ægyptios ante *omnia secula*. Phy mendacem senem, & fœtorem diabolicum. Idem os impudens supra dicebat stultitiam coætaneam καὶ σύγχρονον esse sapientiæ. At Propheta ex ore Dei refert non Ægyptios, sed Babylonios, & Chaldæos esse hominum primos, eosque non ante omnia secula, sed certo tempore mundi natos. Zoroastri tribuunt principium suæ sapientiæ magicæ Ca-

Magia & Chymia ab æterno inter homines.

 balistæ

balistæ nostrates, &c, nescio, qui diuini occultique & admirandi de Trinitate, de illo sibi persuadent, adeo, vt, nuper quidam non reueritus sit scribere, sufficienter ex Zoroastre posse Trinitatem probari: nimirum sicut ex Platone. Quasi nos ex hominum testimonio obscurissimo, & non potius Prophetis Saluatoreq; ipso istam doctrinam haurire & ideo asserere quæramus. Sed historiæ testantur incantatorem magum fuisse istum Zoroastrem, eundemq; impium illum Chamesenuum seu Chamum. Si quid itaque Theologicæ veritatis & naturalis commiscuit, eo artificio id factum est, quo vsi sunt & cæteri magi, Thyaneus, Scotus, Paracelsus, Agricola, &c. vt cum luce aliqua deterrimæ simul propagarentur tenebræ. Et hactenus annotaui ea, quæ in apologia Micheliana occurrerunt nobis aliquanto futura vtiliora Cætera conuitia, calumnias, crimina, execrationes, & diabolici animi vomitus atrocissimos, lubens prætereo. Non ero apud bonos inhonestior, quo ille in me sæuiit crudelius. Sed de suo honore ipse videat.

Zoroastri asscripta sanctimonia, qui tamen magus excantator dicitur fuisse.

PVNCTA EX ALTERA parte Libri Micheliani de Medicina.

I. *QVID MEDICINA?*

PAG. 213. *Medicina, non pro arte, aut scientia accepta, est verum & vnicum instrumentum sanita-*

ſanitatis, quo ea conſeruare, & amiſſa reſtitui poteſt.

Imò eſt benè medendi ſcientia. Benè medetur, qui ſanitatem in ſuo ſtatu conſeruat vſque ad præfinitum terminum diætâ & aliis idoneis rebus nõnunquam etiam ex Pharmacia, & Cheirurgia accommodatis: Et labefactatã reſtituit, cui tam diæta inſeruit quam Pharmacia, & Cheirurgia. Quando vox Medicinæ ſingulare inſtrumentum ſignat, tropica eſt, & Græcis dicitur φάρμακον ἢ βοήθημα, &c. cum ars ipſa ἰατρική. Interdum etiã Medicæ ſcientiæ partem deſignat, vt cum Cheirurgia per ſe dicitur Medicina, aut Pharmacia, aut etiam victus inſtitutio. Michelius delirat cum ſimpliciter accipit pro inſtrumento, idque ex ſua Phantaſia decernit, quod ſit vnicum, quo vniuerſale ſuum denotat. Non enim poteſt vnicum eſſe, ſi Medicina conſtat Diætetica, Pharmaceutica, & Cheirurgica ad omnes morbos comparatis.

Plato: Eſt ars ſanitatis procurãdæ. Μάθησις τῆς θεραπείας, τῶν καμνόντων.

II. QVID MEDICVS?

MEDICVS *& Chymicus verè ille eſt* (inquit,) & vocari *meretur, qui illud inſtrumentum ita aptare nouerit, vt edendis actionibus à natura illi conceſſis ſit idoneum.* Vult ſubruere artis & profeſſionis noſtræ fundamentum. Itaque, quem ſibi ſomniat Chymicum, eundem & Medicum vere facit, vt, ſi nobis aliud ſuperſit, nomen duntaxat ſit illud & Medici opinio. Sed mentitur. Differunt enim Medicus & Chymicus. Ille eſt, qui Medicinã ſcit & benè

Medicus Michelii eſt Pharmacopœus.

Medicus.

vſurpat ad ſanitatem procurandam, ſeu, qui tranſmutat medelis ad ſanitatem, vt ait Theætetus ad Socratem; aut in Protagora, qui benè curat (θεραπεύει) eſt bonus Medicus: Chymicus vero Michelii humores tractat, vt etymo aliquoties indicauit; verè autem eſt Phyſicus quidam, qui ſuo ſtudio naturas rerum explorat ſingulari reſolutionum, ſeparationum exaltationumve arte, & hinc præclara medicamenta ſecundario exhibet Medicinæ. Itaq; & Pharmacopœis accedit ſeu omnino his, qui ad hominum ſanitatem cõuertunt Phyſicam cognitionem in apparatu auxiliorum. Neque tamẽ ſemper cogitur medicinas factitare. Veteres metalla tranſmutabant, planè Phyſico inſtituto ad vtilitatem politicam aut œconomicam, aut etiam contemplatorio fine ad Dei mirificam in natura potentiam ſpectandam. Deliri ſenis deliramenta ad coruos eant. Non eſt Medicus, qui Pharmacum ita apparat, vt miniſtrare Medico ad ſanitatem commodè poſſit, ſed eſt Pharmacopœus. Id officium, ſi ſuſtinet etiam Medicus, duplicem habet perſonam. Principalis enim eius functio eſt benè mederi ſeu illa auxilia, quæ ars præſcribit, poſtquam cognouit ſatis & elegit vſurpare peritè ad procurandam ſanitatem. Noſſe herbas non facit Medicum; ſicut, nec morbos ſcire; ſed ſanare peritè? Illa duo facultati eius ſunt ſubordinata, quandoquidẽ abſq; notitia illa officio ſuo fungi nequit. Quod ergo conuitiũ ille

Chymicus Michelii.

Chymicus verus.

ille ſtultus ſenex obtrudere voluit noſtrę profeſſioni, id in ipſum recidit iuſtiſſimè. Medicus enim Michelianus eſt medicamẽti vnius, eiusq; ficti & falſi machinator, h. e. miniſter, & famulus ſatis abiectus, & indignus, quẽ agnoſcamus, cum nobis obtrudere velit medicamenti ſomnium, & allotrio epiſcopatu arrogante præſcribere medendi modũ. Si tantũ medicamenta, ſeu inſtrumẽta medendi paras, ſenex, quid tibi cũ Medicina? Ad cynoſarges?

III. MEDICINAE INSTRVMENta, ſeu partes potius.

IN tribus conſiſtit medendi ratio Diæta, Pharmacis & Cheirurgia. Hæc mundi experientia firmauit & publicus conſenſus, quæ duo artes conſtituunt. Michelius pag. 214. vnũ tantum retinet, nempe ſingulare ſuũ & vnum vniuerſale, quod eſt ridiculũ, & penè certum melancholici delirii argumentum. Det ſuum lapidem ægrotis vorandum; ſanet eo vulnera, vlcera, luxationes, &c. Videbimus euentum.

Ab omni æuo Medicus Diætã & Cheirurgiam tractauit, poſterius etiam pharmaca. Et hic eſt ſtatus artis.

IV. CHYMICI QVI?

SOLOS ponit ſuos, cerebri ſcilicet melancholici ſpectra. Reliquos appellat ſtibiarios, arſenicarios, vitriolarios, deſtillatores, Chymici nomine indignos. Sit per nos talis Paracelſus, Seuerinus, Gramanus, Ambaldus & alii. Sed ſenem oportebat linguam habere continentem, & nõ laudare alibi ſtibii præparationem & arſenici, alibi vituperare artifices.

Vide notas 3, 57, 8, 11, 40.

V. MEDICI VETERES QVALES?

Vide supra not.41.

PAG. 139. incertum aiebat, qua medendi lege sint vsi Podalyrius, Machaon & reliqui. Nunc pag. 217. Apis, Apollo, Æsculapius & cæteri Medicinam Michelianam sciuerunt, inueneruntque. Sed demonstra senex, aut mentiri tam perfrictè non esse tuæ ætatis puta. Non fuit tempore Herodoti ista Medicina in Ægypto, cum aliâs tam præclaræ artes non soleant facilè perire. Is refert diuersos fuisse in Ægypto Medicos, singulorum nimirum morborum singulos. Hic tacet vniuersale. Ægyptios, ait, singulis mensibus purgare se vomendo, & intestina diluendo, gratia sanitatis conseruandæ, quod existiment omnes languores homini ex cibis prouenire. Certè illa medicandi ratio nō est ex dignitate lapidis Micheliani. Strabo non agnouit istud, cum scripsit Lusitanos vetusto Ægyptiorum more ægrotos Plateis exposuisse, ad cognoscenda ex vulgo remedia.

Herodotus fuit circa an. M. 3520. annis 400. post Homerum.

Pheroni regi cæco restitutus visus non est lapide Philosophico, sed lotio, nisi fors Michelius ex hoc istum fabricat, & suis labris dignas lactucas creat, quanquam lauabat ille oculos imparata vrina, neç chymicè sed naturaliter destillata. Paracelso & Michelio testibus Diocletiani tempore (anno Ch. 249.) Ægyptus abundauit arte aurifica. Vbi tunc vniuersalis Medicina? Et necesse fuit eam cum lapide à prioribus acceptam. Troia capta est circa annum

Is dicitur vixisse circa an. M. 2750.

Dioclet. qui secutus est Herodotū annis, 736.

annum mundi 2783. poſt Pheronem Ægiptium iam mortuum. In eius enarratione Homerica inter errores Vlyſſis mẽtio fit Moly herbæ aduerſus venena & excantationes efficacis, cuius radix nigra, flos lacteus, quæq; ſit difficilis effoſſu viris, Diis autem facilis, atque ideo fingitur Mercurius (Hermes) eam monſtraſſe. Deinde Helena in odyſſ. δ memoratur in conviuio Telemachi & Menelai vino immiſiſſe Pharmacum Νηπενθές τ᾽ ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων; quod acceperit à Polydamna Thonis vxore Ægyptia. Sed tùm moly, tũ nepenthes dicitur naturaliter proveniſſe, & nepenthes quidem in Ægypto, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Itaq; non vnũ vniuerſale, ſed plura medicamina probantur, ex quibus vnũ inſigne id, quod poculis potuit immiſceri, & vnà bibi, herha nominatur radice & flore diſtincta: quæ res non competit lapidi morbos curanti viribus ampliſsimis doſi exiliſsima. Quos vero tunc Medicos habuit Ægyptus?

Moly Odyſs. κ.

E Pæonis genere, inquit Homerus; ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων. ἦ γὰρ Παιήονος εἰσὶ γενέθλης. Pæon autem qualis fuerit Medicus, Pæonia herba ab ipſo inventa, & in vſum traducta oſtendit. Idem ſanaſſe Plutonem ab Hercule vulneratum ſcribitur, Iliad. ε. Et modus ſanationis exprimitur his verbis: τῷ δ᾽ ἐπὶ παιήων ὀδυνήφατα φάρμακα πάσ-

Pæon eſt Apollo vel Medicus præſtans tempore Herculis circa ann. M.2740.

παιῶν ἠκέσατο. &c. Hunc Pæon dolores mitigantia Pharmaca inſpergens ſanauit, ex quo colligitur Cheirurgum fuiſſe. Hæc conueniunt cum Platone, Strabone, Herodoto & alijs. Omninò cum deſit argumentum Michelio, quo probat id, quod dicitur, pro vano nugatore eſt habendus, ſicut & pag. 221. & 231. vbi de duabus tabulis lapideis, quibus inſcriptæ fuerint artes omnes, anile & vetulo conueniens narrat ſomnium. Quæſo te ſenex garrule, quis eſt autor, iſtis Myſterium lapidis fuiſſe inſculptũ? Num literas ad Adamum miſiſti, ſicut tuus Paracelſus ad Galenum in infernum? Ille item tuus Monarcha Adamum præſidio ligni vitæ tàm diu vixiſſe mentitur; cum lapidis beneficio putet perveniri poſſe ad annum ætatis 150. aut ducenteſimum: Sed pari mendacio.

Tabulæ artium.

VI. DE ENCOMIO MEDICI apud Sirac. Cap. 38.

A*Ltiſsimus creauit de terra Medicinam* (φάρμακα) inquit Siracides, *& vir prudens non abhorrebit ab ea. Nonne per lignum aqua amara fiebat dulcis? Ad agnitionem hominum virtus eorum &c.* Item: *His curans (Medicus) mitigabit dolorem & vnguentarius faciet pigmenta ſuauitatis & vnctiones conficiet ſanitatis &c.* Hæc Michelius pag. 218. ad ſuum de lapide ſomnium accommodat, deq; eo interpretatur. Sed ignorabam antè ex lapide fieri vnguenta, & odoramen-

ramenta. Certè, de quibus ſermo ſit Siracidæ, aperit exemplo ligni. Philo ſeu Salomon in lib: Sapientiæ herbas & Emplaſtra nominat. Eſaias peſtem ſanat tùm diuinis vocibus, tùm Emplaſtro ex ficu Pharmacopœi Moyſis, quales fuerint, oſtendunt vnguenta & pulueres tabernaculi. Hæmorrhouſa omne remedium fruſtrà experta eſt, &c. Sed, qui ſemel incepit delirare, modo dicat, quæ videntur, veritatis rationem non habet. Pag. 235. inſtaurare Medicinam illam præclaram vult tanquam nouus Apollo. Pag. 227. Faciat hoc, & erit Apollo magnus.

Inſtaurator vniuerſalis Medicinæ.

VII. AVTOR MEDICINAE *Hippocraticæ.*

PAG. 225. Medicinam noſtram à Diabolo ortam ſcribit, nominatq; ſpuriam, & corruptam. Quid ni iſtud ſcribat Homo melancholicus Diaboli balneum? Paracelſo non debet eſſe inferior, nec eo minus furere. Is autem omnem ſcientiam ad Diabolum & Serpentem paradiſi retulit. Ita Paracelſitæ grati ſunt pro Dei donis magnificis. Sed, qui ſibi mentiri animum induxit, auſit etiam Deum ipſum negare. Pag. 231. Clamat primam & præclaram ſcientiam naturæ maxima ex parte perijſſe cum his, qui diluvio perierunt. Fuit ergo in poſſeſſione malorum. Sed quid eſt, quod pag. 215. narrat pijs illis Hebræis, qui Spiritu Dei fuerunt illuminati, ſyncerè reue-

Pag. 238. à Deo eſt: Verba Michelii: Duplicem Medicinam fateri doctiores vnam Sanctam & integram quam à Deo profectam dicunt: alteram Spuriam corruptam à priori degenerem & à Diabolo or-

tam, & descriptiones ostendunt hanc esse Galenicam, illam Paracelsicam.

reuelatam ad Ægyptios, eosque solum, qui probi fuerunt, pervenisse? Si solis bonis est concessa, cur submersa est cum improbis? Sed cum Zoroaster & Hermes dicantur eam à diluuio propagasse, ille vero improbus scribitur fuisse, videat de veritate suorum enunciatorum. Dissentit tamen turba Paracelsitarum de inuentore. Michelius ad Deum refert, idq; rectè, si est res bona. Deinde Adamum producit, & post hunc Hermetem. Sed ab alijs hic dicitur primus inuentor. Et ne literula quidem doceri potest, quæ ab Adamo sit cognita, nec verum est, hunc omnes artes præclaras sciuisse. Plurimæ enim posterius in solatium calamitatum sunt inuentæ.

VIII. HERMETIS MEDICINA vnde?

QVAM in Smaragdo sua proposuit Hermes aurificam Medicinam, eam Michelius dicit esse suam, vtpote é terra creatam vnam numero ab vno, meditatione vnius. Vani hominis vanum somnium. Pater eius est Sol, Mater Luna; Portauit illud ventus in ventre suo; nutrix eius terra est. Vis eius integra est, si versa fuerit in terram. Non dicit Hermes ex terra natam esse. Bernhardus comes ex vegetabili parte, minerali & animali confectam tradit. Hortulanus per Solem accipit aurum, per lunam argentum, per ventum aërem & vitam seu Mercurium.

Ita

Ita exponitur ſæpè in Roſario Maiore, & ab omnibus alijs artificibus. Nihil habet commune cum Phantaſia Michelij.

IX. DE ORTV SCIENTIAE ET MEDICINÆ *præclara ſapientia.*

PAG. 238. *Scientiam ſalubrium, inſalubrium & neutrorum* (inquit) *Deus è terra non creauit. Nam virtutes rerum influentiæ diuinæ ſunt, nec creatas eſſe conſtat; Et dicitur altiſsimus Medicinam è terra creaſſe; Scientiam verò hominibus dediſſe.* Agnoſcimus definitionem Galenicam. Argumentum recipimus. Quod Deus dat & infundit, procul dubio à Deo eſt: Galeni Medicinam Deus dedit & infudit: Teste [vt liceat loqui] Michelio: Galeni ergo Medicina à Deo eſt. Blaſphemia itaq; eſt in Dei Donum, quam pag. 225. horribiliter effutiuit, noſtram Medicinam à Diabolo eſſe. Sed futile & anile plane eſt; id non creatum eſſe, quod Deus dedit aut inſpirauit. Exemplo eſto Anima hominis Adami, quam Deus creauit & inſpirauit, vnà cum virtutibus. Hinc creata & finita dona.

Iam Galeni Medicina eſt à Deo.

Negatur Deus creaſſe quod dat.

X. DE CORRECTIONE SIRACIDÆ, *& terrâ natis.*

CVm diceret Dominum ex terra condidiſse Medicinam Siracides, græco vtebatur verbo φαρμάκυ, quod latinè redditum ſonat Medicamentum inueniturque etiam apud

apud Platonem, qui in Theæteto ait τὸν ἰατρὸν φαρμάκοις (medelis reddidit interpres) μεταβάλλειν. Michelius ſatis ſuperbè & arroganter reprehendit illum Siraciden, & cæteros, qui medicamenta dicunt ex terra creata. *Non ſubſcribimus*, inquit, *illorum inſcitiæ, inter quos eſt Nepos IESV Filius Sirach, qui ex Hebraico ſermone pharmaca ex terra creata eſſe tranſlulit. Nam, cum videret eſſe abſurdum Medicinam è terra creatam dicere, pharmaca ſiue medicamenta Medicinæ loco ſubſtituere voluit, non animaduertens apud Hebræos Rephuah hoc eſt Medicinam, ſicut apud Latinos modò artem, modò inſtrumentum, quo quis curatur ſignificare. Quis ignorat, Deum omnia ex nihilo, ſolum hominem ac Medicinam ex terra creaſſe? Quare relinquitur per Medicinam ſubiectum Medicinæ ſiue materiam ſenſibus obuiam è terra creatam ſignificari.* Ecce ſapientem Michelium. Euge Paracelſiſtam te iudico. Tuus enim ille Paracelſus Moſen corrigebat, quid ni tu Siraciden? Cui vero potius credendum eſt in translatione vocis Rephuah, Michelióne ſtulto ſeni, loquaci Italo, deliro Chymico, Medicoque veſano, an Siracidæ Ebrææ linguæ & Græcæ, ſententiæque aui ſui callentiſſimo? MElius interpretatur linguam Ebræam Ebræus, melius Græcam Græcus, & qui vtramque nouit, rectè alteram alterâ poteſt permutare. Michelius negabat ſuos Italos Græciſſare: Nec eſt con-

consentaneum eum Hebraicè rectiùs scire Siracide. Affingite ergo ei tanquam alteri Mydæ asini auriculas, aut pœnam Marsyæ decernite. An vero etiam scit, quid reprehendat? MAteriam Medicinæ sensilem è terra creatam intelligi docet. At hoc ipsum significat vox quoque pharmaci. Rectè itaque transtulit Siracides. Nodum in scirpo quærit, vel potius stipulas legit, & delirio est proximus. Tertiò Biblia corrumpit, cum negat quicquam ex terra creatum præter Adamum & Medicinam, idque tàm audacter, impudenterque, vt quasi publicè notum proclamet. At Deus dixit, *Terra germinet herbam virentem: Producat terra animam viuentem*: Et Psal. 104. *Vt educas panem de terra. &c.* Quid vero est, cur Michelius ita deprauat scripturam diuinam? Vt euincat hominem è terra natum habere similem Medicinam è simili radice exortam, &, vt sit argumentum, solam hanc esse veram. At & Galenicorum pharmaca non nascuntur in aëre, aut igni. Itaque aliquid occultius subest. Pag. 215. *Medicinam cum homine ex terra*, ait, *emersisse*. Si Sphynx essem, aut Oedipus, dicerem LOTIVM Michelii, in quo est tartarus, sal, alumen & reliqua designari. Nunc, cum Dauus sim, diuinare non est meum. Quibus otium est, illi hæc oracula possunt conciliare, & ad sententiam vnam

Corruptio Bibliorum Micheliana.

redi-

Ex quibus coniectura fieri possit de Micheliano vniuersali.

redigere: 1. Chymicus facit vnam vniuersalem Medicinam. 2. Chymicus nihil tractat, nisi succos. 3. Medicina debet esse Tartarea ad Tartaricos morbos. 4. Tartarus habet naturam salis & aluminis. 5. Medicina est nata ex terra cum homine. 6. Subjectum Medicinæ est res vilis & obuia vbivis; omnes id habent. 7. Mercurius abstrahendus est, vt Sal & Sulphur maneant. Nisi nefas esset judicare de mysteriis, pulchrè congruere omnia dicerem ad Elyxir, quæ ex vrina, sale petræ & alumine conficitur. In vrina est Sal ammonius, aut nitrosus ex quo coni fiunt, sicut ex lixiuio terrarum lotio perfusarum. Portauit eam ventosus homo in ventre suo; Componitur à Sole & Luna, vel Sale & humore. &c.

Prolepsis Michelii stultissima.

Pag. 239. Sapientissima & digna Michelij acumine est prolepsis. Dixerat, Omnia Deus fecit ex nihilo: SOLVM hominem & Medicinam è terra. Obijcitur rectè: At è terra creata sunt mineralia, vegetalia, animalia: Ergo non solus Homo & Medicina. Item, si Medicina est ea, quæ ex terra creata est, etiam Galenicorum ex triplici illa classe medicamenta erunt Medicinæ. Respondet Michelius ad prius ne hilum quidem. Ergo obmutescit in mendacio. Secundum diluit Grammaticè ad exemplum Diui Pauli de semine, & non de seminibus. *Medicinam*, inquit, *singulariter dicit scriptura, & non Medicinas. Nos ergo* (poma) *minimè possumus approbare illam interpretationẽ, quasi*

Nota Paracelsista dignum acumen.

quasi plures essent Medicinæ; sed verè est vna Medicina de terra creata, quam lapidem Philosophorum dicimus. Ecce. Putabã hominem ludere par impar; at serio philosophatur. Quid ni fateamur lapidem illum esse Medicinam vnam & solã, quia vna sola Medicina dicitur creata ex terra? Sed addendum erat rectà designari illam, & non aliam. Cum enim plures sint natæ ex terra res, quæ possunt esse Medicina, nondum certum est, quæ nam designetur, vt vt vna tantum sola sit intelligenda. Hic aqua hæret Micheli. Fortassis est illa, de qua dictum est Adamo, & comedes gramen campi seu comedes herbas terræ, præsertim cum idem oraculum de conseruatione vitæ & sanitatis loquens ita caneret: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terra, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementẽ generis sui, vt sint vobis in escam.* Certè conseruatio per diætam est etiam pars Medicinę. Si vna omnino est, cur nõ sit herba, qua vesci possumus? Vbi Deus dixit dedi vobis succum, ex quo faciatis vnam Medicinam aduersus omnes morbos & ad ætatẽ in multa secula extendendam? Nimirum in centesimo quinquagesimo primo Psalmo Dauidis, cum celebrarentur Calendæ Græcæ. Notate vero mysteriorum scrutatores, cum Medicina Micheliana neq; vegetabilium, neq; animalium neq; mineralium ex terra genitorum quid sit, Phantasma esse hominis melancholici. Aliâs artifices Chymici suo lapidi tres conditiones

istas assignant. Non abludit tamen Calid. à Michelii verbis. *Radices minerarum lapidum*, inquit, *sunt in aëre, capita in terra: Et quando euelluntur à suis locis, audietur & erit rumor magnus.* Certè ista est prodigiosa natiuitas radices in aëre habere, & caput in terra. Dixerat quidã, lapidis mineram esse in capite montium; Calid. qua est vafricie, interpretatur de animali, quasi mons significaret animal. Sed hæ sunt escæ stultorum. Aliâs lapis Philosophicus dicitur habere radicem in aëre, hoc est, ex mercurio, cui natura est aërea, factus, & tanquam à radice productus; caput vero, hoc est, perfectionem in terra, seu coagulatus esse specie solida terreaq;, quanquam etiam lapidibus & terris commistum sit aurum & argentum. Hic aër est ille ventus Hermetis, in cuius occulto vehitur & latet lapis, seu, ex quo fit, patre & matre, id est calore & humore operantibus; calor & ignis in auro est: humor fœmineus in argento. Dicitur item lapis in aqua liquefieri, certè non quauis, vt Sal & alumen, sed sua: Et aurum soluitur aqua mercuriali, aut hydrargyro purgato, elaboratoque. Animalis vox metaphorica est, sicut & patris matrisque; & cum Malchameth scribit, lapis, qui est in hoc opere necessarius de re animata est. Hunc inuenies vbique in planicie, in montibus, & aquis, & habent eum tam diuites, quam pauperes: Crescit ex carne, & sanguine, &c. omnia, inquam, sunt allegorica.

Hem.
Ita in Rosario: preciosiores lapides sunt qui procedunt ab animalibus quam alii.

Aëris in lapide explicatio.

XI. DE-

XI. DESCRIPTIO LApidis Micheliani.

VOCATVR *lapis Philoſophorum, aurum potabile, Elyxir vitæ, Medicina vniuerſalis: Dicitur anima & vita rerum: Calor naturalis infixus in ſua humiditate radicali, quæ Medicina pauca quantitate actione ampla & ingens exiſtat, ſitque omnibus reliquis rebus creatis* κατ᾽ ἐξοχὴν *præſtantior.* Certè myſteria fundit Michelius. Supràdicebat, *virtutes rerum infundi darique à Deo, non creari.* Anima vita, calor, &c. videntur eſſe rerum virtutes. Eſt ergo lapis creatus, & increatus. pag. 148. *Calor naturalis ab origine cœleſti erat.* Nunc etiam ex terra gignitur. Sed, ſi nec anima nec vita rerum, nec calor ex terra creari poſſunt: quod enim fit ex terra, terra eſt: (*Ioh. 3. caro ex carne eſt*) & de terra terrenus: lapis aut ex terra non erit, aut falſa eſt iſta deſcriptio, quorum hoc eſt veriſimilius. Si enim pars non eſt vera, tota deſcriptio falſa eſt. Sed in ea impoſſibile eſt verum eſſe, quod dicitur omnibus cæteris rebus creatis eſſe præſtantior. Eſſet enim Angelis & homine ſuperior, &, cum ſit artis opus, non naturæ, falſum etiam eſt eſſe animam rerum & calorem infixum in humiditate: item impoſſibile eſt aliquid ſimul corpus eſſe, & animam, & calorem: Ergo efficitur deſciptionem eſſe falſam.

Pag. 240.

XII. AN ERGO NVLLA AGNOſcit alia medicamenta Michelius?

Medicinæ Galenicæ dicuntur pediſſequæ vniuerſalis.

VT Vertumnum videas; Agnoſcit; Ita enim narrat. *Reliqua medicamenta tanquam pediſſequæ ſuæ inſeruiunt reginæ. Herbarum, animalium, mineralium cognitionem, vtpote Medicinæ miniſtram, maximi faciendam iudicamus.* Sed hæc conferenda ſunt cum antè dictis. Vnam ſolam Medicinam ſtatuit; Medicinam creatam, non medicinas defendit: pag. 225. noſtram medicinam à Diabolo eſſe pronunciauit: Varias eſſentias, tincturas, Elyxiria, ſpiritus, Sales, olea, magiſteria, ad fallēdum procliuia, aſſcripſit falſæ mineralium Chymiæ ab agyrtis & colluuie ſcelerum exercitatæ. Hæc & ſimilia multa cum petulanter euomuit; nunc probantur etiam cætera medicamenta, imo non probantur tantum, ſed & fiunt maximi, hoc eſt, efferuntur vltra lapidem vt ſit aliquid maximo maius. Quæ iſthæc deliria? Miniſtras & Pediſſequas conſtituit ſuo vniuerſali. Quorſum hoc? An illa laudata Medicina iam non ſola poteſt omnia? Num imperfecta eſt, egetque miniſterio? Ita tandem eſt vniuerſalis, ſi ei miniſtrent cæteræ ſcilicet. Hoc confuſo tandem vtebatur etiam Panacearius. Sed vereor, ne ei tunc palmam præripiat, vel ſola ſerua, & dominæ alapam infligat, exturbetque eam è dominio. Sed audiamus præclariora de Galenicis medicamentis.

Vniuerſale iam collabitur.

Alia-

Aliarum creatarum rerum (ait) *virtutes vicem illius, quoad fieri poteſt, ſupplent, & neceſſitatibus hominum alterius defectu ſuccurrunt.* Gratiæ ergo Deo pro cæteris auxiliis, quia nunc pudet illam reginam ad ſordes pauperum ſe cõferre. Profectò, ſi dicere licet, videtur mihi eſſe figmentum ad exemplum Idearum Platonicarum. Has perfectiſſimas nobis proponimus tanquam optimè agendi ſcopum. Cum ad opus accedendum, arripimus, quæ offert neceſſitas, & permittit, eſtq; aliqua prodire tenus, ſi non datur vltra. Si iam deliberes, vera medicina vti ſit conſultius, quis non hanc Galenicam vſu quotidiano compertam, certamque & vbiuis obuiam anteferat illius ſomnio? Conſultum benè humanis miſeriis putamus, ſi poſt animæ curam, qualicunque nudo traiiciamus æquor mũdanum & ad portum perueniamus. Non ſunt tanti illa ornamenta externa, corpus ſpecioſum, membra athletica & ſimilia. Etiam incuruo licet prorepere. Notabitur interim illa egregia victoria, quam ille Blatero fumiuendulus pag. 240. ſibi magnificè arrogat. Anglus enim audito vniuerſali, dixerat, ſi in hoc vno ſunt omnia, & hoc ſolum cum homine à Deo creatum; reliqua medicamenta eſſe temerè condita. Certum enim eſt abſque fine medicandi hæc fore, etiamſi alios fines habeant. Nunc etiam medicamenta ſunt. Non ergo ſolum illud eſt conditum. Anglus ille adhuc vincit & triumphare poteſt.

Galenica medicamẽta emergunt ex calumniis.

Vniuerſalis Medicina eſt idea Platonica.

Michelius excidit victoria in pugna cum quodam Anglo.

test. Certissimum enim est non solum illud medicinæ gratia creatum esse, si & hæc sunt eo nomine facta.

XIII. AN VETERES CHYMICI *metalla transmutare quæsiuerint?*

Græcorum vituperium.

NEGAT hoc Michelius pag. 242. atque opinionem istam à Græcis ortam esse, quos vocat blaterones ignauos, susurrantes, crabrones, asinos ad lyram. Eia vero parce mortuis, & toti genti, à qua nonnihil prodiit boni. Si ad benedicendum natus esses, non ita horribiliter sæuires conuitiis. Sed satis pœnæ est, quod te contradictione fœda ignominiosum reddis Nam pag. 243. contra Moresinum (quem pro ætate senili Morosinum appellas) affirmas constanter, transmutationem metallorum fieri. Sed legistine Gebrum? Interpres eius quidem vtitur voce Medicinæ, verum alio sensu. De vsu ad sanitatem ne verbum quidem habet; & omnia refert ad aurificium, & argenti productionem. pag. 246. Rogerii definitionem calumniaris. Non enim vox medicinæ in ea significat Pharmacum tuum, sed rem, qua metalla transmutentur, & veluti Medicina curentur. Sed de hac re etiam suprà. Ego, si siluisses, non credidissem tam delirum & stupidum hominem calumniatoremque adeo atrocem in tota Italia nasci posse. Græcos, quibus titulis ornaueris, dixi.

dixi. Sed considera quæso, quę pag. 248. rursus de Gebro, Anaxagora, Democrito, Lullio & reliquis scripseris, vbi eis tantum tribuis, vt absurdum iudices putare, eos mentitos esse. Atqui Democritus, & Anaxagoras fuerunt Græci? Quidam etiam Hermetem non natione Ægyptium, sed Græcũ esse tradunt, quemadmodum Synesium, Aristotelem Chymicum, Theophrastum Chymicum Parmenidem & alios, quorum in ea artę recitantur sententiæ.

Rosſ. mai. Hermes Rex Græcorum, pater Philosophorum.

XIV. INVENTOR ARTIS CHYMICAE.

PVNCTO 8. & 9. aliquid affine huic est. Nunc pag. 249. negat, eos esse inuentores suæ artis, quorum monumenta nunc versantur in manibus, sed propagatores, quod à maioribus acceptam posteris communicarint. Si hæc ita sunt (causam primam Deum semper præsupponimus) Hermes non inuenit istud opus, quod tamen scribit pag. eadem, cum Chymicorum patrem appellat, qui primus post diluuium artem literis mandarit, &c. nec potest probare ante diluuium fuisse. Sed audiatur & Gęberus; *Inuenimus*, inquit, *inquisitione longa, labore maximo, experientia certa vnã Medicinã, qua durũ mollescit*, &c. Item in fine summæ: *Edimus artem nobis solis, per nos solos inuestigatam. Non autem inuentã nisi nobis solis inscripsimus*, &c. Tropo Synecdoches seipsum intelligit, vt qui sui libri solus est auctor, solusq; eum intelligit, & soli arrogat sibi inuentionem

eius, quod docuit. Si Geberus mentitus eſt, non erit verum Encomium Michelii de au-ctoritate ſuorum Chymicorum.

XV. PARTITIO QVAEDAM CHYmiæ, eiusque iudicium Michelianum.

PAG. 252. ponitur diſtributio Chymiæ in naturalem Sophiſticam, & metallicam. Vnde hæc ſit nata, ego quidem ignoro; ſed audiatur cenſura: *Nulla iſtarum*, inquit, *ad verum Chymicũ pertinet*. Neceſſe eſt nos hîc in vmbra Andabatarum more pugnare. Si Chymia nulla eſt, niſi quam ſibi Michelius finxit; ſint ſane iſta vera. Cui enim libet ex arbitrio ſomnia conſuere, ei etiam licet, qualia velit ea eſſe, comminiſci. Nos didicimus Chymicum eſſe miniſtrum naturæ principaliter agentis, & quod lapidem attinet, in nulla alia re, quam in mercurio & metallis elaborare. Sophiſticam tribuit Gebero Bernhardus; Roſarius minor quidem Sophiſtas dicit ignorare artẽ, ſed tamen pungit etiam Philoſophos inuidos, &c. Noſtra ætate Chymicus ex omni miſto magiſteria & eſſentias facit, & naturæ miracula perpetrat ſecũdum artem perfecti magiſterii, vt eam vocat Geberus, Meſues & alii. Sed, num deſtillatoria eſt Chymici veri? Michelius ſpuriam iudicat, & tamen commendat pag. 253. quaſi per eam nobis pateſiant multa

Deſtillatoria.

multa naturæ arcana, balſama, eſſentiæ, olea, liquores; quin fatetur vera eſſe, quanquam non attingant lapidem. Vah hominem impudenter varium. Si deſtillatoria facit Vera arcana; quomodo eſt Spuria? Cur non potius eiuſdem veræ artis membrum genuinum? Ecce protheum. Pag. 253. *Laudata Chymia ex herbis, animalibus, mineralibus abditos depromit vſus.* At in parte minerali, rurſus damnantur eſſentiæ, tincturæ, Elyxiria, Spiritus, Sales, olea & reliqua. Ita aliâs ſuo vniuerſali oppoſuit omnia cætera eaque repudiauit, adeò, vt nebulones, carbonarios &c. appellarit eorum artifices, & operationes omnes meas, vt putrefactionem, deſtillationem, ſolutionem &c. mentitas falſasque pronunciarit. In partis metallicæ cenſura non minus Vertumnum agit. Commendat enim ingenium & exiſtimationem eorum qui Chymiam in ea exerceri tradunt, at damnat iterum. Vultis Cothurnum videre? Pag. 258. accuſat me, quod aſſeram Hermeticam tabulam & aliorum monumenta nihil fermè habere quã metallorum tranſmutationem. Noſtis, quam fuerit infeſtus hactenus mihi ob hanc ſententiam, affirmans Chymicum ſuum ne attingere quidem metalla, ſed ſuccos tractare, & tranſmutationem eſſe Græcorum ſtupidorum inuentum. &c. At nunc ita: In Re non Dvbia dicit me teſtibus vti non neceſſariis. Si eſt res indubia, cur eam negat, & me per-

ſequitur conuitiis? Opus autem mihi fuiſſe teſtibus, tùm aliorum intemperiæ docent, tùm Michelii portentoſa deliria.

XVI. MATERIA TRANSMVTAtionis proxima.

AD Moreſinũ cõuerſus ita ait: *Oſtendemus* (*in ſcripto ſcil.* quod aduerſus Moreſinũ molitur, quod proculdubio præclarũ erit ad exemplar huius) *dilucide, Omne, quod non nuda, ſed vera potentia in noſtris non ſuis mineris conſiſtit, materiam proximam tranſmutationis metallorum fieri poſſe.* Hem magnificum promiſſum. Poſt lucem fumus. Quæ ſunt iſtæ mineræ Michelianæ? Quid eſt non nuda, & tamen vera potentia? Quorſum hæc verborum ſcabies? Vnum ſemper Philoſophi intenderunt, quod natura det, idque reſpectu termini artis imperfectum, perfectum vero naturæ ratione. Quid ſibi vult iſtud OMNE? Neceſſe eſt in naturæ minera id gigni. Quid fingit SVAS? Quas tenebras in materia proxima vomit? Materia tranſmutabilis proxima, metallum imperfectum eſt aut hydrargyrus. Inſtrumentum & virtus agens, eſt lapis abſolutus, & ſuo corpore ſaginatus. Materia aurifici & argentifici proxima eſt Elyxir commune. Hoc fit ex ſanguine leonis & glutine aquilæ ſecundum Paracelſum: vel, vt alii, ex Mercurio Philoſophorum, qui conficitur ex auro, argento, & Spiritu crudo, elaborato tamen

per

per artem, & exaltato. Hic Mercurius putreſcendo ſoluitur, & ſeparatur; poſtea nutriendo coniungitur, vnaque adhibita digeſtione coagulatur. Hinc ſoluitur & coagulatur denuo; atq; ita eſt Elyxir commune. Hoc fermentatur proprio corpore albo ad album, rubeo ad rubeum, & perficitur coctione, iamque eſt ille lapis decantatus, qui cum ad tranſmutationem paratur, porrò iungitur millecuplo ſui corporis. &c. Hæc eſt ſumma lapidis, in qua habes materias proximas & remotas. &c. Enunciatum Michelii ſtultum eſt. Si plura habet in ſua minera, cur vnum aſſeritur? Si vnum, cur dicit omne?

XVII. LAVS PARACELSI IN ARte veterum tradenda.

PAG. 259. *Conſtanter aſſeremus, vt verum, ita inauditum, neminem hactenus in tanta ſcriptorum turba extitiſſe, qui aut* GEBRI, *aut reliquorum* EIVS FARINÆ, *Philoſophorum intentionem nobis apertè declarauerit, aut ſenſum eorum ſcriptorum ad vnguem cognouerit excepto* PARACELSO. Egregia ſane eſt illa farina Philoſophorum Michelianorum, cui nos non immiſcebimus, ne à porcis comedamur, ſed, ſi apertè Paracelſus declarauit illos, quì fit, vt nemo illam lucem poſſit ex Paracelſo aſſequi? Id non eſt apertũ, quod nemo poteſt accedere. Sed, quomodo Paracelſus veteres declara-

clarauit? Id in tinctura Physicorum patet. *Me sequimini omnes Philosophi*, inquit, &c. Videte ibi veterum pulchras declarationes, imò condemnationes. Subiectum artis vocat lilium, quod veteres quæsiuerint, at non absoluerint; & cuius perfectio sibi sit relicta. Ecce veteres ignorarunt Lapidis absolutionem. Deinde eius quoque, quod sciuerunt, methodus reprehenditur tanquam nimis longa, cum compendiosius fuisset perveniendum ad ærarium rubei leonis. Subolet mihi nescio quid. Nam ferè efficit, vt iudicem, Paracelsum non intellexisse veteres. Cum enim certum sit, etiam Michelio, illos lapidem perfecisse & aurum fecisse, quæ sunt signa perfectionis; Paracelsus vero contrarium affirmet, euidens est argumentum, quod ignorauerit artem veterum. Idem concludo ex reprehensione methodi. Tertiũ signum est, quod ipse Paracelsus alibi artem neget. Quartum, quod Eualdus Vogelius Belga asseueret Paracelso lapidem Philosophorum nunquam innotuisse, nec Lullii vel aliorum scripta eum intellexisse; & hoc suum iudicium firmet rationibus certis & autoritate illustri. Idem monet compendia Paracelsica non esse sequenda, sed veterum scripta, accusatq; istum hominẽ obscuritatis & ambiguitatis nimiæ. Quintò quibus in libris maximè agitur de lapide apud Paracelsum, ij non sapiunt hunc autorem, vt manuale, cuius præfatio hoc ipsum

Paracelsus non intellexit veteres.

In præfat. de lap. phil. condit.

ipſum comprobat; Item cœlum Philoſophorum, cuius præfatio magis infirmat artem, quàm confirmat, vt & titulus, qui eſt, liber vexationum: Et Theſaurus Alchimiſtarum. Liber de tinctura Philoſ. redolet quidem Paracelſum, ſed tùm dictis argumentis, tùm aliis penè certum eſt ignoraſſe eum lapidis artem, & ex mera arrogantia veteres contempſiſſe, quo pacto plus videri vult quàm Lutherus, quem indignum iudicat ſolutione corrigiorum calceamenti ſui. Inſuper lapidem modò hunc, modò alium comminiſcitur, & interdum metallum crudo mercurio mollefactum, vt ad ignem liqueſcat, pro magneſia Philoſophorum habet. Paracelſitæ ipſi offerunt varios libros manu ſcriptos. In quibus dicunt eſſe veram artem. At hi non conſentiunt cum impreſſis. Vidi etiam alium de tinctura Phyſica. Dicitur tamen metalla & hydrargyrum tranſmutaſſe, & gloriatur de, neſcio, quo Theſauro Fori Iulii. &c. Tranſmutare potuit aliunde accepto puluere. Sed exitus infelicisſimus oſtendit, cum morbo & paupertate grauisſima, nihil hic fuiſſe artis. Ita ſi lapis facit ad omnes morbos, vt Michelius vult, Paracelſus autem non ſanauit re vna; Imò gloriam ſuam falſi conuincit factis diuerſis: Conſequens eſt, Paracelſum non habuiſſe lapidem. Idem Michelii cenſura non rarò eximitur numero Chymicorum & nebulonibus accenſetur, quia Chymiam in di-

uer-

uersis posuit. &c. Quid? Si nouit Michelius istam Paracelsi scientiam, cur ipse â toto aberrat Chymicorum cœlo? Si ea est Chymia Paracelsi, quam fingit Michelius; iam probatum est, Paracelsum non sciuisse artem. Tot Paracelsitæ hactenus fuerunt. Nullus ex Paracelso potuit lapidem parare. Ignorauit ergo & Magister.

Præterea pag. 273. Michelius ait, quod in Philosophis versati sciant, eorum mentem fuisse ex professo Medicinam docere; at Paracelsus scribit. cap. 6. tinct. planè ex accidente per negligentiam innotuisse vim medicam. Si illud verum est, constat Paracelso ignotam fuisse veterum artem. In cœlo Philos. omnia metallis tribuuntur, & in 9. de rerum signatura per solem intelligitur astrum solare in auro latens, quo auri astro possit quilibet Alchymista rubra metalla omnia in aurum mutare. Hæc & similia omnia repugnant Michelio. Quis non dicat si Michelius veteres est assecutus, Paracelsum aberrasse?

XVIII. DE TRIBVS LAPIDIbus, & *Hermetis nomine Trismegisto.*

Calumnia Michelii.

PAG. 270. & 271. accusat me stultitiæ. Cur? Audite insignem calumniam, qua suum

ſuum ſepulchrum voluit ornare ſenex canus capularis. *Quia arbitrer Hermetem inde appellatum eſſe ter maximum, quia dicatur habuiſſe trium lapidum cognitionem ſummam.* Certè Roſarium, Bernhardus, Hortulanus & alii tres lapides ponunt, & ex Hermete deducunt. Non fuiſſem ſtultus, ſi ita iudicaſſem. Sed quid arbitratus ſum? Quid ſcripſi? Epiſt: 17. lib. 1. Epiſt. Chym. ita ſum locutus: *Hortulanus putat alludi ad lapidem triplicem, mineralem, vegetalem, & animalem, in quorum notitia ſibi principatum vendicârit Hermes.*

Sed parum conſentanea vero mihi videtur dicere. &c. Hæc ſunt mea verba. Eadem calumnia ille olidus & purulentus ſenex hic me petit, qua in Apologia, vbi confutat ſub meo nomine, quæ confutaueram ipſe, & plane contrariam mihi tribuit ſententiam. Sed aliud vanitatis argumentum auſcultate. Dornæus tres lapides poſuerat ijſdem titulis, mineralis, vegetabilis, & animalis: Sed vini Spititum, oleum chalcanthi, & eſſentiam auri eſſe dixerat. Hæc affingit item mihi ille ſenex, meque ob id traducit. Quid ad me aliena culpa? Si Michelius fur eſſet, num ego forem plectendus?

XIX. DE APPLICATIONE MEDICINÆ Michelianæ ad aurificium, & num aurum Chymici desiderent?

Medicinam prius habere necessarium esse dicimus (inquit pag. 276.) *antequam ad auri generationem accedere liceat. Nam vt metalla transmutare poßit, necesse est vim alterandi prius assequatur. &c.* Tandem ergo contrectant aurum Chymici Micheliani, & desinunt succos istos coquere. Sed hoc concesso, perit quicquid hactenus aduersus me tantis molitionibus extruxit. Sit Elyxir commune auri & argenti lapidi. Non repugno. Fermentetur aut alteretur auro ad aurum, argento ad argentũ. Hoc quoque concedo. Quæro, quodnam aurum, aut argentum intelligat? Num minerale, an aliquod Sophisticum quod crebrò tribuit? Procul dubio eius naturæ erit, cuius id quod facere volumus, hoc est, quod omni iudicio verum & vsu tritum aurum esse inuenitur. Si hoc ita est, & ex eadem radice, necesse est esse fermentum ex qua est pasta; nec inferendum vllum aliud seu minerale, seu vegetabile, seu animale: Elyxir ex natura auri & argenti necessariò erit, tanquam commune vtrique fermento. Erit & mercuriale; quia mercurium debet transformare. Nihil aliud addunt ad naturã lapidis, quẽ natura formauit pridem, licet imperfectũ reliquerit, quàm elaborationẽ, ꝑ coctionẽ vt tollantur accidentia.

> Ros: Spiritus permanet fixus, si occupetur eo corpore, cum quo præparatus erat ab initio.

tia. Itaque naturam & ſemen auri, ſeu potentiam & diſpoſitionem eius iam habeat Elyxir neceſſe eſt, ita vt fermentum non inferat potentiam, ſed eam duntaxat exuſcitet & ex remotiore faciat propinquiorem.

Fallitur ille ſenex, qui Medicinam ſibi perfectam fingit ante fermentationem, ſeu directionem illam, vt videtur loqui velle. Tunc eſt Medicina abſoluta, cum iam mederi perfectè poteſt in vſu ad metalla, niſi quod id, quod fit, poſt fermentationem, multiplicationem quandam, & alligationem ad corpus requirat, vt medio hoc tinctura hæreat. Tingit enim ſe prius (ſuum corpus, ex quo eſt orta) quàm alia. Sed hæc ſuperiùs explicata ſunt euidentius. Notabis ſomnij Micheliani veſtigium. Qui ex lotio, halonitro, alumine & hydrargyro ſublimato faciunt Elyxir, plane idem dicunt ſentiuntque cum Michelio. Nam iſta materia eſt ſuccus ſolubilis: naſcitur in homine, & cum homine, etiam in terra. Eſt res vilis, quæ vbique reperitur. Ex ea per digeſtiones, & abſtractionem humiditatis vnionemque partium fit Elyxir commune. Hoc ad argenti augmentum calce argenti imprægnatur, ad auri, calce auri. Quid itaque obſtet, quin hoc phantaſma Michelii eſſe dicamus? In domo Naſſouia dicitur id olim compertum eſſe. Fors inde accepit, tanquam inſigne arcanum. Sed proponam mox eius totum proceſſum. Fallitur, cùm Pag. 277. ita

Argumenta, non esse sumendum aurum.

ratiocinatur : Si Medicina est ad naturam metallicam prius perducenda, antequam perficiat metalla ; constat eam per se non esse metallicæ naturæ. Nugatur imperite. Metallicam naturam & dispositionem ab initio habet materia seu Mercurius Philosophicus. Nam ars non potest dispositiones dare. Quod autem postea Elyxir commune auro, vel argento misceatur, non fit ideo, quia horum naturæ non erat particeps, sed, vt in eo certa species præponderet ad album, vel ad rubeum, & vt antè dixi ad certum motum finemque dirigatur, cum prius momenta inessent ad vtrumque. Ita cum multiplicatur vltimò novi auri aut argenti accessione, id non evincit, priùs non accessisse aurum. Sed satis aperta est veritas. Reijciatur itaque portentosum id mendacium, quod habet pag. 278. *Constituere aurum pro subiecto Chymico, absurdum esse, satis probatum est.* Scilicet uani hominis vanus est sermo. Si aurum accipis vt est in manibus vulgi, non est subiectum : Sin Philosophicè, est quidem, sed non solum. Duo requiruntur mercurii, coctus & crudus ; Et coctus duplex ; ita vt in toto sit ternarius perfectus ; Mercurius, Sal, Sulphur : Mercurius, Sol, Luna ; Corpus, anima, Spiritus : mas, fœmina, semen. &c. Ex his potest lector iudicare, illum stultum, quanquam

quam bona verba ex artificum libris transscripserit, tamen ea phantasmatibus suis & somniis corrumpere. Pag. 282. tali argumento aduersatur auro: *Aurum etiam aucto igni non potest destrui. Materia Chymicorum initio est corrumpenda. Non ergò est aurum.* Sed propositio inepta est. (a) Non enim igni elementari destruendum aurum est, sed via Philosophica. Deinde assumptum senilem pueritiam arguit. Avrvm enim, antequam destruatur quodam modo Chymico, non dicitur materia Philosophica, neque solum. Sed cum iam in Mercvrivm est redactum additis etiam cæteris eiusdem radicis. Itaque materia propria non destruitur, nec corrumpitur, sed exaltatur digerendo. Pag. 314. *Vilis res est*, inquit, *materia.* Sed, inquam, non ideò est lotium. Vilis est comparatione cum immenso bono lapidis: Vilis est Philosophorvm ænigmatis, & tropis, cum appellatur elementorum vocabulis, item ouum, semen, vrina, acetum. &c. Seminet Michelivs lotium, procul dubio metet vrinam, aut ex ea aliquid, veluti salem petræ dictum. &c. Aliud: *Ex lapide in natura invento superfluum est remouendum.*

Pag. 281.

In Rosario Philos. vilis dicitur etiã ob clauem, qua septem portæ metallicæ aperiuntur. Itẽ vilissimus est per putrefactionẽ. Quando fuit putrefactũ, tunc dixerunt, lapis noster est vilis, & in sterquilinio reperitur. Cum fuit in aquã conuersus, habent eum diuites & pauperes. Vide ibi plura.

(a) Ros: ma: Aqua nostra fortior est igne, quia facit de corpore auri merum Spiritum quod ignis facere non potest.

In auro puro nihil est superflui. Aurum ergo

ergo purum non est Lapis. Videtis puerum intellectu. Certè oculis mercatorum, & monetalium in auro nihil est superflui. At non oculis artis Chymicæ. Hic enim multa sunt superflua, potissimùm tamen dispositiones externæ, & vultus vulgatus, qui est delendus. Adhærent nonnunquam etiam impuritates, quæ stibio & sale tartari resoluto sunt tollendæ. Ita & in mercurio, & auro. Verum, cum materia iam concinnata est, nihil habet impuri, nec vlla re eget, nisi coctione. Præclara est sententia eius, qui scribit: *Nisi aurum & argentum viderem, profectò dicerem Alchymiam non esse veram artem.* Rumpe domum, frange parietem, exttahe succum inde purissimum, cum sanguine coque, vt edere possis. &c. *Omnes Philosophi dicunt*, (inquit comes) *metalla nihil aliud esse, quàm mercurium gradatim decoctione diuturna per Sulphur coagulatum.* Metalla tamen nondum sunt noster lapis, quia manent in sua forma metallica: Ros: maius: *Aurum est totum mercurius*; *Et Philosophi dixerunt solem nihil aliud esse, quàm maturum argentum viuum.* Paracelsus in 3. De morbis metal: Tract: 2. Cap. 1. *Argentum viuum est domus aperta; aurum, argentum, plumbum &c. est domus clausa.* Principium esto ex metallis, quia materia est ex sulphure, & mercurio composita. Lapis est medium inter metalla, & hydrargyrum &c. In hoc consentiunt Philosophi omnes, qui artificium com-

Fac fixum volatile; frange corpus; Solue coagula &c. Lapis Philosophorũ creatus inuenitur in natura; Et per Deum altissimum nullo amplius indiget, quàm vt remoueatur superflũũ in eo. Rosar.

Paracel. lib. 3 de morbis metal. tract. 2. cap. 2.

De auri adiectione.

compertum docent. Notabitur &, quod pag. 292. *Senex ille neget, opus esse auri additamento ad mercurium, quia Medicinæ materia sit vna, & contineat omnia, quibus opus habet.* Sed labitur imperitia & somnij sui figmento. Si non opus est auri additamento, quorsum id adiecit in aurificio, quod principale est institutum artificum? (a) Materia omnia in se habet, dicunt Philosophi, non certè Michelii intellectu, sed suo & naturali. Negant enim quicquam peregrini accedere debere; affirmant vnam esse substantiam, & esse in mercurio quicquid quærunt sapientes. Hic mercurius habet naturam auri, habet argenti & hydrargyri; quæ tria plane sunt naturæ eiusdem, nisi quod illa sint concreta, hic spiritualis. Fermenti accessione nihil additur noui. Est enim perinde, ac si glaciem aut niuem aquæ homogeneæ misceres, & in ea solueres. Ita omnia in se habet ille mercurius & tantùm digestione eget, non alio modo.

(a) Nota, quod ad lapidem necessarium sit, aurum & argentum, quia hæc duo volunt efficere: quod non fit nisi per semen vtriusque. Requiritur mercurius crudus, non tantùm quia mercurius est mutandus, sed & medium tincturæ & coniunctionis est; item Mercurius corporum solus ad nihil tenderet aliud, quàm ad corpora & coagulationem Crudus verò reuocat motum, & potentiam vlterius perficiendi affert; item soluit compagem corporum.

XX. DE PLVMBO ET ALIIS *imperfectis à Chymico factis.*

CHYMICI ſtudium eſt non facere deterius, ſed præſtantius, cum imperfectis metallis abundet natura. Sed tamen, ſi naturæ & artis genio ſe oblectare velit, non ignorat modum artifex. Si mercurium ſuum extraxerit è plumbo, plumboque fermentauerit, & auxerit, nec proceſſerit operando vltra plumbi naturam: certum eſt, lapidem fore plumbificum, ſiue proijciatur ſuper hydrargyrum, ſiue aurum, & argentum. SALOMON Triſmoſynus (quod puto eſſe fictum nomen) ex argento extrahit aquam Spiritualem rubefactam, qua ex auro facit argentum, ex cæteris aurum: quod putet Sulphur Sulphuri cedere, & aurum deſtrui per ſuum inimicum, licet in eo ſit ignis infernalis ad tincturam parui vel magni operis. ILLAM aquam perfectam nuncupat aquilam rubeam vel phœnicem, & partem eius vnam proijciens ſuper auri decem argentum conficit. Docet & modum parandæ, quem videas apud autorem ipſum. Michelius hæc deprauans olet lotium. Paracelſus in Theſauro Alchymiſtarum ait: *Si habes aſtrum Mercurii, tingis totum corpus Mercurii;*

curii ; Si astrum veneris , mutas corpus veneris in metallum optimum. Hic sensus est alius. Arnoldus eum repræsentat his : *Si non misces de ipso corpore, super quod vis facere proiectionem in Elyxir, & non mitigas , non diligit corpus Spiritum.* Lullius. *Super quale corpus vis proiectionem facere , de eius Spiritu pone in Elyxir.* Hinc qui ferrum mutare volunt, faciunt ex eo malagma cum hydrargyro. &c.

Michelivs vt est in cæteris fatuus, ita & in his. Itaque Vogelivm Pag. 337. reprehendit , sed stulte. Notabunt tyrones consectarium non vile. Si enim per Elyxir , superiora matalla reducuntur ad inferiora , certo modo , etiam in Mercurium reduci possunt , idque per astrum hydrargyri exaltatum. Et hæc est illa via Philosophica , cuius meminit Rosarium maius. Hoc astrum est id, quo aurum dissoluunt in argentum viuum ictu oculi.

Ex hydrargyro fit soluens auri.

XXI. DE DIVERSIS IN LApide.

Pag.290.Scribit senex,in suo lapide manifestè oculis partium diuersitatẽ deprehendi.Est ergo & illi non plane vna natura,sed sophisma detortum est ex artificium sententiis.

Certè ante coniunctionem cernuntur tria. In coniunctione nihil est præter vnum; In coctione emergunt plura ratione distincta & duæ substantiæ separabiles. Nam ex coniugio nascitur Filius; & ascendit de terra in cælum, iterumque descendit in terram, quando rore cæli irrigatur, & pascitur lacte virgineo. &c. Sicut mysticè loqui solent, hoc est, mercurius Philosophicus in putrefactione locatus exhibet substantiam quandam nigram siccam calidam pulverulentam, quæ innatat ipsi, tanquam aquæ frigidæ humidæ, inde separatur, & paulatim sua aqua nutritur, sicut expresse scripsi in Alchemia, & vidi his oculis. Hinc Calid. duo tantùm agnoscit in principio medio & fine: Paracelsus ait, ex tribus debere fieri & manere vnum: Autor manualis ponit rem naturalem, in qua vnum, duo, tria mysticè, tanquam in arca conclusa iacent: Tinctura Physicorum ex vnitate per dualitatem in trinitatem procedit; Ioan. DeLondinas etiam celebrat quaternarium, & ex circulo alii faciunt quadratum, hocque iterum ad circulum redigunt: Interdum septenarius numerus & alij pro diuersa consideratione Lapidi asscribuntur.

NAM vna res est, quia vniformis omnium natura est aquea seu mercurialis, & hæc

hæc etiam eſt circulus. Duæ ſunt generans & generatum, vt dixi: tria vt aurum, argentum, mercurius; quatuor iuxta quatuor qualitates quæ obſeruantur, quæque elementa dicuntur: ſeptem, iuxta numerum metallorum, quę non actu inſunt, ſed in progreſſu operis per diſtinctiones quasdam deſignantur tum coloribus, tam aliis. Inſunt & infinita, iuxta tropos & ænigmata ſeu ſimilitudines rerum & colores.

XXII. DE AQVA ET VASIS.

PAG. 239. Michelius de aqua & vaſis loquitur abſq; mente. Sua enim figmenta ſomniat. Philoſophorum aqua materialis eſt mercurius, quem & vnctuoſam humiditatē, non madefacientem manus, aquam ſiccam, aquam vitæ ſepties deſtillatam, acetum ſuum, ignem Gehennæ, ventrem Struthionis (magis tamen mercurium crudum vel aquam mercurialem intelligendo in his, quæ ad ſolutionem faciunt) & aliter appellant. Hæc aqua, cum fixa eſt perfectè, tota manet in igni inuiolabilis; aliâs tota fugit; hæc eſt familiaris metallis, & eiusdem naturæ, tantum externis differens. *Videmus*, inquit Geberus, *argentum viuum magis adhærere argento viuo* (nam vt duæ aquæ homogeneæ comminiſcentur inſeparabiliter, ſiue ſit crudus vterque hydrargyrus,

Roſ. ex Parmenide: certè non eſt aqua nubis. Sed ſi haberent rationem illi, qui id putant, ſcirent vtique aquam eſſe permanentem, quæ tamen permanens eſſe non poteſt abſque ſuo corpore cum quo ſoluta eſt.

ſiue vnus crudus, alter ex corpore extractus.) *Eidemque amicum eſſe: poſt hoc, aurum; tertiò argentum*, &c. Item, *nihil aliud ſuſcipit, (hydrargyrus) quam quod ſuæ eſt naturæ.* Laudetur Deus altiſſimus, qui dedit illi ſubſtantiam & proprietates, quas non habet vlla res naturalis, nec in vlla reperitur hæc perfectio. Ipſum eſt quod ignem ſuperat, nec ſuperatur ab eo, ſed requieſcit in eo amicè gaudens, &c. quod vltimum de hydrargyro coagulato perfectè verum eſt. Videat Michelius an vllam rem in mundo tam familiarem metallis, & aliis conditionibus præditam reperire poſſit præter mercurium mineralem. Nulla autem alia eſt aqua Philoſophis, quanquam interdum duplex vocetur alba & rubea, iuxta diuiſionem Elyxiris, vel crudi & corporalis mercurii. De vaſis ſæpe dictum eſt ante præparationem eſſe plura, in digeſtione vnum, poſt iterum plura. Experiatur Michelius & operetur, videbit, num vno poſſit eſſe contentus. Neque tamen artificium in hoc eſt. Prudentiæ laborantis eſt, vno aut multis vti. Quæ contra Eualdum Vogelium Belgam nugatur, friuola ſunt & inania. Ille Belga in vno digito plus habet eruditionis & veritatis, quam hic Italus in toto corpore.

XXIII. DE COLORIBVS.

PAG. 299. in ſuo lapide, vel vt ineptius garrit, in lapidis operatione colores omnes, qui

qui hodie in mundo ſunt, ac excogitari poſſunt, apparere ſcribit. Non certè decet interpretem, qualem ipſe ſe fingit, reponere ænigmata. In roſario eſt iſtud eſſe Sophiſticum, & ſane incredibile eſt, ſi literam inſpicias. Tres ſunt colores, albus, niger & rubeus, cui interdum adiungitur citrinus, ſicut cinereus albo affinis, & plumbeus nigro ſuo apparet ordine. Nominatur & cæruleus ſeu cœleſtis in hydrargyri apparatu, & viridis in leone viridi: ſed tropica locutio eſt vtrobique. Ideo verò infiniti nominantur, inquit, ille, quia ex iſtis principalibus cæteri fiunt omnes, & inſunt poteſtate. Ita cum conſpicitur cauda pauonis, in fermentatione ſcilicet, quanquam colores ſint finiti, tamen infiniti appellantur, quod numerari nequeant, & ſubinde alter in alterum mutetur Non autem ſunt durabiles. Tale quid videmus etiam in ſublimatione hydrargyri cum Sulphure & Sale, vt fiat Cinabaris, item in auro vitæ & ſimilibus.

XXIV. AN MATERIA LAPIDIS SIT *metallica, & ex metallis extracta.*

SÆPE quidem recurrit hæc diſputatio, idque Michelianę tautologię & confuſa ſcriptio facit. Sed, cum ſemper aliquid auctarii coniunctum ſit, ne tædeat nos pigeatque ad eoſdem carceres ſæpe recurrere. Pagina 300. ex dicto quodam concludit Michelius, *materiam lapidis non eſſe metallicam, quia nimirum*

Vide punct. 13. & notas 5.40.21, &c.

rum similis dicitur in omnibus & per omnia illi materiæ, qua natura vtitur in cauernis terræ. Hinc impostores nominat eos, qui metalla quærunt in primam materiam reducere, quod negat fieri debere, quia natura ex metallis non faciat metalla. 2. quia materia similis sit non eadem. Ita ille. Suprà ad marginem posuimus dictum Philosophi, quod natura creauerit lapidem in terra, quodque hic nulla alia re egeat, quam remotione dispositionum superfluarum. Nam cum ars materiam requirat adhuc fluidam, & non coagulatam, natura tamen eam coagulârit: Hoc superfluum, & si quid affine est, remouendum est. Finge iam naturam non coagulasse mercurium, ex quo vult facere aurum & argentum; sed esse in via: Cum talem etiam ars requirat, vére dictum est, per omnia & in omnibus hunc illi similem esse. Vnde verò ars accipit? Non potest aliunde, quam ex corpore perfecto ad imperfectionem reducto. Respondet ergo natura arti ad plenum. Hinc vides peuriliter nugari senem istum stolidum. Quanquam enim non gignat natura metalla ex metallis (quod tamen nondum concedo, sed hypothesis loco habeo propter thesin) facit tamen ex metallica materia, vt & Chymicus. Deinde similitudo in his tantum est, quod Philosophorum mercurius ex parte reductus sit à perfectione corporis ad imperfectionem materialem; naturæ vero, si nondum est coagulatus,

Impostores quærunt metalla reducere.

Vide Rosar. Arnoldi lib. 1. cap. 5. præparanda sunt duo ☉. & ☽. subtiliter, vt Sulphur & arg. viuū de illa materia habeamus super terram, de qua aurum & argentum fiebant sub terra.

latus, per se sit. Cętera sunt planè eadem. Cum itaque Michelius naturæ & veritatis interpretes appellet impostores, quasi veneno sit delibutus, conspicuum euadit. Quid, quod idem Alastor pag. 309. corpus in suam naturam redactum exponat materiâ primâ, quam vocat vnctuosam? Citatur dictum: *Mercurius Philosophorum est ille, quem natura paululum est operata, & in metallicam formam formauit, sed imperfectum reliquit. Si metallicam formam habet in natura, & artifex hanc destruere debet tanquam suo operi inutilem, quid aliud facere oportet eum, quam reducere in primam materiam? Qui auri destructionem ignorat, necessario ignorat eius constructionem. Aurum est totum mercurius, quod patet ex pondere & mercurij facili combinatione. Ergo in ipso est totalis & radicalis Philosophorum intentio & voluntas.* Si Michelius putat non intelligi aurum metallum, quærat in vniuerso mundo, num possit rem inuenire, cui competant proprietates illæ, quas Philosophi requirunt in auro suo. Saltem hic desinet veritatem suo spurco lotio contaminare. Ad hoc punctum pertinet & lis, quam pag. 303. mouet Penotto. Scripsit hic, ex corpore elici argentum viuum, quod primo contactu, & attritu cum auro non minus libenter misceatur, quam aqua aquæ. Michelius *negat materiam Philosophicam esse argentum viuum ignis beneficio ex aliquo corpore extractum: quia sit res vna, quam ignis non tetigit & sola, vt à natura producta est absque mi-*

Ros. mai.

De argento vino Penotti.

scellanea

ſcellanea opus ingrediatur, & per ſolam ſolutionem purificetur. Ita Michelius. Si vllus locus oſtendit nunquam ab eo intellectum aut cognitum eſſe magiſterium lapidis, hic profectò eſt in potiſſimis. Nihil puerilius legi. Effutit verba ſine intellectu, ſicut ſenex Pſittacus. Certè vtcunque Penottus ſua explicare velit, ego, cum aliquando aurum elaborarem abſtrahendo ab eo hydrargyrum artis ſtudio depuratum, & poſtea iungerem mercurio Philoſophico ex corporibus facto, his oculis vidi auidam admodum, & valde promptam coniunctionem. Sed puto illa Penottica etiam myſtica eſſe. Nam ille mercurius ex corporibus extractus non cum vulgari auro ita coit, ſed cum auro Philoſophico, quod eſt reſolutum. Nolo tamen quicquam in præiudicium Penotti dicere, cuius ſenſus etiam poteſt eſſe alius. Quod vero Michelius negat beneficio ignis extrahi mercurium, quia Philoſophi ſcribant, igni nõ tactam eſſe materiam ſuam; errat pueriliter. Sunt enim multi ignes Philoſophorum, & inter cæteros etiam aqua ipſorum ignis vocatur. Per hanc, ſi extrahitur, igni dicitur extractus, & tamen non igni vulgari. Inſuper ſolœciſmum committit in purificatione. Falſum enim eſt, per ſolam ſolutionem purificari lapidem: Imo purgatus iam ſoluitur, & coquendo amplius exaltatur, quæ exaltatio etiam poteſt dici purgatio, & in ſpecie vocatur ablutio latonis, cũ nigredini ſuccedit

Michelius totius artis rudis eſt.

Ignis Philoſophicus.

Purificatio.

cedit

cedit albedo per gradus, quod tamen inter coagulandum fit, non per ſolutionem. Præterea, à ſola natura quidẽ producitur, ſed imperfectè. Ars eam ſoluendo & aliis operib. abſoluit. Ad hæc negat miſtionem, quia natura lapidem cõpoſuerit. Si hoc ſerio ſcripſit, certiſſimum eſt argumentum ignoratæ artis. Finis Philoſophicæ operæ eſt lapis aurificus, aut argentificus. Ante hunc nõ eſt abſolutus. Michel. docebat ſuum Elyxir nõ poſſe aurũ facere antequã cum auro cõponeretur, & vim inde haberet, cũ tamen nõ ex auro conſtaret, ſed aliunde eſſet factũ. Michelii ergo lapis nõ eſt Philoſophicus, ſed figmentũ otioſum. Sin per cõpoſitionẽ abſoluitur, cur eã repudiat? Philoſophi non omnem miſtionem reiiciunt, ſed duntaxat eã, quæ fit per extraneum ſeu alienũ. Ipſis autẽ aurum, argentũ & mercurius vnius & eiusdẽ ſunt naturæ abſq; omni peregrino: & tamen, cum ex his fiat, cõpoſitum vocatur, quod firmatur dicto allegato pag. 310. *Sciendũ, quod ipſe lapis, ſiue compoſitũ ſit, res vna dantaxat,* &c. Et nõ eſt iſtud cõpoſitum quod eſt vnum, opus animalium, aut vegetaliũ. Morionis dictum eſt; *Tres ſpecies ſufficiunt ad artem fumus albus* (vis quinta aqua cœleſtis) *leo viridis* (æs Hermetis) *& aqua fœtida, mater omnium metallorum, ex qua, cum qua, per quam præparant Philoſophi Elyxir in principio & fine.*

Lapis Michelii non eſt perfectus abſque miſtione heterogenei, vt ipſe dixit: ergo non eſt lapis Philoſophorum.

Item pag. 316. lapis compoſitus eſt ex corpore albo rubeo, & ſpiritu mercuriali volatili.

pag. 307. Sulphur agens miſcetur cũ mercurio patiẽte. In Roſ. Nos quærimus lapidẽ vnum facere ex pluribus aggregatis, &c.

Notandum quod etiam per naturam compoſitus dicatur ratione ſulphuris & mercurii.

curii. Itaque duæ ſunt in eo compoſitiones, vna naturæ, altera artis. Plura omitto. Quod pag. 305. à natura non ab arte compoſitum eſſe lapidem fingit, imperiti hominis iudicium eſt fatuum. Paulo ante dixi, quomodo à natura ſit compoſitus. Sed ratione artis homogeneus eſt & porro componendus. Iungendus certè ab artifice eſt ſeruus rubicundus cum candida vxore in cruda camera. Hæc tria quidem etiam natura poteſt committere, ſed, ſi ita inuenirentur ſociata, incertum maximè redderent artificem. Itaque cogitur ſeorſim tria ex natura ſumere, ſtudio elaborare, & tandem coniungere vt fiat res vna, quæ tunc primum dicitur materia Philoſophica, vt ita vnitas & pluralitas ſe non euertant mutuò. Ridicula ſimplicitas eſt ſcribere non igni tranſmutari lapidem, ſed regimine ignis; quaſi coquus non aſſet igni, ſed ignis regimine. Et tamen audet ille ſenex Penottum, Vogelium & alios reprehendere? Vah imperitiam impudentem. Tale eſt & hoc: *Lapis debet componi ex vna indiuidua materia*, quaſi compoſiti partes ante compoſitionem non ſint diuiduæ. Elleborum ſeni. Alia fatuitas pag. 310. *Corpus redactum in aquam eſt lapis, ſeu aqua permanens, ex qua extrahitur aqua ſecunda.* Alexandrum σολοικίζοντα in taberna Apellis videbant pueri pigmenta terentes: hunc furnarii miniſtri explodent, & furcillis configent. Eſt quidē aqua alba & rubea, ſed altera ex altera non extra-

Fatuitas Michelii.

Has duas iubent con-

extrahitur. Permanens dicitur, cum corpori constanti aqua aliâs volatica vnita est, & simul fixa, vt permanere possit. Non extrahitur aqua ex aqua, sed aqua ex corpore, nisi fors tropo quis velit vti, & cum aqua sicca resoluitur, extractionem nominare. Michelius vero prius ponit corpus, quod redigit in aquam, ex qua extrahit secundam, &c.

iungere in Rosario, &c. vt fiat aqua sine diuisione vna. Sed aliæ duæ sunt infermentatione, quæ non sunt miscendæ.

XXV. DE TRIPLICI ORDINE Medicinæ & fermentatione.

PAG. 339. Triplicem medicinam tribus ordinibus à Gebro comprehensam, accommodat ad tres lapidis natiuitates. Si explicare debuisset, stultum hic quoque agnouissemus. Geberus tres ordines diuersorum magisteriorum rectè ponit. Nam diuersis notis possunt imperfecta nobilitari, idque diuersis medicinis. Sed in hoc simul occultauit operam triplicem, quæ debetur vni medicinæ tertiæ, quod etiam turba notat, cum ter dicit, coque. Satis manifestè hæc in arte exposui. *Falsum est, quod nugatur de secunda Medicina, esse scilicet eam à fermentatione primam, quæ fiat cum Luna limata subtiliter vsque ad rubedinem. Nec verum, quod tertij ordinis medicamen sit à fermentatione secundum, fiens cum auro optimè limato donec euadat perfectum.* Nihil intelligit plane ille imperitissimus omnium. Duabus operationib. fit Elyxir, & debuerat repetendo

labor continuari vſque ad perfectionem. Sed inuenta abbreuiatio eſt per fermentationem. Illæ duæ ſunt præparatoriæ, tertia magis perfectoria, & pro arbitrio artificis duplex, aut etiam ſimplex. Nam, ſi fermentum argenti adhibeat, poteſt deinde pergere vſque ad rubedinem; vel etiam ſubſiſtere in argenti perfectione. Hîc tamen non poteſt aurum facere. Ergo oportet aliam eiusdem Elyxiris partem auro fermentare, & procedere vſque ad finem ſummamque rubedinem, &c. Paracelſus adhuc compendioſiorem viam monſtraſſe vult videri, nimirum, ſi quis arcana auri, & argenti, mercuriique aſſumeret, eum peruenturum ad finem citius. Sed ego non puto ipſum peritè conſuluiſſe, ſeu rei periculum feciſſe. Vidit in eſſentiis vim eſſe validiorem, motumque agiliorem, quàm in integris. Credidit itaque ſic velocius opus proceſſurum. Sed in hac arte non temerè ab experientia eſt diſcedendum. In libro tincturæ, vbi veteres carpit, tam pueriliter aliquoties loquitur, vt id penè argumento ſit, veteres nõ intellexiſſe.

Hoc eſt, quod Geber dixit, ſi cum ſolo mercurio (Philoſophico) potes perficere, excellentiſſimi arcani indagatores. Vide infra in Lulliants.

XXVI. DE IGNIBVS.

PAG. 342. Enumerat quatuor ignes Philoſophicos, naturalem, elementalem, innaturalem & præternaturalem. In Roſario ignis eſt multiplex, vt fimi, qui eſt calidus, humidus. Solis, qui calidus ſiccus: Eſt fixatorius,

xatorius, fuſorius, flammeus, & cæteri vſque ad nonarium nunerum. Sed hi ſunt externi, & gradibus operibusque diſtinguuntur. Internus & Philoſophicus eſt in auro, quanquam & aqua ſoluens appelletur ignis. Auri ignis etiam Sulphur nuncupatur. De mercurio ex Ademaro citatur dictum, quod eleuatio ſeu ſublimatio lapidis debeat fieri per ignem fortiſſimum, qui ſit putrefactionis & mercurii noſtri. Vocatur aliquando & ignis fimi non deſtruens oleum, ſed augens. Videat Michelius, quomodo illa ſua velit exponere. Tres omnino ignes habent Philoſophi, externum gradibus diſtinctum, & internum duplicem, mercurii & ſulphuris.

Scitote, quod argentum viuum ſit ignis comburens corpora magis, quam ignis. Roſ.

XXVII. DE MICHELII PRAXI.

QVICVNQVE in artificum libris verſatus eſt, & naturali contemplationi parumper incubuit, legens Micheliana, riſum non continebit. Adeò ineptè & pueriliter deblaterat. Ego certè affatim riſi hominis ſtultitiam, maximè, cum legerem in dedicatione, quod nec artificem nec magiſtrum ſe profiteretur, ſed tantum inueſtigatorem; mox etiam illuſtratorem, qui tamen nolit præmanſum cibum in os ingerere, ſed bolum maſticandum committere. Hem, iſtud eſt doctorem & illuſtratorem agere pag. 346. *quocunque modo lapis eſt diſſoluendus, eo eſt & com-*

ponendus. Hoc dictum ipſo ſono eſt fatuum. Diuerſæ viæ ſunt compoſitionis & reſolutionis; ſeu ſolutionis & coagulationis, nec eſt artificis ita præcipere; quomodo ſoluiſti, ita coagula. Contra ſe habent ἀνάλυσις καὶ σύνθεσις. Sed quas ſibi quæſo fingit bullas? Quam diuerſitatem regionis calidæ & frigidæ? Quaſi vero artifex ſubdio opus perficeret. In materia Philoſophorum nulla eſt defœdans ſulphureitas, nulla euaporatio humiditatis; omnia coagulabilia: nulla aqua ſanguineis venis ſparſa, & quę alia ex lotio ſuo attracta contaminandis Philoſophorum præceptis immiſcet. Tale deliramentum eſt pag. 353. *Cum ad ſummam nigredinem*, inquit, *eſt peruentum, tunc extrahe tincturam, quia à capite corui vſque ad ſupremam nigredinem nihil eſt factum, præterquam habilitare materiam ad extractionẽ tincturæ.* Certè putrefactio exhibet nigredinem, poſtquam non ſtatim ſequitur tinctura, ſed ſeparatio & coagulatio. Nec iſta eſt habilitatis procuratio, ſed rei iam habilis factæ ſolutio. Anilia & melancholici hominis ſomnia ſunt ea, quæ nugatur de his, quæ ſcire oporteat artificem. Præſtet nobis per iſta ſua phantaſmata lapidem, ſi vir eſt, tunc veritatem & mendacia videbimus. Adhuc de Michelianis. Dilucidè certè tractaui omnia, quantum potui. Si tamen quid deeſt, id peti poteſt ex arte, eiusque commentariis. Summo enim ſtudio in hoc incumbo, vt tandem in lucem

pro-

protractum habeamus lapidem, & videamus, quanti ſint illa magnifica Encomia.

Nec inuideo cuiquam apertam veritatem. Inimicus, amicus, quicunque poteſt, fruatur, & ad vſum conuertat, quæ offeruntur, modo difficultatibus humanis hinc aliquid ſit adiumenti, & gloria Dei celebretur. Non eſt dubium, ex ſententiarum conflictu aliquando erui poſſe veritatem. Sæpè autem mentio facta eſt augmenti cuiusdam ſolaris aut lunaris, quod intendere videtur Michelius. Id, vt deſcriptum accepi, Latinis verbis repræſentabo. Quod ſi quis etiam hinc aliquid proficere poteſt, is facto deprehendet me noluiſſe commodis cuiusquam obſiſtere. Ne tamen temerè quis rem aggrediatur. Nam ille Paracelſita diu in lotio elaborabat, ſed in augmento non tantum nihil proficiebat, ſed & aurum perdebat.

Elyxir, Diana, dictum pro augmento Solis & Lunæ.

Colligе vrinæ pueri duodecim annorum libras decem, aut viginti. Infunde in cucurbitam validam, lutoque armatam, tertia parte vacua. Impone ei alembicum cum foramine in vertice, per quod, ſi neceſſe ſit, poſſis nouam aut reliquam vrinam demittere, ſicubi prior fuerit deſtillatione

Eſt res in hominis ventre nata, fœtida, vilis, quam quiuis habet, &c. Lapis noſter ſit ex vna re.

consumta, quanq́, si copiosa fuerit prius decoq in aheno ad crassitiē debitā possit & postea cucurbitę immitti. Si, ne tūc quidē tota capitur amplitudine vasis, q residuum est, reseruetur, & suo tempore submittatur. Cucurbitam colloca in catinum arenarium ferè ad fundum, seu, vt non multum à fundo absit *a*. Fornax instructa esto crate, & quatuor spiraculis. Cum prima aqua effluxit destillando, vsque ad quartam vrinæ partem, infunde reliquam reseruatam per alembici foramen idque paulatim, vt res feret, donec ordine totam inieceris. Debet autem actu calere, ne vas frangatur *b*. Tu quoq; ipse cogitare debes, quantum crassæ vrinæ ad opus tuum desideres. Cum satis habes, destillatam aquositatem profunde. Est enim inutile Phlegma. Vide, ne ignis sit maior iusto. Ita rege eum, ne exundet lotium *c*. Perge destillando, donec cucurbita intus albefiat, & ascendat quasi alba nebula. Hoc signo apparente, amoue receptaculum, & nouum appone, cuius pondus prius sit exploratum. Nam postea expēdenda erit materia, vt, quam graues sint guttæ, experiaris. Cum videris itaque album spiritum circa

a Hic separatur mercurialis pars & seruatur salsa cum sulphurea. Ros. Sal metallorum est lapis Philos. Tantum superflua remouemus.

b Vrina crassa est crassities in humore Micheliano.

c Parac. in manuali: hoc fac, donec albescat & ascendat quasi ad sublimandum.

circa alembicum vagari, auge ignem fortiter. Tunc aſcendent, exibuntque guttæ ponderoſæ. Materia in fundo erat nigra. Sed guttæ ſunt purpureæ, quas vehementi igni prolice, donec halitus diſpareant, ſitque materia in imo fixa. Guttæ ponderoſæ, ſeu ſal ille ſolet plærunque concreſcere & coagulari in alembici roſtro propter frigus externum.

Mich. ex ſumma nigredine extrahe tincturam. Nigredo ſignificat habilitatem datam materiæ, &c.

Itaque, vt hoc anteuertas, ſuppone ollam, vel teſtam cum prunis. Nam calore ſoluuntur guttæ. Guttæ, quæ deſcendunt purpureæ, ſunt inſtar mellis craſſi, ſal vero, qui in roſtro coagulat, eſt albus. Tere deinde guttas exactè, & ſerua reponeque. Poſtea cape eas, & pondera. Quantum pondus inuenis, tantum adde ſalis petræ & aluminis: Compone in vitro: claude, & prehenſum ambabus manibus agita diligenter. Ita ſoluentur in aquam: ſine requieſcere: vas luto obducito, quod cum peraruit, pone in cineres vel arenam, ita vt calorem nimium caueas.

Eſt ergo ſal cum ſulphure & coagulabilis mercurius ſapiẽtum: Sal fuſilis, &c.

Compoſitio tartari Micheliani, & ex tribus vnio.

Solutio.

Nam, vt eſt in Roſario ex Alphidio, ignis ſapientum calidus in ſecundo & humidus in primo gradu non deſtruit materiam, ſoluſque eſt æqualis, temperatus & ſummè neceſſarius in generatione iſtius rei.

Si calor ſit nimius, frangi vas ſolet. Itaque & cinis, vel arena ſatis multa debet intercedere. Sic materia in arena ſoluitur. Sequitur deſtillatio. Aperi vitrum in

quo ſoluta eſt materia illa philoſophica, ex tribus ſuccis in homine & terra genitis parata. Effunde in aliam cucurbitam bene loricatam. Affige alembicum conuenientem, idq; firmiter, ne poſſit moueri. Obſtrue etiã iuncturas ſubtili ingenio, ne quid ſpirituum euadat. Naſi orificium interim cera obtura, ne halitus ſubterfugiant. Cucurbitam luto munitam impone in ignem nudum. Iam enim reuerberante opus eſt, qui in principio rem deſtruxiſſet. Stet itaque ſatis profunde in fornace, vt à flamma acriter verberetur. Fornax debet ſatis eſſe munita, & quatuor ſpiraculis pro regimine ignis accurato inſtructa: Appone receptaculum magnum, pro copia materiæ, vt poſſis ſpiritus excipere: Commiſſuras luto obfirma: Incipe lentè deſtillare, & paulatim per gradus aſcende ad ignem validiorem, donec receptaculum erubeſcat, quia ſpiritus è ſale petræ & alumine aquam ingrediuntur, eamque tingunt: Perge ignem augere, donec tota cucurbita ignis vltimo gradu igneſcat, & alembicus ante obſcurior, nunc iterum albeſcat. Tunc ceſſa, ſineque refrigeſcere. Sic vniuiſti illa tria, & aquam extraxiſti ex aqua. Tandem abſtracto cautè receptaculo, aquam deſtillatam in vitrum mundum infunde, claude, & diligenter muni. Cape argentum, idque aqua forti calcina. Calcem elue aqua calente ad dulcedinem, aut coque, vt ſalſi ſpiritus omnes abſcedant, ſicca ſuper prunis: Adde duplum Elyxiris

Aſcendit in cœlum iterumque deſcendit in terram.

Hoc eſt, Elyxir.

Materia fermenti.

Michelius limatam Lunam capit.

Elyxiris prius confecti, Misce: Pone in cucurbita recta (vel retorta) benè luto obducta in arenam, & digere horis quatuor, donec calx aquam benè combibat, & caue, ne vllus Spiritus se surripiat. Commissuras ergo exactè claude. Cum benè combibit, refrigescere sine. Exime immitte in cucurbitam rectam, aut retortam paruam, iuxta proportionem materiæ: vel potius, quia opus debet fieri in vno vase, in eodem relinque, & per alembicum destilla iuncturis exactè occlusis, & receptaculo argilla oblito admoto. Destilla initio igne lento, ne vitrum rumpatur. Deinde cum benè incaluit, ignem auge, & ascendit aqua cum luna halitus specie, & exit in receptaculum. Tandem pelle fortius, non tamen nimis, ne frangantur vasa. Quod egressum est, pondera. Pondus confer cum his, quæ imposuisti; Et videbis, num tota luna sit prolecta. Si non exiit tota; quod destillatum est, repone super id, quod remansit in vase. Benè misce, contere & contempera. Vide, ne vitrum rimas egerit. Si non dissiliit, poteris id mutare. Cognosces autem luto abraso. Cum omnia sunt salua, & materia reposita, lutumque inductum, & arefactum; destilla eodem artificio, vt prius, idque donec totum pondus argenti in aquam deduxeris, & ex alembico prolicueris. Hæc est aqua alba, seu Elyxir album ad argentum. Deinde cape aliam partem prioris aquæ, & adde sub-

II. Operatio.

Digestio.

III. Operatio.

 duplum

duplum calcis auri, digere & destilla pari arte, vt in argento dictum est. Hæc est aqua rubea. Non autem ingrediuntur corpora, nec transmutant mercurium hæ aquæ, nisi prius de Spiritu imposueris, coniunxerisque. Cape ergo Elyxiris albi vncias quatuor; Hermètis, hoc est, mercurii sublimati cum vitriolo, & sale, (ita vt salis & Mercurii capias partes singulas, vitrioli duas, & sublimes lege artis) partes quatuor, argenti per aquam fortem calcinati tantundem; non enim opus est auri additamento, quia argentum potest perfici. Positis his rebus in vitro, affunde Elyxir, vt fiat massa, seu pulticula instar amalgamatis. Vitrum claude papyro, quæ mista sit pulte ex farina & ovi albo. Colloca in arena calida in catino super fornacula ad id parata. Sine ibi, donec aqua Elyxiris sit consumpta, totumq; coagulatum. Tunc ad sublimandũ sua sponte contendit, id quod oculis tuis vides: Permitte ergo, vt benè sublimetur. Postea vitrum inuerte, & iterum sublima, idque tam diu facito, donec non amplius ascendat & eleuetur. Hoc peracto, vitrum aperi, & adde partem Elyxiris. Claude; sublima, vt prius. Repete id negotium etiam tertia vice, donec euadat materia punicea. Nam ante hunc colorem non est perfecta. Si vis multiplicare, exime, & adde Mercurii sublimati æquale pondus. Affunde Elyxir (Mercurium Michelianum ex lotio, sale petræ, alumine & calce

Marginal notes: 2. Fermentatio. — Nutritio, imbibitio. — Coagulatio. Fixio. — Multiplicatio.

calce lunæ) & incera, coagula, fige, vt priùs. Si hoc repetis ſubinde, procedere in infinitum potes. De hoc lapide aureo proijce partem ſuper argentum fuſum, aut æs, aut ſtannum & tranſmutabitur in aurum, quod reduces per cineritium. Argenteus lapis proijcitur ſuper æs & argentum ſimul.

Finis.

Deo Gloria.

NOTA-

21. Quid

PVNCTA EX MEDICINA MICHELII collecta.

13. An

GVALTHERI BRVELII IVDICIVM de Medicina Paracelſica.

SVNT, qui, licet rerum naturalium cognitionem non damnent; omnia tamen ea, quæ

quæ de iis posteritati à præstantissimis viris, non absque inspiratione diuina tradita sunt, prorsus immutare vanissimè laborant. In qua re præter multos alios PARACELSVS se magnam gloriam sibi ipsi pollicetur consecutũ, idque plurimis voluminibus ita agit, vt etiam è doctioribus permultos dubios aliquamdiu reddiderit. Et, vt verum fatear, me etiam aliquot mensibus suis labyrinthis detinuit. Magnis equidem præconiis, quæ passim de Paracelso publicè spargebantur, provocatus, non alienum à ratione aliquando duxi, si non nulla illius perlustrarem scripta, cum per negotia commodè liceret. Sperabam enim, me inde aliquid commodi relaturum, cum quasi super astra huius viri scripta à multis extollerentur, quorum nonnulli inauditam etiam nobis minabantur metamorphosin, qui rationem medendi ipsius Galeni profitemur. *Ego vero id tandem magnis laboribus maximisq; expensis consecutus sum, quod nunc sciam, quibus rationibus alios ab hac arte plurimis damnosa dehortari poßim; maximis præterea, verißimisq; argumentis asserere possum, Galeni fundamenta, quantum ad felicem rationem medendi spectat*, NVNQVAM EVERSVM IRI *à Paracelsicorum nouis hypothesibus*, id quod latius ostendemus in libello nostro, quem de Corollariis Philosophicis inscripsimus, &c.

FINIS.

DEO GLORIA.

D. O. M. A.

MEDICINÆ HERMETICÆ

Artificibus

CATHOLICÆ
AD
HOMINIS SANITATEM
tuendam aduersamque valetudinem
profligandam;
ET
HYDRARGYRVM, IMPERFECTA-que metalla in aurum vel argentum transmu-tanda,

Expositio fidelis; sincera & dilucida,

RAYMVNDI LVLLII, ET AR-NOLDI VILLONOVANI;

Cum scholiis & interpretationibus apertissimis,

ANDREAE LIBAVII MED. Rotemburgotuberani.

1 5  9 9.

FRANCOFVRTI,
Excudebat Ioannes Lechlerus impensis Petri Kopffij.

VIRO PRÆSTANTI, ET INDVSTRIO D. ADAMO GEVSIO DIGNITATIS SENAtoriæ apud Rotemburgotuberanos Amico,

Andreas Libauius S.

PATRVVM tuum aliquando narrabas, Vir præclare, eximiè delectatum arcanis Chymicis non parum temporis & ſumtuum in illis perdiſcendis, ſpectandiſque collocaſſe. Oſtendebas & commentarios, vaſaque offerebas, ex quibus, tanquam indiciis euidentibus, facilè erat, quod aſſeuerabas, cognoſcere. Nec inſtrenuum fuiſſe hominem, aut ignauiter appetentem myſteria, nummus il-

le conſtellatus, & auri vitæ myrothecium coarguebant. Dignus nimirum erat, cui alacriter pergenti, & veritatem huius artis penitius ſcrutanti, inque vſum humanæ ſocietatis aperienti ſtatua & monumentum poneretur Chymicum, non quale Paracelſitæ illi mali merentur, ſed quale vir bonus, & ad iuuandam Rempub. natus. Verum anteuerterunt illum fata, & ne ceptum ſemel ſtudium percurreret, tela ocyus abrupta prohibuerunt. Tu vero, vt nonnulla alia hæreditario ex eius bonis accepiſti iure, ita in partem ſtudiorum veniſti, & ob hoc dignus es iudicatus, quem pro illo ad ſubſellia euectum ſua Muſæ amarent Chymicæ, & ornarent. Me quidem impulerunt illæ, vt tibi ſuperiora nuncuparem, nec ingrata fore puto. Quæſtionum enim argutiſſimarum, nec minus iucundarum exhibent numerum non nullum. Præſertim famoſiſſima illa Solis menſa, in qua eſcæ philoſophicæ abſque cura hominum multa naturæ principaliter elaborantis beneficio proponuntur liberaliter, quem

non

non queat excitare? Multa quidem de ea paſſim leguntur, ſed obſcura, & perplexa, nec eſt, vnde refelli mentientes, falſique viarum monſtratores poſſint, quod in tenebroſos receſſus refugiant, & nebulis ænigmatum Oedypo dignis, atramentoque ſepiæ offuſo deliteſcant. At hic in lucem protrahitur tota quæſtio, nec noctu paratur menſa nec longiſſimè ſummota regione accedi iubetur, & apud Æthiopas quæri, ſed familiari diſputationum diſſertationiſque in contrarium, quod dubitare vocant, principium nimirum ſcientiæ, Peripatetici, genere excutitur, & intra noſtras ædes inſtruitur ferculorum apparatus. Quid ni ergo tibi ſit acceptus conatus? Sed nondum exatiatum te cupediis deliciisq; notitiæ certæ ſum arbitratus, ni etiam ipſam praxin, ab his proditam qui adminiſtrarunt ipſi, videruntq; & tetigerunt opus ſumma fide, & diligentia ingenioq; viris, quam fieri poteſt, apertiſſime integerrimeq; declaratam cognoſceres. Nō quidem ad diuitiarum maria, & auri montes te

 volo

volo perducere. Vales enim, Dei munere, opibus & exiſtimatione liberali, recteq; cenſes, non admodum vtiles fore tantas, quantas plærique, neſcio quam verè, ex illo ſtudio pollicentur. At, vt vitam, quantum Deus contulerit auxilii, eo ſalubriorem, & à morbis magis immunem traducas, quo poſſis Reipublicæ tuisque diutius inſeruire, & in hac vita Dei gloriam ſtudioſius celebrare, id vero non ignauiter appetendum cenſent, qui ſapiunt. Rectè enim ille noſter:

Horat. lib. 1. Epiſt. 3.

Quod ſatis eſt cui contingit, nihil amplius optet.
Non domus & fundus, non æris aceruus, & auri.
Aegroto domino deduxit corpore febres.
Non animo curas. Valeat poſſeſſor oportet.
Si comportatis rebus benè cogitat vti.

Itaque te Medicina, nec ea vulgari, ſed quam tot ſecula non ſecus in myſticis ac præſtantiſſimis habuerunt, ſecundum dono, & quidem ita, vt non tantum legendo noſſe, ſed & operando concinnare, ſi animo libitum fuerit, poſſis. Ea enim lux eſt huic tractatui Lulliano, & Arnoldino,

no, vt, qui hinc non proficit, eum de
attis cognitione iubere ausim despe-
rare. Tu vero, quia & ingenio & ad-
miniculis cæteris es instructus, modo
animus non sit auersus, Deo aspiran-
te, non infeliciter poteris in ea versa-
ri. Tunc admirabere diuinam in na-
turalibus potentiam, hocque scientiæ
suauissimæ & vtilissimæ munere au-
ctus, virtutum quoque cæterarum,
maximè autem pietatis, & sanctimo-
niæ comitatu instructissimo muniê-
re. Cape modò oblatum hilari fron-
te, & reipsa ostende, non inuito tibi es-
se obtrusum munus. Non postulo te
litibus meis Patronum. A tot hosti-
bus hactenus acerrimè aduersus veri-
tatem est certatum, sed frustra. Ipsa
sui est patrona fidelissima, robustissi-
maque. Documento est euentus.
Tantæ potentiæ & auctoritatis ma-
gnatibus ingentia volumina sunt con-
secrata à multis. Sed quotusquisque
est, qui ea ab inuasione hostium de-
fendere potuerit, & tuta reddere? Ne
priuilegia quidem regia & interdicta
prætoria huic cauent malo. Frustrà

 ergo

ergo ſcripturi defenſores quærimus, ſi ipſi à veritate parum valeamus. Ego cauſſæ diuinitus commiſſæ eiusque firmitati ſatis confido. Tu tantum dono hoc fruere, delectare, & Vale. Calend. Septemb. Rotemb. ad Tub. Anno Salutis 1598.

AD

AD LECTOREM.

PERSVASVM *mihi est, Lector beneuole, pridem te animaduertisse, me in contentionibus Philosophicis versantem non tàm studere verbis argutis: aduersantium opiniones veritati vim facientes conuellere & turbare, quàm rerum ipsarum luce opposita tenebras discutere, & Sophismatum perplexitates nodosq; disrumpere, & dissipare, Ab hoc instituto cur nondum discedã, caussas non vides nullas. Quid enim facilius est, quam verbis labefactare aliorum placita, tantumq; negare, quantum ipsi affirmauerint, & sententias si non euertere, impellere tamen, & dubias reddere, præsertim cum absoluta illa iudicandi ratio in nullo huius seculi homine sit absoluta, & speculatio sæpenumero magnum quantum ab operum euidentia experientiaq; secedat? Non destruendum ergo tantùm est, sed & construendum, & rectis præceptis in medium prolatis, munitisq; rerum euidentia demonstranda vera documenta.*

Scripsit non ita pridem in me capulare istud senium, Iosephus Michelius nescio quis, præterquam, quod ex plumis facilè innotuit

auis. Is non tantum conuitiis rabiosissimis me conatus est de gradu deturbare, sed & praxeos cuiusdam, quam nec ipse tentauit vnquam, nec scit ab alio vllo artifice abso lutam esse, somnio. Digessi rem in capita, & veritatem, quo ingenio & modestia potui, defendi. Sed praxi fictæ per Lullium & Arnoldum, artifices in ea summos, nec absolutos tantum, sed & synceros fidelesq́; occurendum iudicaui. Adieci illi mea nonnulla, quæ ratione & experimento iudicaui esse solida, itaq́; dogmata artificum illustrare sum conatus, vt facilimè eorum sensum posses assequi, & de veritate iudicare promtissimé. Volo te boni consulere hunc laborem, præsertim, si tyro es. Sin artis orgiis initiatus, tibi non planè satisfactum iudicas: Rogo perquã officiose, ne prius hostis meus fias, quàm monitor sedulus. Monstra, sicubi aberrauero, rationum & operum euidentia. Habebis veritati obsequentem. Ne vero puta, me phantasmatibus tuis multum tribuere posse. Non quidem mihi persuasi adeò perspicacem esse, vt nihil subterfugiat, sed tamen scio, me non nullos intendisse pro diuino beneficio ingenij neruos. Monitorem peritum ferre possum, blateronem ineptum non possum.

Ab illo deprecor errata, & interpretationes alienas. Scit enim, quam arduum ſit, omnes artificum intentiones in numerato habere, & felici στοχασμῷ poſſe explicare. Imò plæraq; etiam artem ſcienti non parum creant dubij, quorſum ſint dicta, & quid ſibi voluerit autor. Facilè itaq; veniam ab hoc impetrabo. Ab altero ne peto quidem. Iuniores expeditiorem hic inuenient ad arcana viam, quàm in monumentis veterum aliis, aut etiam apud Paracelſum, quanquam hunc valdè prædicent aſſeclæ, ſed minus aſſequantur, nedum exprimant, opere. Studui ſanè arcanam locutionem, quantum fas fuit, explanare, & ſic viam ad ſententiam aperire. E Phyſicorum ſcholis addidi rationum pondera, ne quis putaret artem hanc præter fumos & furnos nihil poſſidere aliud, cumq; Philoſophica & Phyſica nominetur, nihil minus habere, quàm Philoſophemata, & naturæ argumenta. Facilius aſſentietur, qui factorum cauſſas non abſurdas, imò neceſſarias intellexerit. Eſt & aliud, quod non præteritum velim. Edidi ante hac tractatus nonuullos de Mercurio, aqua permanente & lapide Philoſophorum, in quibus deprehendentur quædam paulo aliter, quàm in

Lul-

Lullianis & Arnoldinis expoſita. Id non temerè factum animaduertent illi, qui ſunt in hoc ſtudio verſati. Nam, quanquam vna eademq́ ſit artis regula, & idem proceſſus, nec materia alia ſecundùm naturam: tamē artifex artifice eſt ingenioſior in præparatione & abbreuiatione operis. Veritas eſt in illis quoq́, ſed præparatio nonnihil differt à Lulliana. Hæc lectorem candidum ſcire & præmonere volui. Fatuorum Paracelſitarum ſtrepitus, vt alibi, ita & hîc contemno. Non enim poſſunt ſapere, quos natura ipſa inſipientiæ damnauit.

AD PERIPATVM.

Tollit Ariſtotelis clamas Alchymia ſenſus
Falleris, & vero murmura caſſa ſonas.
Naturæ haud aliud peragit ſic iuſſa magiſtræ,
Quid dubitas? Faciunt hæc monumenta fidem.

A. L.

CLAVI-

CLAVICVLA RAYMVNDI LVLLII MAIORICANI, QVÆ ET APERTORIVM DICITVR, IN QVA omnia, quæ in opere Alchymiæ requiruntur, apertè declarantur.

NOS appellauimus opus hoc nostrum Clauiculam, quia sine hoc præsenti libro nullus potest intelligere, quæ scripsimus in nostris aliis libris, in quibus totam artem compleuimus, licet verbis obscurioribus pro ignorantibus. Scripsi multos libros, & prolixos sub sectionibus & terminis obscuris; vt in nostro testamento apparet, vbi de principiis naturalibus egimus: vbi omnia sunt posita, quæ ad artem faciunt: veruntamen sub mantello in posito textu Philosophiæ. Item in nostro capite de argento viuo Philosophorum, & in secunda parte testamenti. De exuberatione minerarum physicarum, & in nostro libro de quinta essentia, primo de quinta essentia auri & argenti. Deinde in aliis libris à me factis, vbi tota est ars completa. Sed secretum occultàuimus pro posse. Cæterum, quia sine hoc secreto nullus potest ingredi mineras Philosophorum, neq; aliquid facere, quod ipsi possit prodesse. Quare iuuante Altissimo, cui placuit hoc secretum nobis reuelare, sine vlla fictione artem totam

Sine fictione vlla.

totam declarabo. Et ideo cauete hoc secretum reuelare improbis, sed vestris amicis intimis, quamuis nulli dare debetis, cum sit donum Dei, qui hoc dabit, cui volet: quod, qui habet, sempiternum habebit thesaurum.

SCHOLIVM.

PRIOR ista procœmii pars est, in qua initio rationem inscriptionis reddit, quod ideo appellauerit Clauiculam hunc librum, quia aditum facit ad intelligendos cæteros, quos de eadem arte tradidit, quasi ianua ad hos per illum tanquam clauem sit referenda. Deinde comparat reliqua commentaria, cum hoc libello, indicans ista quidem totam artem continere, sed obscurè, mysticéque, quo modo solent artifices Chymici alienis verbis res suas tradere, imperitosque ænigmatis ludere, & arcere indignos allegoriis. Præterea, vt intelligamus qualis sit hæc Clauicula futura; addit se non tantùm principium artis traditurum, & sic ianuam saltem aperturum, sed totam explicaturum euidenter. Vbicunque ergo in toto opere occurrit lectori ostiũ clausum, clauis hinc præstò est, vt sic fasciculum clauium potius quam clauiculam nominare debuerit, nisi malis magisterium absolutum. Quis enim arte accepta verbis modoq; apertis & euidentibns, desideret intrare perplexitates reliquorum librorum? Monet tandem, ne artem diuina benignitate per præceptorẽ tàm candidum acceptam absque discretione omni-

omnibus communicemus, quanquam iudicet, ne vlli quidem tradendam esse, cum hoc sit solius Dei, non hominis beneficium vtpote sempiternum thesaurum per istam conferentis. Hæc summa dictorum est & dispositio. Videamus quædam paulo specialius, & penitius in sententiam autoris penetremus.

Nominat in titulo non tantum clauiculam (ob breuitatem præceptorum) hunc libellum, sed & apertorium, quæ quidem vox declarat illam per alterum clauis officium, quod est aperire fores clausas: Sed in 1. de quinta essentia aut eundem, aut alium designat titulo experimentorum. Ita enim loquitur: *Sicut declarauimus in libro, qui dicitur experimentorum, qui liber est principalis, & clauis omnium librorum, quos vsq; ad istum composuimus in hac arte.* Ita ille. Ad meas manus is nondũ peruenit: Et primo aspectu, quis iudicare posset, non alium ostendi, quam hunc, quem appellat clauiculam, cum eadem vtriusq; sint Encomia, eademque in vtroque promissa. Sed cum indicet istum librum scriptum esse ante tractatum de quinta essentia: Et in clauicula mentionem faciat quintæ essentiæ per clauiculam declaratæ, quod attinet ad artẽ lapidis: consentaneum est istũ esse alium. An posteris temporibus illum librum reuidit, denuoque sub titulo clauiculæ edidit? An librum de quinta essentia post clauiculam resumsit auxitque? Sed parum refert, duo ne sint,

Liber alius Lullii Experimentorũ.

an vnus commentarius, cum ex vtroque idẽ expectandum.

Sequitur in inſcriptione: *In qua omnia, quæ in opere Alchymiæ requiruntur, apertè declarantur.*) Promittit non clauem Roſarii, quæ eſt aqua ſoluens metalla, ſed præcepta artis omnia eaque apertè declarata. Diſſentit itaque in hoc libro Lullius tùm à ſe ipſo tùm ab aliis, qui apertam artis traditionem negant apud artifices vſpiam extare, ſeduloque contendunt cum fatuo illo Michelio, omnia eorum ſcripta dictaq; eſſe parabolica, ænigmatica, myſtica. Cogitent hæc, qui inficiantur, artem ex libris diſci poſſe, quanquam & Bernhardi exemplo & iudicio confutentur. Si quid aperta declaratio proficit, non temerarium erit promiſſum Lullii. Monendi tamẽ ſunt diſcipuli, ne illotis quod aiunt, manibus artem inuadant, ſed poſtquam diuinam implorauerint opem cæteris diſciplinis præſertim naturali, quemadmodum & ingenio acrique iudicio accedant inſtructi; &, cum omnia ad amuſſim intellexerint, matureque deliberauerint, ad opus perueniant ipſum, & paulatim per particularium præceptorum exercitia contendant ad totum: quin & prius Catholica illa operationũ perſpecta habeant quam quicquam in aurificio tentent. Quid n. ille conſequatur prælcari, qui, quid ſit ſublimare, deſtillare, reuerberare &c. ignorat? Hæc itẽ, cum non ſint vniuſmodi, ſed accommoda-

Nõ omnia artificum ſcripta ænigmatica.

modatione ad opera ſpecialia varient, diligenter indaget, quam ſublimationem & deſtillationem,&c. præcipiant artifices. Sed de his alibi. Porro quod de occultatione contra apertam doctrinam contendunt plurimi ad rauim vſque, id neutiquam tale eſt, quale ſibi fingunt ipſi. Nulla eſt tam abiecta ars, quin ſingulari ſuo more, & diſciplinæ conſuetudine arceat peregrinos. Quid de Alchymia dicendum, qua neſcio an vlla poſcat accuratius ingenium magiſque induſtrium, & circumſpectū? Filios doctrinæ requirit, hoc eſt, qui vocatione benedictioneque diuina & natura ſolerte præmuniti, ſacris Chymicis legitimè initiantur, diſciplinæque ſe tradunt, & in ea ita verſantur, vt & notitiam & vſum præceptorum ſimul acquirant. Quo magis deliri ſunt, qui ex aliena functione ſe in hanc lucri ſpe ingerunt. Crede mihi, talis eſt hæc ars, vt etſi manifeſtiſſimis vocibus phraſibusq; notiſſimis explicetur, tamen obſcura perplexaque maneat non initiato. Itaq; vidi non raro quoſdam optimorum præceptorum congeriem circumferre; ſed neutiquam ea intelligere. Vidi, qui ſibi pulchrè ſapere, & omnia aſſequi viderentur, ſed in opere nihilominus deficiebant, quod nec ingenii dexteritate, nec adminiculorum neceſſitate, nec prudentia valerent. Ne ergo damna Lullium, & alios, qui apertam doctrinam profitentur, quaſi artem indignis proſtituant. Cuilibet Deus adie-

Quælibet ars ſe occultat ſeparatque à vulgo diſciplinæ more & proprietate, maximè Chymia, licet apertis verbis tradatur.

cit ſuos carceres & ſepta, quæ non tranſcendet imperitus. Valet hic illud verbum artificum: ſi ſcis artem, tibi dixi aliquid; ſi neſcis, nihil dixi. Oportet enim diſcipulũ callere diſciplinæ morem, & ab artificibus informatum eſſe, niſi Diuino ductu in eam incidat, ingenioque à Deo illuſtrato porro progrediatur. Notanda vox *Alchymiæ* eſt, quam Lullius hîc vſurpat de opere Lapidis, vt appellant, ſpecialius nimirum, Synecdoche ſpeciei excellentioris, quomodo & definitio Rogeriana, & plærique è vulgo. Ioannes Auguſtinus Pantheus Venetus, cum videret abuſu impoſtorum inuiſam factam paſſim Alchymiæ notam atque etiam in Republica Veneta interdictum eſſe exercitium Alchymicum figmento nouorum vocabulorũ tum inuidiã declinauit, tum ab arte DIVINA honeſtaque abſterſit infamiam, relegato conuitio ad eam partem, quæ maximè impoſtoribus & Sophiſtis patet, decipitque ſpecie verorum incautos. Diſtinguit .n. inter Voarchadumiam, Alchymiam, Archimiam & Sophiam. Alchymiam dicit ab Alchymo, quaſi ex Hebraica interpretatione fermentum vani conſilii diceres, appellatam verſari circa colorationes tincturasque Sophiſticas, de quibus & Albertus retulit, quid licet ſuſtineant aliquot ignes, tandem tamen redarguatur, euincanturque falſi, vt hæ quæ antimonio, chalcantho, cinabari & ſimilibus conſtant, quan-

Vox Alchymia.

Notet hoc Michelius de ſua ſpuria Alchymia.

quanquam nonnulli plus nimio tribuentes Paracelſo, quem admirantur, pertinaciter eas defendant. Sed PANTHEVS è medio ſublatam, alieno tamen potius vitio, quam ſuo cupit. Poſtea Archimiam producit, quam vnitatis & vnius veri conſilii principem interpretatur, qua fiat Elyxir, cuius proiectu ſuper quoduis metallum, hoc mox in argentum purum, aurumve mutetur. Hanc putat eſſe artem Tubalchaini, Hermetis Geberi, Raymundi, & cæterorum huius generis artificum. Indicat eam quidem ſcibilem per ſe eſſe, at non facilem propter ænigmata doctorum, laudatque aſſeclas, quod abiectis Sophiſmatis ad veritatem, potius aſpirent, & ſi non perueniant, quo contendunt, tamen inueniant alia vſibus humanis commoda, vt aurichalcum, purpurinam & huiuſmodi multa, ex quibus eſt, & tinctura auri, qua ex auro extracta tantum argenti præparati tranſmutant, quantum fuit auri corpus, idque abſque lucro quidem, ſed non ſine ingenii laude & oblectamento liberali.

Archimia. Hęc eſt aliorum Alchymia.

Auri tinctura ad argentum.

Tertio loco ponit Voarchadumiam, quam appellat artem duarum cæmentationum auri perfectarum, qua efficiatur, vt maior auri portio ex cæmentatione extrahatur; idque magis depuretur, & perficiatur minoribus impenſis. Tandem Sophiam nominat auri argentique verã multiplicationem, quanquam Paracelſus

Voarchadumia.

Sophia.

in libro de longa vita vocabulum ad ſua portenta tranſtulerit. De iſtis autem quatuor nominibus ſi, quid ſentiam, dicendum eſt, iudico ex collatione præceptorum & ſcopo, Voarchadumiam ab Archimia nihil diſtare, quod vna mecum confitebitur, qui non paucula illa de vocabulo, ſed præcepta & promiſſionem ex illis in libro Panthei attenderit. Licet cogitare, putaſſe Pantheum veterum rationem à ſua diſtare, atque ideo diuerſa artificia commentum eſſe, quod ſibi ſumſit etiam Paracelſus, ob hoc iſtis artificibus valdè iniquus, quanquam hæc quoque occultandi ſpecies eſt, videri velle, aliud tradere, cum doceas idem, ne tibi eueniat, quod vetuſtis, ſeu ne abſterreantur difficultate rei præcognitæ diſcipuli. Sophia pars artificii veteris vltima eſt, & multiplicationem lapidis in infinitum pollicetur. Poteſt & Alchymia iſta aliquo honeſto loco poni, ſi ſegregatis impoſturis ſuus ei finis reſtituatur. Non vituperanda ars eſt, ſi quis malitioſus ea abutatur. Si illa pocula in Darii Theſauris, & templi Solymitani ſupellectile non fuerunt ex auro factitio probæ notæ; tincturis debentur æreis; & ſuum locum ſuo vſu ſatis defendunt.

Abuſus non tollunt ſubſtantiam.

Nos quomodo titulo Alchymiæ vtamur, alibi ſatis docuimus. Nolumus odio vocabuli apud plebem quicquam diſciplina veterum indignum committere, quandoquidem

iſtius

iſtius beluæ imperitæ iudicium in Philoſophia vilius eſt caſſa vitioſave nuce.

Sine ſecreto hoc nullus poteſt ingredi mineras Philoſophorum, neque quicquam proficui facere.] Secretum appellat artis Chymicæ doctrinam abſq; cuius cognitæ & manifeſtatæ ope & adminiculo ante dictum eſt, non poſſe intelligi artificum, quos Philoſophos vocat, quia hæc profeſſio non cadit in hominem à Philoſophia alienum, ſcripta, nec tractari ipſorum mineras. Ea autem doctrina aliâs in ſecretis habetur. Itaque etiam cum apertè docetur, ſecretum vocatur vna cum ſuo ſubiecto ab aliis abſtruſo. Eraſtus illudit Chymicis nomine tituloque Philoſophiæ, quaſi eum, cum ſint Carbonarii & ciniflones, omniaque potius, quam Philoſophi, ſibi arrogantia quadam rapuerint: ſed temerè & imperite. Non quidem ſola Chymia facit Philoſophum; hanc tamen qui callet, is indicat, ſe non paruam partem Philoſophiæ aſſecutum eſſe. Eſt enim Chymica profeſſio pars Philoſophiæ naturalis, eaque longè ſolertiſſima, ad quam etiam ne admittendus quidem eſt, qui ſe non antè ſtudio Philoſophico conſecrauerit, cum oporteat eum non καθ' ὅλȣ tantum eruditum in acroaterio Ariſtotelis eſſe, ſed & καθ' ἕκαςα mineralium plantarum & animalium naturam, tractationemq; cognouiſſe; non ignarum interim τῶν θείων πραγμάτων. Ingredi mineras Philoſophorum eſt

intelligere doctrinam eorum, materiamque & modum perficiendi nosse. Respndet enim artis minera mineræ naturali.

Altißimo placuit hoc secretum nobis reuelare.] Diuinitus sibi reuelatum seu diuinâ voluntate cognitum arcanum dicit. Perfecti enim boni dator Deus est. Itaque aliqui à Diabolo exigentes artificii notitiam turpiter sunt decepti. Dat autem Deus regulariter & ordinariè artes, præmissis precibus & succedente labore, per naturam, disciplinam, & vsum. Extraordinarie etiam singulari reuelatione communicare eas potest, sed rara huius sunt exempla. Disciplinam autem intelligo, tum, qua quis apud artificem peritum potitur; tum, quam ingenii acumine & rerum vsu longo adipiscitur, vt sit quasi suiipsius informator. Motus impulsusq; & successus à Deo est, quanquam nobis non aduertentibus. Hinc argumentum est aduersus hoc, qui negant Deum voluisse artem apertam. Si intelligunt, non velle Deũ, vt quilibet eam sciat, risu sunt excipiendi. Sin contendunt, ne doctos quidem Philosophos admittendos esse, & apud hos in horum acroateriis de ea agendum ex more & consuetudine disciplinæ, pluribus confutantur argumentis. Iidem sæpè nobis occinunt secula Diocletiana, vt asserant artis certitudinem. Si tunc Hermetico modo aurum argentumque factum est, vbi erat istud consilium Dei, quod prætendunt, illa ætate? Ego fatuos appellare

pellare non erubeſco, ſi qui occcultandam artem dicunt, & tamen inter ſuos tripodas ne γρῦ quidem aut hilum proficiunt. Multitudinem auri, aiuut, tunc fore ſummorum malorum occaſionem. Enimuero, ſi quilibet ex plebe artem pro libitu tractet, & permittatur facere, quod ſuaſerit malitia. Interim non video, quid Xerxi, Pythio, Crœſo, Salomon. nocuiſſet aurum copioſum, ſi animus aliâs fuiſſet bonus. Ipſa vilitas tunc conſilia retunderet cum non haberet auaritia, quo amplius aſcenderet. Nemo ideo facit male quod lapides paſſim abundent, nec Indi occidentales in auri copia peius, quam nunc habebant. Finge aurum in lapidum venire locum. Num in auro tumulati inquietius iacebunt? At pecunia abundante, ceſſabunt commercia, & ſocietates munerum. Subſtituatur pecuniæ aureæ & argenteæ ferreum numiſma, aut aliud. Non qui auro abundat, etiam cæteris, ſi vilitas iſtius metalli par eſt vbique. Neceſſitas victus coget alia inire conſilia.

Nulli dari debetis, cum ſit Dei donum, qui dabit cui volet.] Arrogantiæ occurritur. Non ita tradere debes, quaſi tuum ſit inuentum, nec aliunde acceptũ, omnia bona à Deo accepiſti. Quid gloriaris, aut ſuperbis? Sed nec, cum ſcis tibi permiſſam à Deo eſſe communicationem legitimam, quoslibet abſq; diſcrimine admittere debes, & magnatib. offerre artẽ. Ignoras

enim fortè, num Deus ea dignos reddiderit. Itaque accuratè diſpicies notas diuini ingenii & ſeliges aptos diſcipulos, qui & naturam afferant & animum ad artificium rectum. Nihil inuita Minerua ſuſcipiendum. Videntur autem verba Lullii ſatis dura primo aſpectu, quaſi nullus debeat admitti diſcipulus. Sed ita ſibi ipſi aduerſaretur, cum artem velit apertè docere. Damnet & venditores artis.

Qui habebit donum hoc Dei, ſempiternum habebit theſaurum.] Certè Dei donum incorruptibile, verbum nimirum ſalutis, verus eſt ille in agro abſconditus theſaurus, propter quem acquirendum cæteris omnibus venditis emendus ager eſt. Sed Lullius hìc ſpeciatim indicat id, quod alii artifices quaſi fontem inexhauſtum appellant. Qui enim ſemel lapidem confecit, is non eget repetita ab initio opera, ſed augmento & multiplicatione anteuertit defectum, ſi quidem vera ſcribunt & prædicant abſque hyperbolica commendatione. Valde enim ſuſpecta eſt illa multiplicationis cantilena. Theſaurus autem duplici ratione intelligitur, ad ſanitatem ſcilicet, & adminicula vitæ externa. Ait Lullius in libro de quinta Eſſ. beneficio huius vitam produci poſſe ad terminum à Deo præſtitutum: Et noſtro tempore eum Paracelſitæ definiunt trecentis, ducentis, centum quinquaginta, &c. annis. Intelligendum eſt generalem terminum humano generi præfinitum eſſe, quem

Roſ. Arn. lib. 2. c. 26. hic eſt theſaurus theſaurorum.

De longæuitate per lapidem.

Pſalmus

Pſalmus Moyſis ad ſeptuageſimum aut octogeſimum annũ communiter aſtringit. Hunc non aſſequuntur multi ob vitam deprauatam & pericula, ſiue ea ex officio, ſiue temerè ſuſcipiantur. Nonnulli peculiari decreto Dei, vt pœnarum euidentia & conſortio ſocietas atrocitasque delictorum manifeſtetur, aut vt ſubtrahantur calamitatibus &c. Citius abſoluuntur à curriculo huius vitæ. Si quid tribuendũ eſt illi remedio quod Chymici in ore habent, quodque vitam extendere vſque ad fatale decretum volunt, id intelligendum eſt, quod ex Pſalmo adduximus, vt ita Dominus ſit longitudo dierum noſtrorum datis adminiculis efficacibus. Aliâs, quicunque moritur, fato moritur. Nullius enim interitum non præuidit Deus, & licet non approbauerit omnem, tamen permiſit ob certas cauſſas. Vaniſsimi omnium ſunt, qui patribus longæuitatem ex lapide Chymico accenſent, atque interim omnibus morbis καθ' ὅλε tanquam ſummum remedium opponunt. Qui in ſacra hiſtoria legit Iſaaci oculos ita hebetatos, vt nequiuerint diſtinguere inter filios duos: Qui Miriam non lapide à lepra, ſed diuina virtute & ordinaria ſegregatione liberatã & cætera aliis remediis ſanata cognoſcit, portentoſum iſtud mendacium protinus valere iubet.

Ita de' Iacobo Gen. 48.

Num. 13.

SECVNDA PARS PROOEMII Lulliani in clauicula.

COgnoſcite igitur per perfecta imperfecta emendare. Sol eſt pater omnium metallorum, & Lunæ mater, quamuis claritatem recipiat à ſole. Ex iſtis duobus totum pendet magiſterium. Sed quia metalla tranſmutari non poſſunt, teſte Auicenna, in mineralibus, niſi reducantur in primam materiam; quod verum eſt: quod niſi reduceres in argentum viuum non vulgare, hoc eſt, non volatile, ſed fixum: Vulgare vero eſt volatile, & plenum frigiditate phlegmatica, & propterea indiget reduci per argentum viuum fixum, magis calidum & ſiccum in contrariis qualitatibus ac argentū viuum vulgare. Quare vobis conſulo, ô amici mei, quod non operemini niſi circa ſolem & lunam, reducendo eos in primam materiam, ſulphur & argentum viuum noſtrum. Iccirco filii, habeatis vti hac materia venerabili, & vobis iuro, & promitto, quod niſi ſumpſeritis argentum viuum iſtorum duorum, vos tenditis ad practicam tanquam cæci ſine oculis ac ſenſu. Quare, filii, rogo, ambuletis in luce oculis apertis, & non tanquam cæci cadatis in foueam perditionis.

Ros: mai: Suadet, ne opereris, niſi cum ☿ & ☉ ad ☉ & cum ☿ & ☽ ad ☽. Nam in his tantū conſiſtit artis beneficiū. Qui vis operari, in ſolutione & ſublimatione duorum luminariū primum labores, vt ex eis fiat mercurius.

SCHOLIVM.

DE materia artis hic agitur remotione & propinquiore, ad conſequendum eius finem, qui eſt metalla imperfecta mutare per perfecta. Quicunque contendit, inquit, artem tranſmutatoriam, qua metalla imperfecta perficiuntur transformanturque in aurū & argentum abſoluere finemque eius conſequi

qui, cum oportet solem & lunam apprehendere. Hæ enim caussæ procreatrices, & immutatrices imperfectorum, imò omnium metallorum effectrices, Sol quidem vt pater, Luna vero vt mater, quanquam non suo lumine, sed commodatitio solis splendeat. Ab his duobus totum pendet magisterium. Hæc est materia artis remotior, indigetque apparatu quodam, vt accipiat potentiam & aptitudinem propinquiorem. Itaque tàm aurum, quam argentum reducendum est ad primam materiam, quæ, vt arti est vicinior, ita naturæ remotior, vocaturque sulphur & argentum viuum, non quidem vulgare, quia hoc solum non facit ad artem, cum sit volaticum seu in igni inconstans fugaxque; præterea etiam frigiditate aquosa, phlegmatis instar, confertum, & , vt commodet, reducendũ est per argentum viuum artis: Sed nostro, hoc est, argento viuo & mercurio philosophorũ opus est, qui fit ex dictis corporibus perfectis, id, quod non tantum Auicenna in tractatu de mineralibus asseruit, sed & verè scripsit. Debet n. argentũ viuũ nostrum seu Philosophorum habere naturam auri & argenti, hoc est, fixum esse, & in igni permanere; caliditate quoque & siccitate sua argentum viuum vulgare vincere, & eius humiditatem frigidam abolere, vt transeat ad perfectã naturã. Hæc n. quærunt artifices nempe transmutationẽ hydrargyri & imperfectorũ in aurũ & argentũ.

Ros: Phil. Tres partes habet Philosophia, scilicet ☉ ☽. Merc.

Ex his coniunctis pater Hermes sciuit conficere tincturã. Morienes: Fumus albus, Leo viridis (æs Hermetis) & aqua fœtida sufficiunt.

Aristot. Quando habueris aquam seu Merc. ex sole, & Spiritũ mercurii, & mercurium ex terra lunæ, plenè habes artẽ.

Cer-

Certum autem est, nullum metallum esse ita perfectum, fixum calidumque & siccũ, ac aurum & argentum. Ex his itaque eliciendus Mercurius artis est. Quis tàm demens sit, vt stabile quid & perfectum metallum ausit sperare ex Mercurio principioque volatili? Non aliter talis faceret, ac si vellet iter conficere salebrosum absque oculis corporis & mentis, aut in tenebris spissis viarum inæqualitates & pericula euincere. Iuramento discipulis, qui initiati sunt orgiis Chymicis, confirmo, in nulla alia re elaborandum esse, nisi velint in præsentem incurrere perniciem, & instar cæci viatoris in foueas præcipitari. Sciendum tamen est, quia generatio est ex contrariis, vt & mistio, quod hydrargyrus vulgaris non omninò sit omittendus, sed terminandus reducendusque per principium actiuum calidum & siccum, hoc est Sulphur & Mercurium Philosophorum. Tria itaque sunt omninò, quæ constituunt materiam artis, aurum, argentum & Mercurius; Seu Mercurius auri, Mercurius argenti, & vulgaris (hunc enim non excludo, vt in libro Mercuriorum & clauicula porrò dicitur.) Hæc reducuntur ad duo, nempe ad sulphur & mercurium; vel mercurium duplicem, corporeum scilicet & crudum, vel fixum & volaticum: Et tandem omninò est vna aqua eiusdem naturæ vbiuis, inseparabilibus iam partibus propter homogeneam naturam; Vt sic in hac materia sint

Iuramentũ Lullii.

tria

tria illa, quæ etiam nominantur Spiritus, anima, corpus: Mas, fœmina, medium coniunctionis ſeu ſemen & aqua: Sint & duo; ſit tandem vnum. Sed & 4. Elementa cum qualitatibus in illo vno conſiderantur. Nam mercurius corporum calidus ſiccus eſt; Crudus Mercurius eſt frigidus humidus, quarum qualitatum dominia deſignant totidem elementa. Hæc eſt ſententia verborum Lullii cum quibuſdam conſectariis.

Cognoſcite per perfecta mutare imperfecta.] Summam artis proponit quaſi per definitionem. Chymia enim tranſmutatoria metallorum eſt diſciplina ſeu ſcientia tranſmutandi imperfecta metalla per perfecta in perfecta: Et hoc, quod promittitur definitione, ex diſciplina artis etiam eſt expectandum. Notum autem eſt perfecti & imperfecti vocē in hac doctrina deſignare metalla, id quod etiā conatus artificum abundè docet, vt contra Michelium oſtendi. Ne etiam tibi fingas aliud inſtrumentum, in quo ſit vis & efficacia aurifica & argentifica, nec cogites per aliena aut peregrina, quæ nullam habent auri argentique naturam, vt vitriolum, ſtibium, præcipitatum, Cinabarim &c. Poſſe artis finem contingi apertis verbis dicit, id fieri per perfecta, vt pote, in quibus eſt natura & ſemen auri; quod quanquam etiam in matrice mineræ aureæ ſit, tamen inde ab artifice hauriri inculpatè ſyncereque non poteſt. Itaque elici-

Chymia μετασχηματιστική.

eliciendum eſt ex auro argentoque indubitato & puro.

Concilianda hæc ſunt cum Roſario Arnoldi, qui ait lib. 1. cap. 7. Argentum viuum eſt pater omnium iſtorum luminariũ: Et tamen pater Medicinæ eſt Sol, mater Luna.

Sol eſt pater omnium metallorum, & luna mater, quamvis claritatem à ſole accipiat. Ex iſtis duobus totum pendet magiſterium.] Argumento firmo oſtendit demonſtratque, ex nullo alio expectandum eſſe artis ſcopum, quàm ex ſole & luna; per quæ vocabula, niſi metalla intelligas proximè, fatuus ſane ſis. Nihil enim metalla facere poteſt, niſi quod metallicam habet naturam, quæ aliâs quidem à Deo in matrice terræ ſuis principiis eſt conſtituta, ſed in arte ex nullo ſuppetit, niſi ex metallo eoque perfecto iuxta finem, quem ſpectamus. Solem vocat patrem metallorum, Lunam matrem, hoc eſt cauſſas procreantes, quanquam non ſine myſterio. Alias enim ſulphur pater dicitur, & mercurius mater. Oſtendit itaque naturam metallificam initio perfectam metallum inſtituere per ſulphur & mercurium perfectum: Sed poſtea cauſis degenerantibus aut impeditis manere nonnulla imperfecta, qui tamen nihilominus aliquam perficiendi potentiam obtinent.

Solaris & Lunaris virtutes metalla producunt.

Hoc, dum aſſequimur beneficio auri & argenti, quibus in cœlo reſpondent duo luminaria, in arte vero Chymica duo arcana ex iiſdem confecta; non iniuria ſol & luna dicuntur procreatrices omnium metallorum, cum & primus conatus virtutis ſeminalis horum ſit, & poſtea perfectionis artificioſæ ſcopus.

pus. Non abnuo mysticè etiam astrorum & cœli vim vnà comprehendi. Sed artifex certior est ex natura subiecti sui, quæ vbi nõ est, ibi parum valent sydera. Quod adiicit Lullius Lunam matrem claritatem suam accipere à Sole, id ex natura luminarium sumtum, & ad artem translatum est, indicatque, quod etiam argentum habeat vim ad perficienda metalla, sed non sine vi solari, seu aurea. Itaque hinc consectarium est, argento solo non proficere in maiore opere artificem, sed Electro, quod fit ex auro & argento simul. Sic cum ad generationem humanam nec pater solus, nec sola mater sufficiat; Et similiter fiat in arte; manifestum est requiri coniunctionem vtriusque vtrobique, secus ac alii disputant de solo auro, quanquam nec hi certo sensu sint reprobandi. Ita, si per solem sulphur perfectũ accipias, per lunam vero Mercurium, eadem sequetur coniunctio, & necessitas splendoris mutuatitii. Nam absque sulphure non splendet luna seu Mercurius, hoc est, virtutem integram & perfectam non habet. Hinc porro illa deducta sunt de mare & fœmina, de viro & muliere, semine masculino & fœmineo, agente & patiente, calido sicco, frigido humido, &c.

Metalla non possunt transmutari, nisi reducantur in primã materiã.] Satis indicat in sequentibus, potissimum illa perfecta in primã materiam redu-

reducenda esse, vt fiant Elyxir seu Medicina transmutans. Quidam contendunt etiam passiua seu imperfecta non posse verti, ni fiant mercurialia. Non quidem negandũ est, plumbum in mercurium redactum mutari pro vi Medicinæ; Sed tamen etiam hydrargyro iunctum, aut eliquatum, cætera etiam candefacta possunt transfigurari. Nam, quia Medicina sulphurea & mercurialis est, tùm vertit metalla in mercurialem naturam, tùm simul conuertit, quanquam non obseruando progressu ni peculiariter elaborata, vt disijciat soluatq; duntaxat corpora, non autem mutet. Argumenta porro istius necessitatis alibi sunt exposita, ibi demonstratur semen non esse arti, nisi ex perfectis, & hæc nihil noui gignere, si sunt perfecta: Iam enim motus finẽ habent, nec mouentur amplius. Itaq; reducenda sunt ad eum statum, ex quo possint amplius moueri, & tamen naturam suam prolificam retinere. Ita in perfectis duntaxat potentiâ semen est. Hoc non actuatur, nisi reductione; Imò, non potest esse semen, ni ita sit constitutum, vt erat, cum aurum gigneret. Sed tamen cum inclinatione sui sola, duntaxat contendat ad aurum simpliciter; artis opus est, vim eius exaltare, vt se extendat ad voti complementum, & parua quantitate multam materiam mercurialem informet, absoluatque.

Ros: mai: Intentio nostræ operationis nihil est aliud, quàm vt eliciatur & eligatur purissima substantia mercurialis in istis corporibus. Elyxir n. consistit in istis tantùm. Vnum extremum lapidis est ☿. alterũ Elyxir completum.

Quod nisi reduceres, &c.] Argumentum paulo obscurius est, nec explicatum. Sententia

tia autem manifeſtius patet capite Clauiculæ primo, vbi dicit, quod non poſſit miſceri corpus cum hydrargyro, niſi reductum in naturam hydrargyricam. Hypotheſis ergo eſt ex fine artis. Nam, ſi hydrargyrus perficiendus eſt Elyxire ad metallicam naturam & corpus abſolutum; Elyxir ei debet eſſe homogeneum, & ex radice eadem factum. Itaque concurrere ad compoſitionem eius neceſſe eſt argentum viuum. Sed, cum hoc crudum & ſterile, humidum, frigidum phlegmaticumque ſit, & in ſe nullum habeat motum ad metallum; nec tamen virtus metallica perfecta aliunde peti poſſit, quàm ex metallo perfecto: hoc autem nequeat miſceri per minima, niſi factum mercuriale: Igitur metalla perfecta in mercurium ſunt redigenda.

In argentum viuum non vulgare, hoc eſt, non volatile, ſed fixum, magis calidum & ſiccum, &c.] Conditiones hæ ſunt Mercurii corporalis. Non debet eſſe indigeſtus, non volaticus, non frigidus humidus; ſed digeſtus, fixus, calidus, ſiccus; pro natura ſcilicet corporis perfecti. Nam ſemen actiuum, perfectiuum mutatiuumque tale eſſe debet, & tale, quod per id efficitur metallum, nimirum perfectum. Hæc eſt aqua, permanens Philoſophorum. Verum huic ſententiæ Lullianæ obijci poteſt illud Hermeticum quod & cæteris artificibus ſubinde in ore eſt, faciendum nimirum eſſe fixum volatile, & contra. Itaque Mercurius corpo-

Vide cap. 8. Clauiculæ, vbi Elyxir vocatur ☿ philoſ.

rum non fixus erit, ſed volaticus. Deinde negant aliqui mercurio corporum in arte profici, quod neutiquam poſſit ad aliud moueri, quàm ad quod per naturam antè aſpirauit. Quorſum ergo Lullius nobis obtrudit Mercurium corporum? Imo, ſi is fixus eſt, fruſtrà in arte quæritur fixio. Si calidus ſiccus eſt digeſtusque, tantum maſculinus eſt, & invtilis ad generandum, cum ſit absque patiente, & materia. Qui fieri etiam poterit vnio diſparium fixi ſcilicet & non fixi? An non ideo corpora ſunt in Mercurium, qui eſt ſpiritus volaticus, mutanda, vt Mercurio tali commiſceantur? Sed hæc facilè diluuntur reſpectibus diuerſis. Fixus eſt reſpectu crudi, quem ſecum ſimul figit; Eſt & fixus potentiâ, volaticus actu. Calidus ſiccus eſt, quia actiuus; Et ſolus non facit ad artem. Vt materiam paſſiuam accipiat, ſolaris iungitur lunari. Veruntamen & hic ſiccior calidiorque iuſto eſt. Adiecto itaque Mercurio crudo fit materialior, vt ita hæc duo ſibi mutuas præſtent operas. Nam argenteus Mercurius largitur crudo principium fixionis & diſpoſitionem metallicam: Crudus illum viciſſim materiæ ſimiliorem reddit donatque humiditate paſſiua, & frigiditate, qua queat reniti igni ſolari, & ſic concordi diſcordia motus excitari & prouehi. Idem affert vtrique corporali etiam fugacitatem ſeu volatilitatem hermeticam, facitque, vt vterque ad finem artis poſſit ſuſtinere

re ignis actum, cum aliâs citius exiccaretur inducta humiditas, quã res postularet. Qui itaque nouit artem reducendi corpora, & contemperationis legem, potestq; postea mouere materiam ad finem arti præscriptũ, is lapidẽ absoluere scit, sique vtendi modum intelligit, etiam frugiferè operari. Non me fugit multa sophistica solere corrumpi apertam doctrinam de aqua permanente sed, qui rei naturã perspectam habet actus potentias, temporaq; & constitutiones benè discernit. Nõ est permanens illa aqua absq; suo corpore. Itaque initio est volatilis, vt ait Hermes.

Sulphur & argentum viuũ.] Duo hæc nominantur, sed nõ occurrunt oculis corporeis imperitorũ. In initio quidẽ duo videntur corpus & aqua; in corpore sulphur latet. Sed postea cũ corpus in aquã reducitur, omnia fiunt aqua & nihil, nisi vnũ conspicitur. In vno hoc itidẽ sulphur est absconditũ, vocaturq; inuisibile, quod aliqui voce vitrioli enunciant vocantes spiritum vitrioli, & nihil aliud est, quã spiritus tingens, qui postea forma pulueris, abolitâ aqueâ consistentia, apparet. Itaq; infra Lullius etiã nominabit calcẽ viuã, mineram sulphureã, cuius motu in opere magno gignitur filiꝰ sulphur plenũ saguine temperato, &c. Itẽ cap. 12. Lapis efficiatur minera & cõtinuetur ignis vsq; in puluerem reducatur album, quem vocamus sulphur & argentum viuum Philosophorum. Ne ergo solicitus sis de sulphure & mercurio seorsim componendis, iam pridem

Vide Rupescissam & infra expositionem cap. 7.

ea composuit natura, & suo tempore vnumquodque emergit & conspicitur, iam dominante mercurio, iam sulphure, pro vt humiditas, vel siccitas præualet. Sed & tu ipse composuisti inscius, dum corpora resoluta iunxisti aquæ. In illis n. est Spiritus tingens.

CAP. I.

DE DIFFERENTIA ARGENTI VIVI *vulgaris & argenti viui physici Cap. 1. Clauiculæ Lullianæ.*

Nos dicimus, quod argentum viuum vulgare non potest esse argentum viuum Philosophorum, quocunq; artificio præparetur: quia vulgare non potest in igni detineri, nisi per aliud argentum viuum corporeum, quod sit calidum siccum, & magis digestũ: Propterea dico nostrum Physicũ magis fixæ esse calidiorisq; naturæ vulgari. Et ideo, quia argentum viuum nostrum corporale est conuersum in argentum viuum currens non tingens digitos, & quando commixtũ vulgari iungitur, amplexantur se vinculo amoris absq; eo, quod nunquam separentur ab invicem, veluti aqua mixta cum aqua, quia ita est naturæ placitum. Argentum vero viuum nostrum ingreditur, & commiscetur actualiter alteri vulgari desiccando suam humiditatem phlegmaticam & tollendo frigiditatem ex corpore denigrans tanquam carbonem, quod postea in puluerem conuertit. Nota igitur, quod argentum viuum non potest eas operationes præstare, quales nostrum Physicum, quod in

in omnibus suis qualitatibus habet calorem naturæ veri temperamenti, & propterea vulgare vertit in suam naturam temperatam. Quin etiam aliquid aliud facit. Nam post suam transmutationem conuertit in purum metallum, hoc est, solem, aut lunam, prout est extensum, aut de sole & luna, vt ostenditur in secunda parte nostræ practicæ. Præterea aliquid maius habet. Mutat enim, & conuertit vulgarem Mercurium in Medicinam, quæ transmutare potest imperfecta metalla in perfecta. Præterea vulgarem in verum solem, & lunam meliorem, quam de minera. Nota rursum, quod vncia nostri physici centum marcas facere poßit, & vsq; in infinitum cum argento viuo vulgari, sine eo, quod minera vnquam deficiat.

SCHOLIVM.

TITVLVS primi capitis indicat consilium autoris. Duorum enim mercuriorũ propria adiuncta & effecta proponit, vt inde constet eorum discrimen, & in opere Philosophico necessitas. Colligere enim facile est, cum huiusmodi res ab omnibus Philosophis ad constituendam artis materiam requirantur, eodemque describantur modo, vtrumq; Mercurium coniunctum id ipsum esse, quod aliâs studiosissimè occultari solet, nempe lapidis Physici materiam. Negat initio argentum viuum vulgare, quod & crudum vocamus, esse id, quod sibi vendicant Philoso-

Materia lapidis physici.

phi,ſeu Mercurium Philoſophorum, etiam ſi quis eum quouis modo præparauerit. Ratio aperta eſt, quia nec proprietates nec effecta habet Mercurii PHILOSOPHICI. Eſt enim volaticus, frigidus humidus, indigeſtus, & nec ſe nec alia poteſt transformare, quin omni caret natura aurifica & argentifica. At Mercurius PHILOSOPHICVS debet non tantum fixus eſſe, verum etiam cum iunctus hydrargyro fuerit, id in igni detinere: Debet eſſe è corpore perfecto extractus, calidus, ſiccus, digeſtus, habere conditionem hydrargyri vulgaris, quod attinet ad conſiſtentiam & motum ita, vt tactu manus non inficiat nec madore nec nigritie: miſceatur vulgari inſeparabiliter ob naturæ conuenientiam, quomodo videmus aquam aquæ confundi, penetrante totam tota & vndiquaque ingrediente. Inſuper in vnione & amplexu vulgaris non eſt otioſus, ſed eius humiditatem phlegmaticam exorbet ſiccatque, frigiditatem tollit, inductaque nigritie ex corpore poſtea in puluerem eum conuertit: quæ omnia vulgaris præſtare non poteſt, cum ſit patiens ſub iectum, non agens virtus. Itaque etiam in coniunctione Mercurius PHILOSOPHORVM actiuus ipſe naturam rectè temperatam nactus, ſimilem ſui facit vulgarem, atque item temperatum reddit. Quod ſi Mer-

Vulgaris hydrargyrus.

Mercurius Philoſophicus.

Mercurius iſte Philoſophicus artis adminiculo elaboratus fuerit, quod quidem duplici ſcopo ad aurum aut argentum fieri poteſt, vtro modo fuerit præparatus, vulgarem tranſmutat in aurum vel argentum purum; neque vulgarem tantum Mercurium; ſed & metalla imperfecta; quin ex Mercurio crudo vulgari Medicinam efficit, quæ eodem modo tranſmutare imperfecta poteſt. Nec id parua quantitate. Tanta enim pollet virtute, vt initio ex vncia vna centum beſſes fiant, hincque iterum procedat augmentatio & multiplicatio nunquam deficiente minera vſq; in infinitum: Ex quibus omnibus iſta duo patent, nempe vulgarem Mercurium nec proprietates nec effecta Philoſophici habentem, non eſſe Philoſophicũ & tamen affinitatẽ cum eo ſortitũ tantam, vt in eius naturam tranſeat, muteturque ipſe & vnà mutet imperfecta. Vnde, qui non intelligit, licet vulgaris per ſe ſolusque non ſit Philoſophicus, partem tamen eius eſſe, & deinceps etiam ſubiectum tranſmutationis quoddam; is fatuum ſe eſſe agnoſcat. Dicentur autem hæc apertius in ſequentibus.

Argentum viuum vulgare.] Vulgare vocatur, quod ex minera vulgo nota, nempe cinabari natiua ſeu minio excoquitur. Quidam tamen etiam hoc artis ſtudio elaboratum PHILOSOPHICA ornant dignitate

& titulo. Non enim planè alienum eſt ab arte, cum ſit medium coniunctionis & pars fœminei ſeminis, fiatque tandem ſubiectum tranſmutationis. Notandum eſt ei ſimiles eſſe Mercurios corporum, qui tamen nec ipſi ſunt Philoſophici, præſertim ex imperfectis extracti, niſi petantur tranſmutationis nomine, vt ex eis fiat aurum argentumue. Sic, quos elicimus ex fauilla illa nigra, quam aquilam nigram, maculoſam, aut anatrolicam vocant, cum qua & ſulphur eſt, & liquor corporum ſolutorius: Et quos ex cadmia argentoſa; aut quos confluentes in mineris deſtillantesue reperimus, quique nihil ſunt aliud, quam metallum nondum coagulatum, itidem non ſunt Philoſophici. Omninò vnus eſt tantum Philoſophicus & phyſicus, quem componunt ex Mercurio auri & argenti adiecto mercurio communi, ita, vt in ſe habeat omnia ad artem ſpectantia, nec vllo indigeat externo, excepto regimine ad operis complementum.

Vulgare non poteſt in igne detineri, niſi per aliud argentum viuum corporeum.] Modus veræ fixionis argenti viui vulgaris his & ſequentibus verbis dilucidè exponitur. Multæ ſunt paſſim fixiones, & ego in Alchymia aliquas explicaui; ſed plæræque analogicæ & ex comparatione ſunt petitæ. VERA fixio hydrar-

hydrargyri fit per admistionem Mercurii solaris aut lunaris, ita vt vndiquaque vniantur per totos, nec vlla pars sit, quæ non retineatur à suo compare. Et tunc quidem, cum sunt in forma liquida, neuter est fixus. Nam corpus in mercurium resolutum volatile est. Attamen, quia mercurius corporis dynamin fixionis habet, cum arte perducitur ad actum, vnà secum figit mercurium crudum: & hoc tam in lapidis apparatu fit, quã postea in vsu lapidis, cum super mercurium proiicitur, ita vt transeat vel in Medicinam fixam vel corpus. Hinc euenit, vt aqua permanens, cum liquidam formam habet, non actu, sed potentia sit permanens; actu vero formam pulueris, aut metalli habet.

Multæ sunt fixiones respectiuæ, sed vna est vera post fermentationem, de qua infra c. 9, 10, 11.

Argentum viuum nostrum corporale est conuersum in argentum viuum currens non tingens digitos.] Vult dicere, argentum viuum Philosophorum ex corpore per resolutionem factũ habere formam liquidam mobilemque, vt & hydrargyrus vulgi, ita, vt digitos non tingat, hoc est, inquinet, infuscetve nigritie, vt solet vulgare argentum viuum sordidum, aut ex plumbo factum. Non debet etiam madorem in digito relinquere. Itaque vocatur aqua non madefaciens manus. Potes dicere, quod argentum viuum corporale sit aurum & argentum. Hæc enim, vt alibi ostendimus, vocantur Mercurius fixus & coagulatus, possuntque conuerti in hydrargyrum currentem, vel a-

quam viſcoſam, amicabilem hydrargyro, hoc eſt, ſociabilem.

Aquæ aquæ.] quas nimirum oportet eſſe homogeneas ſeu eiusdem naturæ, vt potius iudicentur vnius integri membra diſtracta eſſe, quam res diuerſæ, perinde, ac ſi quis poculum vini eiusdem partiretur, mediumque in aliud vas transfuſum poſtea redderet priori. Hic in membra integrantia ſeu quantitatiua, vt vocant, poſſis quidem diuidere totum, ſed non ita ſeparare, vt queas dicere, hæc pars fuit ante transfuſa, illa remanſit. Miſcentur enim per minima. Quæ vero ſunt inæqualis naturæ, etſi item per minima confundantur, vt aqua & vinum, ſeparari tamen poſſunt.

Ita eſt naturæ placitum.] Argumentum negatæ ſegregationis petit à procreante cauſſa, quaſi dicat, talis eſt natura vtriuſque hydrargyri; ita à natura vterque eſt fabrefactus, vt coëant familiaritate totius ſubſtantiæ per minimas portiunculas inſeparabiliter. Hoc verum eſſe experieris, ſi mercurium plumbi duntaxat, commiſcueris cum hydrargyro vulgari. Viſus mihi ſum vnum aliquando modum notaſſe, quo ſeparari queant, nempe coagulationem per frigus. Corporeus enim Mercurius coit; crudus non. Ita poſſet quis exiſtimare corporeum etiam in igni redire ad priorem fixionem & corpulentiam, relicto crudo. Sed vtrobique Philoſophi dicunt non fuiſſe

fuiſſe tunc ſolutionem exactam; neque ego ſat liquido auſim dicere, fuerit ne iſta congelata particula ſolius corporis, an etiam hydrargyri crudi. Certè non planè liberem eam à crudi præſentia, & vnione.

Deſiccando humiditatem Phlegmaticam, & tollendo frigiditatem.] Has cauſſas apertas reddunt, cur Mercurius ab igni ſit indomitus. Frigiditate enim & humiditate cum eo inimicitias gerit, nec poteſt ſolui ob pertinacẽ miſtionem. Itaq; etiam aquis fortib. corroſus, nihil patitur aliud, quã diuiſionem partiũ integrantium immiſcẽte ſeſe ſale quodã minerali. Hũc ſi ablueris crebra aqua; redit prior liquor, ꝙ item fit per ignes, adiecto quodam medicamine à quo Sal retinetur. Quę ergo præcipitatio per ſales fit & alumina & chalcanthum, nõ eſt cõſtans. Solus corporũ Mercurius & Sulphur aut ex his facta Medicina vim eius ligandi habent. Nam in intima eius penetrant & frigiditate expulſa, humiditatẽ abſumunt, quo conformis igni redditus conſpirat cũ eo amicè, libenterq; eum patitur, imo nobilior inde euadit perinde, vt aurũ purum & fixũ. Notandum hîc eſt nõ quoduis à quolibet pati ſimiliter. Itaq; auro tantũ ignẽ tribuunt, vt longis paſſib. poſt ſe relinquat externã flammã, exuperetq; omnia corroſiua. Is eſt ignis eſſentialis, ſeu agens diſpoſitum ad taliter afficiendũ patiens, idque vi totius naturæ; & vocatur aliquando etiam Sulphur perfectum, quod nõ adurit mercu-

Præcipitatio vulgaris non eſt ſolutio, ſed interpoſitio, & quædam terminatio. Terminante ablato, redit vultus priſtinus.

Aurum eſt ignis.

mercurium, ſed tranſmutando interius, vnà qualitates mutat. Nec refugit Mercurius operationem. Eſt enim in ſuo interno calidus ſiccus, licet foris ſe exhibeat humidum frigidum, hoc eſt, vt Ariſtotelici loquuntur, potentia calidus ſiccuſque eſt, & ab auro ſpecie familiaritatis libenter ſe patitur immutari. Non autem ab auro corpulento, quod eſt mortuum, ſed auro Phyſico.

Ex corpore denigrans tanquam Carbonem, quod poſtea in puluerem conuertitur.] Cap.3. malagma fit ex tribus partibus Lunæ & quatuor argenti viui vulgaris, cui additur Mercurius Lunæ. Hæc ita coniuncta igni ſuo coqui iubentur, donec materia fuerit nigra ad modum carbonum, & tandem vertatur in pulueres cinere candidiores, qui vocantur calx viua Philoſophorum. Idem dicitur cap. 7. vbi materia eſt malagma ſolare ex auro & argento viuo vulgi, quibus infunditur Mercurius calcis viuæ, primoque igne conficitur nigredo & Ecclipſis Solis. Non aliter cap. 8. & 11. vbi ſecunda Ecclipſis, quæ appellatur ſignum veræ diſſolutionis. Intelligitur itaque caput corui dictum, quod fieri putant, dum humiditas agit in ſiccitatem, & corpus reſoluit putrefactione Phyſica igne primi gradus, ſeu ventris equini: certum autem eſt, illa nigrities ſignum, quod ſolutio inceperit, & opus bono auſpicio procedat. Itaq; ſperant poſtea ex nigredine albedinem in receſſu latitantem. Cæterum verba

Caput corui.

iſta

ista Lullii nihilominus obscura videntur. Si enim continuato sermone iungantur præcedentibus perinde sonant, ac si argentum viuum physicum corporis frigiditatem tolleret, idque denigraret, quo facto verteretur in puluerem. Sed apertum est, illam frigiditatem esse in mercurio vulgari. Hic, quia solus ad opus non accedit, sed cum aliquo corpore, nigrities ex corporis resolutione existit, & tandem puluis ex omnibus.

Caput corui estne ex corpore resoluto, an mercurio combusto? Pessime sentiunt, qui pro impuritate habent.

Nostrum Physicum in omnibus suis qualitatibus habet calorem naturæ veri temperamenti, & propterea vulgare vertit in suam naturã temperatam.] Locutiones artificum dissentire videntur in descriptione virtutis agentis in Mercurio Physico. Lullius sane naturam temperati verè caloris ei asscribit: Alii ignem Gehennæ. Nec opus istud temperati caloris esse quis putauerit. Cum enim admodum humidum & frigidum sit argentum viuum vulgi in suo manifesto, non opponendus ei temperatus calor est, sed contrario recessu validus. Veruntamẽ, cum ille Mercurius ex auro constet, quod nostri respectu temperatum esse volunt, cum verterit in sui naturam hydrargyrum vulgarem hic itidem euadet temperatus. Deinde cum æquales excessus coëunt, post pugnam solet temperatio inde euenire. Sed neq; hæc intelligenda est respectu hydrargyri. Quomodo enim aliâs lapidis pars vna hydrargyri mille transmutet in medicinam, quæ iterum

æquè

æquè ſit efficax? In ſe temperatus dicitur Mercurius Philoſophorum, ita, vt omnes eius partes ad quandam conformitatem virium ſint redactæ. Conſtat enim ex calido ſicco, & humido frigido, ſeu maſculina, & fœminea complexione, vnde, quod exoritur tertium in ſe eſt ad æqualitatem reductum, licet alteri externo ſit ſuperius, idque actione efficace in ſuam naturam mutet. Ita finge hominem tẽperatæ naturæ cibũ adhibitum digerere, & in ſubſtantiam ſuam conuertere, quam non neceſſe eſt à priore ſtatu amoueri & depelli, niſi cibus ille gradu qualitatũ admodũ exuperet. Nam copia vulgaris Mercurii etiam reſiſtit Philoſophico.

Conuertit in purum metallum.] Generatim dictum. Nam Merc. Phiſic. conuerſus in lapidẽ & exaltatus animatusq; ſuo fermento in purũ Solem vel Lunam cõuertit tum metalla imperfecta, tum hydrargyrum vulgi, & hunc inſuper etiam in Medicinam mutare poteſt.

Meliorem, quam de minera.] Alii dicunt aurũ & argentum per lapidem factum eſſe melius minerali, in primiſque Paracelſus promittit characterum 25, 27. aut etiam 28. aurum, cum extra comparationem nullum etiam optimũ excedat 24. Ego vero mirari ſoleo hæc promiſſa, cum non videam, quo pacto auri natura tanta hydrargyri vulgaris copia adiecta eo perduci poſſit, vt non tantum millies mille partes tranſmutet, ſed & primæuæ virtutis

præſtan-

præstantiam exuperet. Si hoc ita est, in reparatione lapidis & multiplicatione non erat ex natura aurum petendum. Efficacius enim debebat esse aurum artis. Vlstadio quoq; id non potuit persuaderi, quod attinet ad vires ingenitas. Geberus proposuit examina auri optimi. Hæc si inueniantur in auro artis, pronunciat legitimum. Sunt autem & excessus in vitiis. Si ergo aurum artis sit altius tinctum auro optimo natiuo, non erit bonum aurum. Ita, si fixum sit vltra auri metam, &c. Ego puto artificem contentum esse debere, si eo perducat rem, vt aurum suum æquiparet auro naturæ. Memini aliquando artem contemni, quod videretur duntaxat aurum Rhenanum præstare. Sed non est pauper, qui hoc quoque abundat, & bene vtitur. Notabis mineræ vocabulum hic significare aliter, quam mox sequetur, & suprà dictum est de minera Philosophorum, nempe loca & matrices metallicas in natura, vt in fodinis, montibus, arenis, &c. Repetitur hoc in fine capitis huius sigillatim de argento.

Vncia nostri Physici centum marcas facere potest & vsque in infinitum cum argento viuo vulgari sine eo quod minera vnquam deficiat.] Centum marcæ seu besses ferè assequuntur millecuplam quantitatem, de qua alii artifices scribunt, licet ipse Lullius in altera parte primi capitis infinitos soles ex vna vncia pulueris promittat. Intellige itaque, si habueris

vnciam

vnciam vnam mercurii Physici, te ope huius millies tantundem parare posse, idque primum in Medicina, deinde in auro, vel argento per transmutationem mercurii vulgaris. Hic enim subiectum est, in hac comparatione duorum mercuriorum. Adiicit, mineram nõ deficere, sed barbarè, quasi dicat, vt taceam, ipsam mineram nunquam deficere. Mineram vocat lapidem absolutum, vt infrà cap. 12. vbi præcipit *subtiliandum lapidem natura & arte, reducendum in argentum viuum, adiiciendum huic corpus eiusdem naturæ, coquendum, donec præparata sit verè minera, quæ postea multiplicetur pro arbitratu, repetendo idem opus vt lapis efficiatur minera, ex qua porro fiat Sulphur & Mercurius Philosophorum & cætera, donec poßit proiici pars vna super mille mercurij vulgaris.* Porrò aiunt illam mineram inexhaustas habere vires, adeo, vt quò sæpius ad carceres reuocetur iterumque elaboretur, eò euadat validior & plures tingat partes. Itaque nec virtute nec quantitate deficere potest, si vera de ea scribuntur. Illa enim sufficitur semper repetita exaltatione, quanquam subministrato etiam nouo corpore & fermento ex natura. Hæc augmento & multiplicatione incrementum capit vsque in infinitum. Sed tamen nullibi leguntur artifices opere hanc summam expleuisse, & certè defecit Paracelsus, si lapidem, vt aiunt, possedit.

ALTERA

ALTERA PARS PRIMI capitis.

PRÆTEREA aliud volo vos ſcire, quod Mercurius vulgi non rectè miſcetur, neque perfectè cum corporibus. Nam ſpiritus non poteſt miſceri cum corporibus perfectè, niſi reducta fuerint in ſpeciem naturæ. Iccirco, cum voles miſcere Solem aut Lunam Mercurio vulgi, illa corpora ſunt reducenda in ſpeciem naturæ, quod vocatur argentum viuum vulgare, & iunguntur per vinculum amoris naturalis, & tunc maſculus iungitur fœmellæ: quia argentum viuum Philoſophicum eſt calidum & ſiccum actu: argentum viuum vulgare eſt frigidum & humidum paßiuè. Sicut fœmella, quæ continentur in ſuis domiciliis cum calore temperato vſque ad Ecclipſim, ſuntque nigra facta, vt carbones, quod eſt ſecretum noſtræ veræ diſſolutionis, & ex hoc verè connectuntur inter ſe, ita, vt nunquam ſeparentur ab inuicem, fiuntque puluis albißimus, qui ſunt maſculi & fœminæ generati vero amoris vinculo. Hi tamen liberi multiplicabunt ſuas ſpecies in infinitum. Nam de vnica huius pulueris tu facies ſoles infinitos, & reduces in Lunam meliorem omni metallo de minera.

Mas.
Fœmina.

SCHOLIVM.

COMPENDIO tanquam Synopſi opus proponit totum. Audiuiſti materiam lapidis Philoſophici ex tribus eſſe, corpore, anima & ſpiritu, ſeu argento, auro, & hydrargyro, ex quibus debeat vnum fieri per omnia

homogeneum indiuulſis amplius partibus & inſeparabilibus. Facile itaque intelligitur componenda eſſe. Sed cum varii ſint vnionum modi, qui nam arti ſit conducibilis, quæritur. Repudiat Lullius malagmata vulgaria, quib. corpora plane nihil mutata iunguntur hydrargyro vulgari, quã cõpoſitionem negat eſſe artificioſam & perfectã, adducto argumẽto, quia ſpiritus non iungitur corpori abſolutè niſi corpus item factũ fuerit ſpirituale. Neceſſarium itaq; eſt, vt ante vnioné corpora reſoluantur in naturam ſpiritualem talem, qualis eſt mercurius vulgaris, licet aliis attributis differens. Tunc familiaritate naturæ coëunt, vt ſuprà dixit, ſicut aquæ duæ homogeneæ. Vocarunt autem hanc compoſitionem Philoſopi matrimonium, quod perinde ſe habeat, ac ſi coniugii vinculo connectantur mas & fœmina ad generandã ſobolem. Mas eſt corporis perfecti Mercurius ob maſculam cõſtitutionem & actualem caliditatem ſiccitatemque: Et appellatur hìc etiam Philoſophicus myſtico ſenſu. Nam, vt infrà audiemus, non ſemper fit ſtatim ex auro argentove, ſed interdum, cum ſcil. propius lapis paratur, ex calce Philoſophica. Fœmina eſt argentum viuum vulgare, ſed non ſimpliciter. Liquet enim hydrargyrum eſſe naturæ ancipitis, & maſculum, ſi iungatur mari; fœmineum, ſi fœmina. Itaque tacite innuit Lullius, fœminam eſſe malagma ex argento & hydrargyro vulgari

puro

puro factum : quanquam propè aut remotè pro diuersitate operum. Nam etiam ex calce lunari fit aliquando lunaris Mercurius. Sed hæc infrà declarabuntur praxi capite tertio & septimo, in quorum ille hydrargyrus fit fœmineus cum LVNA; in hac masculinus cum SOLE, &c.

Porrò, sicut iuncti coniuges in thalamum ducuntur ad opus procreationis per nexum amoris; ita & duo hydrargyri includuntur suis vasis, in quibus adhibito foris calore temperato mas agit in fœminam, & vicissim patitur resolutionem & interitum, vnde tandem sequitur Ecclipsis Solis in coniunctione diametrali cum Luna, seu obscuratio splendoris, ita, vt nobis ea, quæ ante fuerant albi luminis plena, nunc appareant nigra, & tenebræ occupent abyssum innatante mercurio atro quodam puluere instar eius, qui ex carbonibus fit tritis. Est autem hoc signum veræ dissolutionis philosophicæ, vnde colligimus putrefactione Physica completâ fieri discessum elementorum, & aquam aquæ in posterum, remoto omni obstaculo Sulphureo aut Salso, ita commisceri, vt segregari planè nequeant. Nigredo hæc diu quidem durat in aqua; sed tandem tamen progressu operis cedit albedini succedenti. Nam quod prius factum erat volatile in mercuriali natura, id postea figitur

conuerti turque in puluerem albissimum. Hic tandem fructus est matrimonii. Nam eduntur diuersi sexus liberi, mares scilicet & fœmellæ, hoc est, lapides aurifici & argẽtifici per congressum illum naturarum se mutuo amplexantiũ & familiaritate totius substãtiæ sibi mutuo acquiescentium. Possunt autem illi lapides porro augeri & multiplicari in infinitum, ita, vt beneficio lapidis aurifici iterum fiat lapis talis; & sic de argentifico. Simile enim porro procreat simile: Et modò vnciam vnam nactus fueris, incrementum erit absque fine semper augendo partem, & partem insumendo in transmutatione, aut reductione pro vt opus maius vel minus institueris. Nam in minore reductio est, in maiore transmutatio, quanquam vtrobique revera sit vtraque, licet alia magis appareat in alio.

Spiritus non potest misceri cum corporibus.] Spiritus minerales sunt, Mercurius, Sulphur, arsenicum, Sal ammonius; Marchasitha, magnesia, thutia, vt ex Gebero patet, vbi de fixione agit, hoc est, quatuor quidem potissimum, in genere tamen quicquid halitus specie ex igni fugit. Hi possunt quidem misceri corporibus, & aliquid tincturæ eis afferre, sed instabiliter, propter diuersitatem naturarum. Itaque constantiæ caussa duo artificia sunt tentata, nempe fixio spirituum debita, vt tunc corporibus imperfectis vniti, tum menerent, tum illa simul figerent; Deinde corporum resolutio

Thomas de Sec. Alch. c. 7. Sulph. Sal am. Merc. & Arsẽn.

ſolutio in materiam ſpiritibus conformem, qua effectum eſt, vt penitiſſimè penetrando coniungerentur, & vna manerent, accedẽte tamen coagulatione, ad quam per ſe corporei ſpiritus ſunt propenſi. Non autem quilibet ſpiritus ad metallicam perfectionem apti ſunt inuenti. In mercurio fuit, quicquid quæſiuerunt ſapientes. Hic familiariſſimus metallis deprehenſus eſt. Ad eius naturam itaque redegerunt maximè perfecta. Hæc enim, quia conſtantiſſimam habent, præſtantiſſimam poſſunt afferre mercurio fixionem, quæ tandem vſu artis eò excellentiæ & actiuitatis perducta eſt, vt Medicina proiectione perficiens, figenſque ſecundum rationem eius metalli, vnde eſſet conflata, euaderet. Ex huiuſmodi principiis artem extructam eſſe veri ſimile eſt. Altera illa via plærunque infeliciter tentatur, & quanquam ad gradum aliquem perduci poſſit fixio, nulla tamen vera & abſoluta eſt, niſi, quæ fit perfectæ Medicinæ ope.

Corpora ſunt reducenda in ſpeciem naturæ, quod vocatur argentum viuum vulgare.] In primam materiam reductionem nominant, non intelligendo omnium primam, qualis eſt in principiis Phyſicorum Catholicis, ſed in genere metallico primam, quæ planè eſt ſimilis liquori minerali quem hydrargyrum vocamus, quin & tota natura ita affinis, vt non tantum ſolutiones penitiſſimè miſcean-

 tur,

tur, ſed & corpora ipſa perpurgata promtè ab hydrargyro abſorbeantur, vt videre eſt in auro, argento & plumbo duplici. Notabis autem non prohiberi ſimpliciter miſtionem corporum & ſpirituum, ſed eam tantum, in qua corpora ſuam naturam retinent. Diuerſi enim artiſices eandem vnionem etiam diuerſis interdum modis abſoluunt. Quidam vertunt corpora in mercurium per mercurium, & vnâ operâ ſolutionem & coniunctionem expediunt, non aliter, ac ſi aquæ immitteres glaciem, aut liquato plumbo portionem integram. Si enim tunc Mercurius eſt ita paratus, vt aquæ ſoluentis naturam ſimul ſit adeptus, & corpora ſimul per ſales mollefacta, vt facilè obediant ſoluenti, procedit artificium, & ego vidi etiam ſic nigredinem Philoſophicam enatam eſſe, quanquam tardè. Sin non rectè hydrargyrus eſt concinnatus, metallum quidem comminuitur & molleſcit mercuriali humiditate, ſed non ſoluitur philoſophicè, ſicut euenit in miſtura plumbi candidi cum hydrargyro atque item in perfectoribus. Nam nihilo inde conſtantior fit ſpiritus, nec corpora fugaciora. Sed ſeparantur facili arte, niſi vi ignium validè protruſus ſpiritus aliqua ramenta ſecum euehat, ſublimetque, quod tamen, ſi fit, non ſtatim cogit iudicare volaticum factum eſſe metallũ, cum non ſua natura, ſed impetu violento ſit eleuatum. In hanc ſententiam Richardus ſcripſit, quod

quod crudus Merc. diſſoluat corpora eaq; reducat in primam materiã, quod nequeat facere Mercurius corporũ. Eam autem ſolutionẽ ad particularia valere tradit. Lullius, vt & alii nonnulli artifices prius ſoluunt corpora, & mercuriũ præparatũ mercurio iungunt, quod fit exemplo eius, qui glaciem prius in aquam calore redigit, & poſtea hanc alii aquæ confundit. Sed nec alter modus improbandus eſt, ſi quis nouerit rectè præparare hydrargyrum. Hinc euenire credo, vt modo ſic præcipiant artifices: Fac mercurium per mercuriũ, quam putant eſſe ſententiam Bernhardi: modo ita: Fac mercurium non per mercurium ſed per aquam mercurialem via Philoſophica, cuius dicti ſententia non eſt vna.

Cum calore temperato vſq; ad Ecclipſin.] In ſolutione requiritur calor actualis, vt & in putrefactione. Non itaque præter rationem eſt, quod præcipit Lullius de calore tẽperato, qui nõ ſeparet materiæ partes ſed vnâ relinquat, vt agere in ſe mutuo poſſint diuerſi mercurii. Alii nullum externum calorem adhibent in ſolutione, ſed totum negocium commẽdant mercurio ſtygio, quẽ dicunt ingenito igni deſtruere metallũ & ad primam materiã reducere. Tyroni ſuaſerim potius cũ Lul. ſentire. Nõ enim quilibet ita poteſt hydrargyrũ præparare, aut etiã diiudicare, vt ſit ad artem per ſe ſufficiens. Videtur item res multi laboris eſſe, cũ nõ tantũ hydrargyrus, ſed & corpora exactè ſint

Vide cap. 3. vbi nominatur calor Solis in leone, cum fortior deſtrueret opus & ſeiungeret agens à patiente.

ad ſolutionem præparanda. Ecclipſim vocant cum materia in vitro nigreſcit & ſplendorem amittit, vt in magno mundo ſolet euenire, cum Luna ex diametro ad noſtrum aſpectum iungitur Soli. Sed & interius quid indicatur, nempe vera ſolutio corporis & putrefactio; vnde conſequenter neceſſe eſt etiam ſplendorem occultari. Negant enim penitus interire, cum redeat tandem in proiectione. Explicat etiam ſeipſum Lullius cap.7. cum inquit: *In primo gradu ignis materia nigreſcet, vt, Carbo, quod tunc dicitur Ecclipſis Solis & & Lunæ, & erit cõmixtio vera*, &c. De matrimonio ſciendum modò primam vnionem per id notari, modò interiorem illum congreſſum in Ecclipſi, modò fermentationem, de qua eſt apud Roſ. Arnoldi lib.2.cap.21. vbi matrimonium nihil aliud, dicitur eſſe, quam coniunctionem fermenti cum corpore, ſuper quo proiicere velimus. Sic in augmento fit matrimonium & multiplicatione. Par ambiguitas eſt in ſolutionis vocabulo. Nam aliquando ſignat corporum in Merc. redactionem per menſtruum minerale; aliquando corroſionem; interdum amalgama: nonnunquam putrefactionem Phyſicam, qua fit nigredo: aliâs Elyxiris in mercurio diffuſionem, qua ita aurum Philoſophorum diffluit in hydrargyro, vt cera in cera liquata.

Vide expoſitionem cap.7.

EXTRACTIO MERCVRII A corpore perfecto. Cap. 2.

RECIPE vnciam calcis lunæ appellatæ. Calcinetur modo, quo dicitur in fine nostri magisterii. Calx teratur super porfidum in puluerem subtilem, quem imbibe bis, ter, quaterue in die cum optimo oleo tartari facto eo modo, quo dicetur in fine nonostri operis, desicando ad solem quousq; dicta calx absorbuerit de dicto oleo quatuor, aut quinq; partes plus, quàm fuit ista calx, terendo semper super porfidum, vt dictum est, & in fine benè desiccetur calx, vt benè poßit in puluerem redigi. Quando fuerit benè puluerizata, ponatur in metreto cum collo longo. Ponatis de nostro menstruo fœtente facto de duabus partibus vitrioli rubei, & vna salis petræ, & prædictum menstruum destilletur septies, & benè rectificetur separando feces terrestres in tantum, vt prædictum menstruale sit totum essentiale. Deinde lutetur benè metretum, & ponatur ad ignem cinerum cum paruo igne carbonum quousq; videatis materiam bullire & dissolui. Deinde sic supra cineres destilla, donec amiserit menstruum, & materia fuerit frigida totaliter. Cum frigefactum fuerit, vas aperiatur, & materia, quæ frigida est, ponatur in alio vase benè mundo cum sua cappa benè lutata ad furnum supra cineris, & luto benè desiccato fiat ignis paulatim in principio, quousq; recipiatis totam aquã ipsius. Postea augeatur ignis quousq; materia benè fuerit desiccata, & spiritus fœtentes ad cappam & in receptorio iam exaltati. Cum tale signum videbis appa-

Talis praxis etiam Cap. 8. denotatur.

apparere, dimittatur vas infrigidari ignem minuendo: Et post refrigerationem vasis extrahatur materia, & in puluerem subtilißimum redigatur super porfidum, ita vt puluis sit impalpabilis, qui ponatur in vase terreo benè cocto, & benè vitrato? Pòst ponatur super dictum puluerem de aqua communi bulliente, mouendo semper cum baculo mundo materiam, vsq; materia fuerit spissæ sicut sinapi. Moue dictam salsam cum baculo, quousq; videas apparere grana mercurii è corpore, & quo ad appareat vobis quantitas magna prædicti mercurij viui, secundũ quod posueris de corpore perfecto, id est, de luna, & dum habueris magnam quantitatem, interim proÿce desuper aquam bullientem, & tandem moue, quoad tota materia resoluatur in materiam similem argento viuo vulgi. Terrestreitates tollantur cum aqua frigida & desiccetur per pannum Postea transeat per corium, & videbis mirabilia.

SCHOLION.

QVOD in magisterio Philosophico lapidis ad materiam constituendam non sit iungendum corpus mercurio, sed mercurius mercurio, dictum antè, & quodam argumento demonstratum est. Sequitur itaque iam præceptum istius transmutationis & praxis directa quidem ad argentum solum; sed tamen congruens etiã auro, si duntaxat mutetur menstruũ, quanquam alii commune faciant ad aurũ & argentũ simul. Vt autem eo rectius intelligatur hoc caput; coniungenda sunt alia ad finem operis reiecta & designata numeris 13. & 14. de calcinatione lunæ pro

opere

opere & de faciendo oleo tartari. Calcinatio lunæ peragitur beneficio hydrargyri hoc modo: Ex vncia argenti in cineritio seu capella optimè fulminati (septies quidã repetunt fulminationẽ) & argenti viui vulgaris fiat mistura, quã amalgama vocant, ita, vt argentũ in folia ductũ ablutumq; aqua tartarei salis, in catino calefiat, & postea addatur hydrargyrus immisceaturq; baculo, vt vtrumq; probè incalescat. Baculus autem esto ligneus. Misturã immissam in ligneũ mortarium oxalme, hoc est, aceto salso perfunde, admotoque pistillo ligneo benè agita & subige, vt abluatur immũditia, secedatq; in acetũ, quod propterea sæpius est mutandũ donec sordes omnes sint detersæ & malagma rectè subactum. Hoc postea elue denuo aqua dulci calida clara, vt tollatur salsedo & acida asperitas. Resicca postea, & superfluũ hydragyrum segrega per expressionẽ per pannũ lineũ mundũ. Quod in linteo restitit, corpus est, aliquid mercurii coniunctũ habens. Adde ei triplũ salis præparati per solutionẽ, filtrum, & coagulationẽ; vel etiã salis fusi tritiq;. Contere in marmore & læuiga optime. Postea salem per ablutionem tolle, & calcem horis duodecim in reuerberio, citra tamen fusionem, calcina seu arefacito. Huic iterum triplum salis adde, & læuiga totum in marmore; saleque eluto per aquam calentem dulcem, calcem in reuerberio detine, hocq; opus tertiò quoque repete, & tandẽ exactissimè

Calcinatio argenti ex Cap.13.clav.

mè læuiga, vt puluis plane fiat impalpabilis, in quo contactu nihil queas aſperi percipere. Aqua autem, cum qua eluitur ſalſedo per filtrum cottonæum ſolet deſtillari, quanquã etiam depleri poſſit calce in fundo reſidente. Calx reſiccata candida eſt, reponique debet loco calido, ne frigiditate humeſcat incipiatque ſolui. Hæc eſt calcis lunaris præparatio ex ſententia Lullii: nec aliter fit calx ſolis.

Oleum tartari. Oleum tartari nihil aliud eſt, quam liquor ex calcinato tartaro in loco frigido de marmore exceptus, & per filtrum ex bombace ſeu goſſipio traiectus. Debet autem tartarum optimum, quod in fractura ſplendeat, eligi & in reuerberio decem horis calcinatum conteri in puluerem, qui poſtea extenſus ſuper marmore diffluit. Addit Lullius totum debere diffundi, quod vix fiet ſine repetita calcinatione reliquiarum. Danda ſaltem opera eſt, vt liquoris huius iuſta ſit copia, & ſeruetur cautè ne quid impuri & alieni incidat. Menſtrui fœtentis duplicem exhibuit deſcriptionem, vnam pro calce, alteram pro lapide ſoluendis. Sed his in hoc capite non egemus. Interim alia aqua ſoluens paranda eſt, cuius

Aqua ſoluens. hic materiam & modum, quanquam paucis, attingit. Iubet duas partes vitrioli rubificati (quod fit per coctionem in olla, ſicut parari ſolet colcotar, aut deſtillatione cum cohobiis) & vnam ſalis petræi, de more ad aquas fortes, ſoluti, diuaporatique coniunctas per

alem-

alembicum lege aquarum fortium destillare: destillatam aquam rectificare & post depositionem fecum septies ex alembico prolicere, adeò, vt omni terrestri feculentia segregata quintæ essentiæ excellentiā assequatur. Hoc menstruum fœtens seruandum est ad vsum vase firmo benè clauso. His ita paratis reliquus labor est eò falicior. Nam calx lunaris in marmore solido, quale est porphyrium, adiecto oleo tartari tantillo, hoc est, pauco, vt parumper madefiat, terenda est, donec exactè commisceatur cum liquore. Deinde arefacienda, iterumque imbuenda & resiccanda, totiesq; quater in dies idem labor repetendus, donec quadruplum, aut quintuplum liquoris sit à calce absorptum. Nam huiusmodi liquores ex salibus facti facilè coagulant denuò. Cum scopum attigimus, mascula inde facta diligenter conterenda læuigandaque in eodem marmore est. Puluis in cucurbitā oblongam imponendus affundendum menstruum fœtens ad tres digitos vel circiter: deinde imponendus alembicus, iuncturæ luto claudendæ, & cucurbita quoque ipsa fundū loricata in catinum cinereum imponenda: admouendum receptaculum: subiiciendus catino ignis prunarum remissus, donec materia in vitro bulliat & dissoluatur, sicut solet fieri in metallorum calcibus aqua forti affusa. Cum ebullitio cessauit, abstrahenda aqua est leni destillatione. Deinde vbi refrixit, transferen-

ferenda calx, quæ adhuc humidior eſt, in cucurbitam fortiorem, mundam, & alembico, conceptaculoque ſuo inſtructam, nec luto non armatam, cui in catinum cinereum locatæ & reſiccatæ vndiquaque ſupponendus ignis eſt isque initio lenis, donec planè exiccetur, & tota aqua reſidua exierit. Poſtea aucto igni amplius vrgenda materia eſt, vt omnes ſpiritus fœtentes etiam ſicci eleuentur vſque ad alembicum. Inde ſponte refrigeat, & calx extracta in porphyrio marmore denuo in abſolutum læuorem comminuatur. Hunc in vitrea concha vel lapidea vitro inducta collocatum perfunde aqua feruente, ne innatare poſſit puluis, & arrepto immiſſoque bacillo eum continuò agita, vt aqua pulueri miſta ad ſpiſſitudinem ſeu conſiſtentiam embammatis è ſinapi vel alia re (vocant ſalſas & ſinapiſmos eiuſmodi miſturas pro condimento menſis & potiſſimum piſcibus, & aſſis carnibus adhibitas) perueniat. Perge mouendo, & interim nonnihil nouæ aquæ feruentis ſubmitte, donec videris grana mercurii coëuntia, nec deſine ab hoc labore, quouſq; totam calcis lunaris quantitatem, abſterſa ſalſedine deſiniente puluerem, in mercurium deduxeris. Hunc mercurium ablue aqua frigida, vt, quod terreum adhæret, ſecedat. Ipſum vero reſicca, & per coriũ tranſige. Si quid non tranſit, id reſtituendum eſt labori priſtino & mutandũ denuo. Aliàs inutile eſt operi. Hactenus Lullii paraphraſis.

Ex-

Extractio mercurii.] Quomodo ex auro vel argento ſit faciendus Mercurius in Alchymiæ magiſteriis de tranſmutatione indicatū eſt, & nominatim lib. 2. tract. 1. cap. 50. ex Penotto reſolutionẽ auri in mercurium propoſuimus, cuius ſumma hæc eſt: Ex aquæ fortis (quæ fit ex chalcantho ad citrinum calcinato & duplo halonitro) libra & ſalis ammonii per ſalẽ communẽ fuſū ſublimati triente fit aqua regia, in qua aurū ſoluitur. Solutio deſtillatur ad medias. Reſiduū ponitur loco frigido, vt cōgelaſcāt lapilli, quibus cum pari ſale fuſo contritis, noua regia affunditur, idq; ſæpius repetitur, & tandẽ aqua abſtrahitur ad ſiccitatẽ vſq;. Materiæ huic reſiccatæ adiicitur vinum alcaliſatū, diuq; in digeſtione relinquitur. Poſtea deſtillatur, & tandẽ igni valido in altū pellitur puluis citrinus, qui cum duplo tartari calcinati imponitur & ſublimationis opere tranſit in hydrargyrum. Ita Penottus de auro. Lunā ſeu argentum alii hoc modo reſoluunt: Cape Chalcanthi Romani, aluminis calcinati binas labras marcaſitæ auri vnam. Deſtilla ex lege aquarum ſoluentium, vt fiat liquor, quem appellant ignem Philoſophicum primum. In eius libra vna ſolue ſalis ammonii ſublimati vncias duas. Hic eſt ignis ſecundus. Metire eius quantitatem, & dimidium hydrargyri ſublimati in particulas comminuti ordine inijce, & exporta ſolutionem. Si non diffluit ſimul tota quantitas, effunde liquorem,

Mercurium ex auro extrahere.

Nota ſublimari calcẽ corporum.

☿. ex ☽.

exic-

exiccatiſque reliquiis nouam affunde aquam, donec ea hæ in liquoré abeant. Totũ poſtea in fimo digere menſẽ dimidiũ, vt interim feces ad fundũ ſecedant. Deſtilla igne lento aquam claram relictis fecibus. Hæc eſt aqua viua & lac virginis penetrantiſſimum & in aëre coagulans. Iam itaque calcem lunarem per aquã fortem præparatã imbibe oleo tartari quantum capere poteſt, & reſicca. Repete hoc tertiò. Tandem affunde oleum idem ad digitos duos. Macera in fimo per octiduum. Deple liquorem, & repone aquam viuã prædictam. Pone ad lentum ignem, verteturque calx in mercurium. Relinque ibi quouſque tota tranſierit. Effuſa aqua mercurium ablue aqua ſalſa, & poſtea dulci. Exiccatum tranſige per pannum. Si quid hæret, iterum ſolue aqua viua. Iſte eſt mercurius lunæ. Sunt & alii modi paſſim obuii, quos ſuo loco requires.

Aqua viua.

Calcis lunæ appallatæ.] Vocant calcem lunæ, quanquam ſit puluis reductilis. Eam per hydrargyrum & reuerberationem parat Lullius; alii per aquam fortem.

Ponatur in metreto cum collo longo.] Matratium alii vocant ex Græco μετρητὴ, quod erat genus menſuræ liquidorum apud veteres. Intelligimus autem modò geranium, hoc eſt vitrum rotundum cum fiſtula prolixa, quam violam nuncupant vulgo; modò cucurbitam longicollem, cui alembicus poteſt imponi. Sed

Sed & violæ circa orificium dilatatæ idem poteſt. Videbit artifex, quo vaſe commodius vti queat.

De noſtro menſtruo fœtente.] Menſtruum vocatur liquor digeſtionis, quæ menſem Philoſophicum plærumque durat. Fœtens dicitur, quia in ſolutione cum incaluit fœtore quodam vel potius empyreumate acri nares ferit. Ad ſimilitudinem huius etiam Mercurius ſolutiuus dicitur aqua fœtida, ob ſimile officium.

Deſtilletur ſepties benè rectificetur vt totum fiat eſſentiale.] Praxin huius intelliges ex ſimili. Ita alii faciunt aquam mercurialem ad calces perfectorum in hydrargyrum mutandas: Aluminis calcinati, ſalis petræi partes octonas miſce cum quatuor ſalis toſti. Miſturæ huius ſeſquilibræ adiice tantundem hydrargyri ſublimati. Collocata omnia in cucurbita ſublima ſtudioſe & da operã, vt tota Mercurii quantitas aſcendat. Ne vero ab halitibus lædaris, tùm circumſpectus eſto, tùm præſume butyri Maij bolum cum hauſtu vini abſynthitis ſat amari. Sublimatum pulverem modeſtè cum caule pennæ anſerinæ abſtrahe, & deterge, eumque adiecta noua miſtura ſublima denuò. Huic ſublimato in cucurbitam illato affunde vini ſpiritum; factaque digeſtione deſtilla per balneum vſque ad olei conſiſtentiam. Redde ei deſtillatum liquorẽ. Digere. Deſtilla iterum; Et hunc laborem re-

Aqua Mercurialis ſolutiua corporum.

pete, donec videris ſublimatum, hydrargyrũ contendere ad ſublimationem, quod & autor manualis apud Paracelſũ monet cum ſcribit: Nã oculis tuis vides, quomodo magis magiſq; ad ſublimationẽ ſeſe accomodet, & hoc ſigno apparente, ſublima, & electrũ mutatur in albedinẽ exaltatæ aquilæ. &c. Tanta autẽ copia ſpiritus vini (ille appellat quintã vini eſſentiã tartariſatã) affundenda eſt, vt digiti altitudine (manuale: 4. digitorum) exuperet materiam. Tunc eã totã ex receptaculo exemptã bis deſtilla per alembicũ. Tandẽ rectifica per quatuor elementorũ ſegregationẽ, h. e. toties digere & deſtilla, donec nullas amplius feces in pelicano vel digeſtorio cõſpexeris. Ita omnia mutata ſunt in aquã igneã Gehennalẽ, ratione puritatis cœleſtem. Sed nihilominus, vt certus ſis, de abſoluta ſubiltitate, immitte eam in cucurbitã, cuius orificiũ præliga charta ſeptupla. Poſtea; impone alembicũ, & deſtilla. Deſtillatũ liquorẽ circula, & contemplare, num quid fecum deprehendas. Et ſi quaſdam notas, repete deſtillationem, donec plane ſpiritualem naturam aqua ſit conſecuta. Cuſtodi eam benè in vitro munitiſſimo. Eſt enim valde fugax. In hanc aquam, ſi auri folia poſueris, ea abeunt in butyraceam ſubſtantiam, quam aliqui vocant materiam primam. Debet autem vaſe optimè clauſo ignileniſſimo apponi. Aqua à ſolutione depleta ſeruatur aliis vſibus, cum non ſit debilitata. Ita vides, quid ſit rectifi-

Aqua viſcoſa, butyracea ſubſtantia, materia prima. &c.

ctificare menstruum fœtens, & septies destillare, vt euadat quinta essentia. Est ex aqua ammoniaca soluens benè eodem concinnanda modo. Salis enim ammonii veri libra commista cum salis fusi sesquilibra sublimatur; quod ascendit, detersum cum nouo sale eleuatur denuò, idq; donec puluis euaserit impalpabilis. Hunc tritū in vitro imbibunt vini spiritu septies per chartā destillato, collocantque ad vaporem balnei in quatriduum ad soluendum. Liquor effunditur, & si quid non est solutū, reponitur. Si nec sic quidem soluitur, sublimatur cum nouo sale, vt puluis fiat subtilior. Ita studendum est, vt satis liquoris habeamus. Aqua hæc seu liquor destillatur in balneo ad medias. Destillatū redditur; & digestione facta repetitur destillatio. Tandē forti destillatione totū exigendū est per alembicū. Quod exiit rectificandum per elementa, hoc est, digestionem crebram & destillationē, donec nihil fecis in fundo appareat.

Alia soluens ex ammoniaco.

Quousq; videatis materiā bullire & dissolui.] Efferuescentiā notat, quæ euenit aquis fortibus calci metallicæ affusis, præsertim exasperatæ sale acri, sicut hic calx lunæ secū habet acutum tartari salē. Fit autē hoc interdū etiā asq; calore prunarū, si solummodo manu incalescat vitrū, vt mihi sæpè memini euenire, ære, ferro, stibio, plumbo iniectis aquæ forti.

Destilla, donec amiserit menstruū. &c.] Duplicē destillationē habet, primæ finis est, donec

amiſerit menſtruum ; Secundæ , quouſque totam recipiamus aquam , & poſtea deſiccatâ materia ſpiritus ad cappam & in receptaculum fuerint exaltati. Alii apertis verbis iubent, prima deſtillatione vſque ad oleoſitatẽ peractâ, refundere deſtillatum, ſeu nouum liquorem affundere, digerere, iterumque deſtillare, quoad ad ſublimationem aſpiret. Noui quoſdam per aquas regias crebrò affuſas deſtillatasque eò ſubtilitatis redegiſſe aurum, vt aſcenderit in alembicum ſpecie pulueris rubicundi, quem deterſum poſtea mutarunt in hydrargyrum per acetum. Nihil prohibere puto, quin hic eodem modo interpreteris etiam Lullium, nempe poſt affuſionem aquæ ſoluentis, macerandam materiam eſſe ; deinde, cum aqua non amplius laborat, deſtillandam reponendãque uouam, quouſque tandem in ſublime contendat puluis. Ita Paracelſus in tinctura ſua adumbrat praxin veterum, quanquam etiam alio ſenſu notam. Sed, quæ forma & vultus eſt tandem iſtius Mercurii, qui extractus eſt ? Plærique viſcidam ſubſtantiam nominant , eamque mercurialem. Ros : Phil : ait ; Prima materia corporum eſt non mercurius vulgi, ſed vapor vnctuoſus, & humidus. In talem vaporem vnctuoſum oportet, vt corpora conuertantur, &c. Poteſt tamen etiam præparari , vt hydrargyrum referat, &c. Lullius ſimilem argento viuo vulgi eſſe dicit; poteſt ergo duplici forma comparere.

Cap.

CAP. III. DE MVLTIPLICATIONE argenti viui noſtri.

IN Nomine Domini. Amen. Recipe lunæ puræ tres groſſos in laminas tenues redactos. Fac amalgama cum quatuor großis argenti viui vulgi benè loti. Quando amalgama fuerit factum, ponatur in paruo metreto cum collo longo vnius pedis & ſemis. Deinde recipe argentum viuum noſtrum prius extractum, & reſeruatum à corpore lunari. Pone ſuper amalgama de corpore & argento viuo vulgi factum. Perlutetur vas optimè optimo luto, & dimittatur ſiccari. Hoc facto moueatur vas quàm optimè, vt amalgama benè poßit permiſceri, & argentum viuũ miſceatur cum corpore. Deinde repone veſtrum vas, in quo materia eſt, in furnello ad ignem paruum carbonum, & huius ignis calor non excedat calorem ſolis, quando Sol eſt in ſigno Leonis, quia alius calor excedens deſtrueret veſtram materiam, & fieret fuga vnius ab altero, & continuetur talis ignis, quouſq; materia fuerit nigra ad modum carbonum, & ſpiſſa admodum pultis, & continuetur ignis iſtius gradus quouſq; materia mutetur in colorem gryſeum fuſcum, & ita gryſeo apparente, tunc vno puncto ignis augeatur & fiat ſecundus gradus, quouſq; materia incipiat dealbari ad colorem niuis albißimum. Poſtea fiat ignis vſq; ad tertium gradum, continuando quouſq; materia fuerat alba plus quam nix, & conuertatur in puros pulueres albiores cinere. Tunc vos habetis calcem viuam Philoſophorum, & ſuam mineram ſulphuream, quam tantum occultarunt Philoſophi.

Minera Philoſophorum.

SCHOLION.

TITVLVS capitis promittit multiplicationem Mercurii vt cap.5. Multiplicationẽ viuæ, & cap.9.ſulphuris.Reuera tamen cum augmento eſt praxis operis minoris ad album Elyxir,vel confectio mineræ Philoſophorum albæ. Duplex habet opus Lullius, particulare,& vniuerſale,ſeu minus & maius,quæ duo etiam agnoſcuntur à Thoma, Richardo & aliis, quanquam videantur præceptis & ſententia differre, Richardo particulare vnum ponente in mercurio,alterum in argento.Sed Lullius, Thomas, Triſmoſynus, &c. Opus minus tàm in auro,quàm argento collocant, &quantum aſſecutus ſum ex deſcriptionibus, video nulla alia penè re principaliter differre vtrumque,quàm quod minus ad album ſeorſim fiat in argento tùm corpore eius tùm mercurio,& hydrargyro vulgi, quanquam, vt in hac re ſolet fieri,alii paulo ſecius operentur, & corpus hydrargyrumque tantum requirant: Opus minus ad rubeum admittat duntaxat aurum & hydrargyrum duplicem: Deinde,quod compendioſiora ſint minora, quàm maiora. Itaque illa etiam præcipitationis Philoſophicæ titulo interdum ſolent tantum appellari,aut augmenti; &nihil comprehendunt quàm primam operationem magni magiſterii, vel,ſi mauis, addita fermentatione

Si contuleris præcepta Thomæ ad Reinaldum cum Lullianis,deprehendes diſcrepantiã. Ita eſt de Richardo.

ne

ne omnia abſoluunt vno motu. Maius autem ſæpius ad carceres reuocatur, & vim acquirit in infinitum; prolixus eſt, & vtroq; perfecto conſtat, duplicique fermento duplicem lapidem exhibet. Inſuper, minus magis variat, pro vt varii ſunt augendi modi, & varia adminicula. Nam,in mineralibus ſæpè per plura, & pluribus modis ad vnum peruenitur finẽ. Adhæc facilè colligere eſt maius opus pondere ſeu quantitate & virtute lapidis exuperare, cum minus neutiquam ſit adeò fœcundum, &c. Cæteræ differentiæ aliâs innoteſcunt. Puto autem ex praxi minori facilè poſſe iudicium fieri de maiore, quam Lullius minus tradidit apertè, quod obſeruauerim tædio temporis prolixi magnum magiſterium coactum in paruum eſſe prædicto modo, ſtatim nimirum ad primam operationem adiiciendo fermentum ſuum, & progrediendo ad tranſmutationem. Bernhardus tamen repudiare videtur opera minora; & Paracelſus prolixitatem veterum carpit; Sed Thomas Reinaldum à maiore abſterret, non tantùm ob temporis prolixitatem, ſed & tædium laboris, procliuitatem erroris & cætera, cum nihilominus in minore ſit finis verè deſideratus. Triſmoſynus quoque teſtatur ſe communicata quadam minori praxi cum quodam cognato, licet minus lucroſè; attamen feliciter eum ditaſſe, &c. Auſcultemus itaque, quo pacto LVLLIVS in opere ALBO verſari

Verba Thomæ: plus lucri eſt in maiore & temporis indebita expenſio: In breui nullus error, modicæ expenſæ, leuitas operis, breuitas temporis, & finis verè deſideratur.

iubeat. Vt feliciter auſpicemur, inuocationem diuini auxili, præmittit, indeque ſucceſſũ ſibi pollicetur. Poſtea compoſitionem materialem ex tribus docet vnà cum proportione ſingulorum. Argentum purè fulminatum, & malleo in folia diductum, prima pars compoſitionis eſt; hydrargyrus vulgaris, mundus, diligenterque præparatus; ſecunda Mercurius lunæ ex vncia vna ſuperius extractus; tertia, Proportio inter hæc eſt, vt mercurius lunaris tantus ſit, quantum exhibet vncia: argentum trium groſſorum, hydrargyrus vulgaris groſſorum quatuor, per quos portiones licet accipere, & plærumque omnia diſpenſantur vnciis. Modus vnionis intelligitur per amalgamationem, de qua dictum eſt in calcinatione argenti. Mauult tamen Thomas eam fieri abſque calefactione. Itaque prius argenti folia commiſcentur cum hydrargyro vulgari eluto probè ab omni nigritie per acetum ſalſum, quanquam aliqui etiam deſtillent per alembicum aliquoties, vt alibi diximus. Malagmati huic in violam prolixæ fiſtulæ (collum vocat Lullius ſeſquipedalis longitudinis) iniecto affunditur mercurius corporis lunaris. Clauditur fiſtula hermetica ſignatura; Fundus argilla tenaci oblinitur & reſiccatur. Tunc acceſſione agitationis crebræ permiſcentur omnia probius, ita vt ſecundũ minima vniantur. Notandũ autẽ cenſeo, malagma prius ita inſtituendum eſſe, vt totum

totum euadat liquoris mercurialis inſtar, qui poſſit per corium exigi, nullo corpore remanente. Ita enim demum exactior erit commiſtio, cum omnia ad aquæ ſpeciem fuerint redacta. Hoc vt aſſequantur aliqui, ſolent ſæpius exigere per pannum amalgama, & quod reſiſtit, id terendo ſuper marmore ad tenuitatem expetitam deducere. Sed artifex ſciet ſua prudentia & induſtria vti, modo caueat, ne deſtruantur naturæ. Ita ſe habet modus vnionis, quæ tamen perficitur magis magiſque actione interna, quando poſtea in digeſtione ſua ponuntur. Sequitur materiæ compoſitæ coctio ſeu digeſtio ad perfectionem, in qua primas tenet putrefactio ad ſeparanda elementa. Cauſſæ agentes hîc ſunt duæ, vna interna, quæ & ignis connatus dicitur: altera externa, quæ eſt ignis elementaris, cuius gradus deſcribitur calore ſolari in leone, additurque argumentum, quod calor vehementior vnita ſegregaret, atque ita prohiberet, ne maſculina virtus in fœmineum humorem, ſeu ſubiectum patiens agere idque alterare & immutare poſſet, & ſic opus deſtrueret. Inſtrumenta externa famulantia putrefactioni præter vitrum, nominatur furnellus, & carbones, ignis elementaris ſcilicet fomentum. Furnus eſt cum catino cinereo ita inſtructus, vt alibi ſatis diximus. Pro Carbonibus aliis placet Ellychnium cum oleo, quod hinc ignis ſit æqualis & continuus abſque labore multo. Finis putrefactio-

Vnio externa eſt tantũ præparatio & occaſio ad internam.

trefactionis eſt, cum nigrities perfecta apparuit. Et hæc etiam eſt ſolutio. Inde incipit altera operatio, quam coagulationem appellant. Nam vaſe detento in eodẽ loco, eodemq́;, vt ait Lullius, caloris gradu continuato, paulatim ſpiſſeſcit materia, fitque inſtar pultis. Iam dominari incipit ſiccitas, & euincere humiditatem. Sic paulatim iterũ nigredo euaneſcit, quaſi ablueretur, & ſuccedit fuſcedo, hincq́; color cinereus, ſeu gryſeus. Huc quando peruentum eſt, augendus ignis eſt vno gradu. Minus enim iam metuẽda ſeparatio eſt, cũ fugaces partes quodammodo ſint fixę & fortius vnitæ cum conſtantibus. Continuandus & hic gradus eſt vſq; ad ſuum ſignum, quod Lullius appellat albedinem niueam. Dierum & temporũ momenta exactè deſcribi nõ poſſunt ob varias cauſas, quæ nõ ſunt vbiuis æquales, veluti ſunt artificis peritia induſtriaq; caloris ratio, temporis conſtitutio, materiæ aptitudo & motus cũ reliquis. Albedine niuea apparente, ad tertium ignis gradum eſt progrediendum, ipſaque materia, iam argenteam fixitatem habens probè vrenda. Ita ſimul albedo creſcit adeò, vt non vereatur Lullius niueo candori eam anteponere, quanquam neſcio quid dubii habeat, quod adiectum eſt, fieri nimirum tandem pulueres cinere albiores. Finis enim huius lapidis eſt candor argenteus, qui quidem cinerum gryſitiem vincit ſed ὑποσολοικόν τι ſonat dictio, cum præcedente termino niueæ

ueæ albedinis collata. Neque tamen ignoro vſtionem tandem colorem album tranſmutare in citrinitatem, & inde ad rubedinem perducere, ſi initio aurum acceſſit potiſſimum. Sed huc vſque non progreditur Elyxir argenteum. Sit itaque iudicii & laboris huius terminus candor exactus in ſubſtantia puluerulenta, ſimili calcis. Hinc nomen ſortitur calcis viuæ, & mineræ Philoſophorum, in qua ſuppullulant argenteæ plantæ, & naſcitur argentum tanquam in minera ſubterranea.

Deinde recipe argentum viuum noſtrum.] Notabis in hac compoſitione diſcrepantiam eſſe, ſicut & in ſolutione & coagulatione. Nam aliqui malagma quidem cum corpore & hydrargyro vulgari faciunt; ſed non ſtatim adiiciunt mercuriũ corporis, verũ ordine & particulatim poſtea per interualla ſua inſtillãt. Ita poſtquã genita nigredo eſt, ſeparãt hãc, & deinde lacte ſuo paulatim nutriunt vſq; dũ imbibat & coagulet totã quantitatem perinde, vt præcipiunt in maiore opere. Vltimo adiiciunt fermentum corporis proprii, & virtutem lapidis exuſcitant exaltantque. Sed alii nolunt crebrò aperiri vas, & claudi viciſſim, ne quid viriũ ſpiritualium pereat, aut motus naturæ diſturbetur, aliquidve peregrini incidat. In vno vaſe, vna occluſione, igni vno continuo omnia peragunt, nec ſeparant teruntve manu, ſed ſinunt naturam in ſe operari, ipſi duntaxat ignem debitum ſubminiſtrantes.

Eſt &

Est & tertia praxis quam in manu scripto libro aliquando lectam paucis repetam. Cape calcis Lunæ per aquam fortem ex Chalcantho, & sale petræo apparatæ, salis ammonii, tartari calcinati pares portiones. Commistæ includantur cucurbitulæ, perfundanturque aceto stillatitio: quo facto foramen statim obturetur paxillo, ne qui spiritus exeant, cumque eorum impetus deferbuerit, ceram appone, & vitrum cum materia fimo infode, ibique relinque diebus quadraginta exerto tamen collo, vt frigore contacto spiritus sursum nitentes ad fundum repellantur. Fimum octonis diebus, mutata calce viua, renouato. Aiunt aquam apparere flammeam instar collyrii cærulei, cum innatante pingui cuticula, quæ signum sit mercurii. Si violam sumsisti, oportet te iam effundere materiam in cucurbitam cum alembico, & lento igni acetum abstrahere, relicto mercurio. Aceto educto, igni aucto sublimandus mercurius est, & colligendus. Is est mercurius ex corpore lunari, qui tamen & alio modo prolici potest. Quidam enim iubent solui argentum aqua forti, postea tartarum aceto stillatitio, solutiones guttatim confundi, ne efferuescant & exundent impetuose (pro tartari tamen illa solutione nonnulli malunt eam, quæ constat ex tartaro calcinato & vini spiritu, ita, vt respectu aquæ fortis, in qua soluitur argentum, sit quadrupulus) coniunctione per confusionem facta, aquosas

Alia praxis ad album.

Mercurius ex Luna.

sas

ſas partes deſtillatione ſegregari leniter: hinc fortiore igni ſublimari cinereum puluerem, qui abraſus terendus ſit cum oleo tartari, vt vertatur in argentum viuum. Hoc porro miſcent cum ſcobe argenti fulminati purique, & &in matula vitrea, Ellychnii flamma ſubiecta, octo diebus digerunt. Poſtea adiiciunt mercurii communis tantum, quantus fuit mercurius lunaris, iterumque digerunt octo diebus, perſuaſum habentes, fore, vt mercurius communis vi & efficacia corporis & mercurii lunatici figatur. Repetunt autem additamentum hoc ſingulis octonariis, donec ſatisfeceris ſpei copia. Totum deinde mercurium coagulant reducuntque in argentum, quod non fit ſine acceſſu & ſubſidio puluerum nonnullorum, nimirum ſalis petræi, alcali, ſaponis arſenici & boracis, quos cum amalgamate conterunt, in catino fundunt, fuſam maſſam fulminant. Videtur autem mihi hoc artificium ex Lulliano ſumtum eſſe, & nonnihil decurtatum. Vt enim mox audiemus, etiam Lullius viua calce vtitur ad præcipitandum mercurium vulgarem in infinitum, & reducendum cum corpore lunari.

Non excedat calorem ſolis in leone.] Intellige ne excedatur primus gradus artis. Cum enim diuerſa ſit conſtitutio locorum, & conſtellationum effecta coincidant, falli poſſes iſta deſignatione. Quocirca alii tantum calorem requirunt, quantus eſt balnei, vel fimi, vel vnius

candelæ

candelæ ſimplicis fili; vel, vt plumbum liquatum antè, maneat in eo tale; vel, vt homo tenet inſertam manum in furnellum, toleret.

Continuetur ignis iſtius gradus.] Notabis tamē alios præcipere, vt ignis ſolutionis minor ſit igne coagulationis. Itaq; putrefactioni leniſſimum calorem miniſtrant; coagulationi intēriorem paulò, qui tamen non ſit ſublimatorius hydrargyri. Poſſumus intelligere, Lulliū quidem velle continuari eundē primum gradum vſque ad gryſitiem coagulati; ſed, vt diuidatur in latitudines ſuas, quarum prior ſit ſolutionis, poſterior coagulationis. Ita aliquando conſideramus gradus iuxta principium, medium, & finem, qui contiguus eſt gradui ſequenti.

Vſque ad 3. gradum.] Hic argento donat ſuam conſtantiam & albedinem puram. Quartus gradus in opere ad album non requiritur. Nam album mutat in citrinum & inde perducit ad rubedinem, quód fit in opere ad rubeum & fermentatione ad rubrum.

Albiores cinere.] Valde ſuſpicor mendum eſſe, cum in anacephalæoſi excellentem quidē albedinem, quæ etiam niuem credatur exuperare, deſignet, ſed cineris hac ratione mentionem non faciat, potes tamen cinerem accipere mineralem.

Calx viua.] Non certè vulgaris; ſed ex ſimilitudine virtutis ita dicta. Acriter enim mutat, coagulat & figit inſtar calcis, præſidio ſalis cōgeniti.

geniti. Poteſt & viua dici ab effectu, quod vim conferat etiam mercurio à ſe mutato; vel, quia facta eſt ex duobus mercuriis viuis. Ob ſimiles cauſas nuncupata eſt & aqua vitæ, aqua viua, &c. quas ingreditur Mercurius aut quas vſurpant ad metalla in hydrargyrum viuum deducenda.

Minera ſua ſulphurea.] Philoſophorum minera eſt ex comparatione cum natiua minera ita nuncupata. Hinc minerale artis, minera mercurii & ſimilia deducuntur, quæ ab imperitis accipiuntur vulgariter. Sulphurea autem vocatur, quia inde poſtea in opere ad rubeum minore, & maiore vniuerſali cum corpore ſolari exiſtit Sulphur Philoſophicum, quanquam nonnulli etiam illam ipſam calcē ſulphuris albi nomine indigetent.

Mercurius mineralis in arte quid.

Vide cap. 8. & 9.

PROPRIETAS CALCIS prædictæ.

CAP. IV.

CONVERTIT *iſta calx mercurium vulgi in puluerem albiſsimum in infinitum; qui poteſt reduci in argentum verū cum aliquo de corpore lunæ.*

MVLTIPLICATIO PRÆDICTÆ calcis.

CAP. V.

RECIPE *vas cum materia, vbi pones vncias duas argenti viui vulgi benè abluti & deſiccati. Poſtea vaſe benè lutato repone, vbi prius erat, gubernando & miniſtrando illi ignē primi, ſecundi & tertii gradus, vt ſupra, quoad materia reducta ſit in pulue-*

puluerem albißimum ; & ita potes multiplicare in infinitum.

REDVCTIO CALCIS VIVÆ IN Lunam veram.

CAP. VI.

HABITA *ergo magna quantitate calcis viuæ, seu nostræ mineræ, accipe vnum crusibulum nō tectum, in quo pone vnciam vnā Lunæ puræ, & ipsa fusa pone desuper vncias quatuor pulueris tui in pilulas coniecti: pilulæ sint ad pondus quartæ partis vnciæ, & istæ ponantur vicißim super Lunam fusam semper continuando ignem fortem, quousque omnes pilulæ sint proiectæ, & fusæ simul cū Luna, & in fine fac ignem fortem, quo vsque totum benè incorporetur. Postea proiiciatur in canali, & habebis vncias quinque argenti puri, plusquam naturalis: & ita poteris tuam mineram Physicam multiplicare ad beneplacitum.*

SCHOLIVM.

APERTA est doctrina horum capitum, vt vtilis sit ista minera, scire debemus vim & efficaciam eius, nempe, quod possit transmutare mercurium vulgarem in puluerem paris efficaciæ, id quod præcipitationem Philosophicam in opere paruo ad album nuncupamus. Ex hoc consequens est, quod isto artificio possimus progredi pro arbitratu & copiam pulueris eiusdem procreare etiam in infinitum, modo semper aliqua portio seruetur ad

tur ad

tur ad hydrargyrum transmutandum, atque ita mineram Physicam augendam. Semel eam comparasse sufficit. Augmentum inde se extendit in infinitum. Sed quæ ratio est augendi? Eadem, quæ parandæ mineræ. Tantum enim discrepat materia, quæ ibi constabat ex duplici mercurio & corpore; hic calx viua & hydrargyrus vulgi concurrunt. *Recipe vas cum materia*, inquit Lullius, *hoc est, geranium seu violam, in qua est, præparata calx viua.* Sed scias, tibi permissum esse, calcem istam ex priore vase exemtam, & sicubi aspera est, contritam in vas eiusdem speciei aliud transferre, & paulatim hydrargyrum præparatum seu acida muria elotum iterumque siccatum ne quid aqueæ humiditatis adhæreat, instillare donec vniantur. Quidam, sicubi calx non imbibit auidè liquorem, in marmore miscent, conteruntque & massulam postea in vitrum deiiciunt, idque siue semel vna opera, siue paulatim per interualla, pro vt vident materiam affectam. Quantitatem mercurii Lullius definit duabus vnciis, & hæ in primo augmento sufficiunt. In secundo, & cæteris etiam dimidia quãtitas aut amplior potest sumi. Crescit enim corpus viuæ calcis cum virtute. Itaque plus potest combibere & mutare. Quidam initio statim duodecuplum mercurium apponunt, sed opus tunc est fermento ex eodem corpore, ex quo facta est calx viua, vt virtus roboretur. Rursum nonnulli prima augmentatio-

ne dimidium Mercurii adiiciunt, poſt æqualem partem in ſingulis. Sane relinquendum induſtriæ artificis eſt, vt στοχασμῷ quodam perito collimet, quantum euinci per calcem poſſit. Cum itaque in vitro coniuncta ſunt calx viua & argentum viuum, claudatur id, & ad fundum argilla perlitum imponatur furnello, vt ante, adhibendo initio gradum ignis primum, quouſque probè vniantur, & in ſe mutuo agant ſecundum ſigna ſuprà propoſita. Tunc accedatur ad gradum ſecundum, & poſt apparentem albedinē fixam ad tertium vt penitus figatur, & ſublimetur argentum viuū niueum, vt alioqui loquuntur, hoc eſt, nō quidem ad alēbicum efferatur, ſed exaltetur virtute & colore conſtantiaq;. Solent tunc in imo quædam nigra conſpici & feculenta. Id vocatur caput mortuum proiectile. Nullius enim eſt vſus, vt tum alii referūt, tum in anacephalęoſi Lul. Debēt hæc omnia peragi menſis ſpacio. Quia .n. virtus calcis viuæ præpollet, quę prius anno indiguerunt, iā ad menſem reuocantur celeriter apparentib. ſignis, & vi actiua in materiā incumbente. Cum abſoluiſti primum augmentū, cuius ſignum eſt intenſiſſima albedo & cōſtantia in igni tertii gradus, potes quidē aliquid de eo reducere, ſed nō eſt tanti fructus. Itaq; totā quantitatē iterum iunge pari mercurio pręparato, & procede, vt ante, idq; repete tertiò, quartò, quintò, vel quouſq; libet. Cum magnū habes pondus, aliquas par-

Nota ſublimationē, qualis hic ſit intelligenda.

Roſ. Arn. lib. 2. cap. 16. Feces poſt ſublimationē abiiciendæ.

partes eius reducito; vnã seruato ad persequẽdum augmentũ priore modo, idq; absq; fine, pro tuo arbitratu: vnã item pro fermento. Nõ autẽ tam simplicis ingenii fueris, quin crescẽte copia intellexeris vitra mutãda esse maioribus; neq; tamẽ ad plenum implenda, sed tertiã partẽ vacuam relinquendam. Tandẽ, vt fructũ laboris capias, reductionis exemplũ ꝓponitur à Lul. Fingo te habere 4. vncias pulueris albi ex augmento. Oportet te has in partes 16. diuidere, inq; pilulas cũ cera vel sapone, qui iuuat ingressum, cõiicere, ita, vt in vnoquolibet globulo sit sicilic⁹ seu dodrachmũ pulueris. Postea vnciã vnam argenti puri puti dissolue in catino triquetro aurifabrorũ satis capace, & ordine iniice pilulas per interualla sup igni forti, quo consumatur cera vel sapo, puluis vero ab argento recipiatur. Aliqui etiã miscent bacillo. Cũ vna pilula absorpta est, submittitur alia, & sic deinceps vsq; ad finẽ. Ita se habet res in quantitate prędicta. Si duplũ esset pulueris, & velles vno labore reducere; oportet te quoque duplũ argenti & vasa maiora habere. Plærumq; per marcas seu besses opus digeritur, vt vni marcæ (quæ constat octo vnciis) argenti illiquẽtur pulueris marcæ octo. Inde emergunt marcæ nouẽ. Omnia enim iã sunt fixa, & igne isto, qui est ꝓ natura argẽti, nihil aut saltẽ parum admodũ, si fors grad⁹ excesserit, perit. Cæterum tota quantitate in argentũ reducta, effundendũ argentũ est in ferreos canales

monetariorum, vt inde fiant digiti ad probandum fulminandumque, aut etiam alias necessitates. Prærumque exploratur id argentum fulmine in copella argenti cum suis additamentis, & tunc accommodatur ad vsus decentes. Postremo iubeo te diligenter notare processum minoris operis non tantum in primo apparatu, sed & in augmento. Reuera enim is est simulacrum operis maioris. Sicut potes etiam legere apud Thomam & alios. Scito ergo, sicubi hallucinatus fueris in opere maiore ob obscuritatem auctorum, te posse huc respicere, & adiuuari. Vberiore expositione non opus habet hoc artificium.

DE NOSTRO MAGNO OPERE ad album & ad rubeum.

CAP. VII.

REDVCITE *calcem vestram viuam, vt de Luna antea dictum est, in argentum viuum, quod nostrum est secretum. Recipe igitur quatuor vncias calcis nostræ, & reduc in argentum viuum, vt fecisti de Luna. De hoc argento viuo habeas ad minus tres vncias, & pone in paruo metreto cum collo longo, vt antea fecisti. Postea amalgama de vncia vna veri Solis cum tribus vnciis argenti viui vulgi, & superpone argentum viuum Lunæ, mouendo fortiter manibus tuis, vt misceantur simul omnia. Post vas benè lutatum pone, vt supra, in furnellum faciendo ignem primi, secundi, & tertii gradus. In primo gradu materia*

Nota, lapis iam factus eo modo reducendus in Mercurium, quo Luna.

teria nigreſcet vt carbo, quod tunc dicitur Ecclipſis Solis & Lunæ: Et erit commixtio vera; vnde gignitur filius Sulphur, quod plenum eſt ſanguine temperato. Poſt apparationem eius coloris continua ignem ſecundi gradus, quoad materia fuerit gryſea. Tunc continua ignem tertii gradus, quoad materia appareat albiſſima. Poſt auge ignem ad gradum quartum, continuando, vt materia rubea appareat vt cinabrium, & fiant cineres rubei. Hanc calcem potes reducere in Solem finiſſimum, vt de LVNA *ſuprà dictum eſt.*

SCHOLIVM.

QVI artificium operis albi probè intellexit, hîc abſque cortice & interprete natare verſarique poteſt. Neque enim eſt aliud regimen in genere. Si quid in ſpecie variat, id ex obſeruatione materiæ dependet. Capit Lullius non mercurium Solarem, vt in minore ad album ex Luna fecit, ſed mineralem Philoſophicum, hoc eſt, reſolutione mineræ albæ Philoſophicæ, ſeu calcis viuæ factum eo planè modo, quo argentum eſt in mercurium reſolutum, quanquam, vt materia diuerſa eſt, ita & menſtruum. Non enim iam vulgaris aq. fortis ad quintam eſſentiam adducta, ſumitur, ſed illud, quod cap. 15. ſub titulo menſtrualis fœtentis pro diſſolutione calcis philoſophicæ, poſtquam oleo tartari imbibita fuerit, deſcribitur. Id fit ex chalcanthi lib. ij, ſalis petræi vna, & cinabaris quadrãte. Chalcanthum

Mercurius mineralis.

Menſtruum fœtens ad faciendum Merc. mineralem.

calcinandum ad rubedinem eſt, & in pulue-rem deducendum, cui Sal petræus & cinaba-ris conterendo in marmore immiſcentur di-ligenter. Miſtura per alembicum, aut retor-tam more aquarum ſoluentium deſtillatur. Aqua prodiens rectificatur, & per circulatio-nes deſtillationeſque ſepties repetitas ad eſ-ſentiæ quintæ, in qua nulla elementaris craſſi-ties amplius apparet, aut ſubſidet, excellentiã exaltatur. Calx viua nutritur oleo tartari, vt ſcriptum eſt de calce lunari, quoad quadru-plum aut quintuplum combiberit. Deinde affuſo menſtruo particulatim, ne efferueſcat nimium, ſoluitur, ſolutione peracta reuoca-tur aqua deſtillando vſque ad ſiccum: Poſtea i-gne ſublimatorio penitus exhauritur vt ſicci ſpiritus aſcendant. Tandem extractus puluis læuigatur, & aqua feruente vel aceto per-fuſus agitatur, vt in mercurium fathiſcat, cu-ius tres vncias pro præſente opere Lullius requirit. Notandum tamen eſt alios ex auro ipſo mercurium poſtulare, vt in ſpeciali pra-ctica indicabo. Poſtquam ita paratus eſt mer-curius viuus ex calce viua; ſepone eum in vi-tro paruo benè clauſo, & interim fac amalga-ma ex vncia vna auri natiui veri ad ſummam puritatem per fulmen, antimonium, & ablu-tionem ſpiritus tartarei aquæque dulcis per-ducti, & poſtea in folia extenſi: (ſepties vo-lunt per antimonium purificandum eſſe au-rum, poſteaque diligenter abluendum) & vn-

Nota, ſi ſimul & ſemel non exierit Mercurius, repetendum opus eſſe, ſicut & octauo capite proponitur.

ciis

ciis tribus hydrargyri vulgaris repurgati, ita, vt hinc præcalefacto calefacta folia aurea commiſceantur de more, vt ſolent fieri malagmata abluendo nigritiem, & exprimendo per pannum coriumque, donec corpus cum mercurio tranſeat. Tunc in geranii vitrum imponitur malagma, & ſuperfunditur Mercurius calcis viuæ ex argento: Bene agitatur cõmoueturque manibus vitrum, vt duæ aquę exactè commiſceantur. Deinde occluſum vas hermeticè, & circa fundum argilla munitum in cinerum catinum furnellumque infertur, quanquam ego non videam, quorſum opus ſit luto in gradu ignis primo & ſecundo, vaſe inter cineres recumbente. Ipſe expertus ſum, tunc ſatis tutum eſſe. Si tamen velis opus eo nudo peragere ſuper tripode, aut etiam, cum ad tertium & quartum gradum perueneris, tunc adiicere lutum poteris, quod tunc ferè extra cineres calor ſeu ignis nudus adhibeatur. Cum ita diſpoſueris, admoue calorem gradus primi; & materia adiuta externo calore commouebitur igne interno & tota nigreſcet, ſicut dictum eſt de regimine lunari. A nigredine paulatim progreſſus eſt ad albedinem, incipitque ab Ecclipſi LVNA emergere, & SOL iterum inclareſcere virtute. Dicit Lullius *In Ecclipſi veram commiſtionem eſſe.* Neque enim poſtea ſeparari poſſunt aquæ coniunctæ; ſed ipſæ inter ſe agentes patientesq; mutuo gignunt

Coagulatio.

Solutio.

Sulphur.

id, quod Sulphur vocatur, non quidem exuccum & aridum, sed sanguine plenum temperato, quod aurum, licet per se respectu hominis temperatum vocetur, tamen cum in opere Physico excellentem habeat ignem, ad tēperiem reuocatum sit per semē fœmineū frigidū humidum. Verū enimuero nigritie cōpleta, coagulatorius ignis gradus administrādus est, neq; tamen is nimius, ne discedāt partes simul coagulandæ. Nosti enim tunc ex fixo factum esse volatile, quod non manet in igni si inconsultius calore intemperato vrgere velis. Hic gradus lentè admodum producitur vsque dum grysescat materia, & seipsa euaserit spissior. Tunc scito eam fixitati esse vicinam. Itaque iam pati potest gradum tertium sensim à principio per medium vsque ad finem extendendum, donec consecutus sis constantiam argento analogam. Nihil tam nocet, vt præcedenti operi, ita & huic, quam præceps festinatio. Itaque patiens esto, & circumspectè operare. Finis huius gradus est color albedinis intensæ, vt suprà, cum stabilitate decente. Hinc nudo igni quartum gradum suscipe, & albedo paulatim citrinescet hincque in rubedinem cinabarinā cum fluxu debito transmutabitur. Cineres rubeos, vel puluerem cinabarinum aut præcipitatum aureum vocant ob consistentiam & colorem. Tunc te oportet perfectionis signa experiri. Si enim pars huius materiæ in argentea lamella ignita diffluit

Cinabaris Philosophica.

diffluit ſine fumo, abſoluta eſt. Studebis poſthac augmentationi, ſicut dictum eſt de argento. Vbi notabis, quod ſi augmentum inſtituis per Mercurium ſolis, virtus ſemper ſit efficacior, vt & Thomas dicit. Sin cares eo, vel lunari Mercurio vtendum eſt, vel vulgari. Quanquam enim hic minus eſt fœcundus; tamen ſpei mediocri ſatis facit. Nec dubium eſt, ſi per Mercurium ſolis ſemel atque iterum auxeris, te aſſequi poſſe vim aliquam maioris lapidis, vt etiam proijciendo tranſmutet. Delibera itaque, quo modo augendi velis vti. Si auges per Mercurium vulgi, ea arte procede, vt dictum eſt de argenteo lapide. Poſtquã autem copiam ſufficientem habueris; reduc cum corpore ſolari iterum, vt ſcriptum in luna eſt. Sin augmentum inſtituiſti per ſolarem Mercurium, poſt tertiam repetitionem, facies proiectionem, cuius meminit Thomas, qui iubet catinum aurifabrorum intus illinere parumper ſebo; poſtea infundere hydrargyrum vulgi lotũ, & lentiſſimo igni imponere: Cum autem incaluerit, & fumum expirare cœperit, inijcere medicinam chartæ, aut ceræ incluſam, & impoſito ſtatim carbone ignito firmo latoque ignem ſufflare fuſorium, cumque colliquerit totum, proijcere ſeu effundere in canalem ſebo illitum, vt fiat digitus aureus. Hic proceſſus, quanquam etiam ſit magni operis, & valeat in argento quoque, tamẽ minori communis eſt ob augmentum

Proiectio ex Thoma.

tum per solarem mercurium: Quin si lapidē album auxeris per mercurium lunarem, hic quoque teneri poterit. Vnde vides, in materia discrepante processum genericum esse enndem, vt cognoscas, in maiori opere viam methodumque eandem esse, nisi quod repetitio & alia nonnulla sint peculiaria. Vtitur autem Lullius calce rubea seu hoc præcipitato etiam postea ad fermentandum in opere maiore ad lapidem rubeum cap. 11. Sed referam etiam aliorum quorundam artificū præceptiones; vt collationem inter eas & Lullianam maioris lucis caussa instituere possis. Ita quidam scribit: Aurum per antimonium, aut quartationem summè repurgatum soluatur in aqua regia. Solutio destilletur vsq; ad consistentiam olei, quod in loco frigido humido collocatum lapillos deponat, qui putrefactione, & sublimatione porro reducantur in Mercurium viuum, proximam scilicet materiam lapidis Philosophici. Hunc inclusum geranio vel cucurbitulæ aptæ præcipitare oportet, quousque euadat purpureus, quem ita ad sanitatem procurandam accommodare licet. Ad metallicum vero vsum videndum est, vt eatenus perficiatur, donec disseminatus in lamina argentea candefacta absque fumo diffluat, & calorem aureū relinquat, imò transmutet illam partem in aurū. Perge postea ad augmentū cum mercurio vulgari. Itaq; priori

Alius processus minoris operis ad rubeum.

Præcipitatus solis.

præ-

præcipitato iunge dimidiũ pondus hydrargyri vulgaris, & inclusũ vtrũq; vitro, digere vsq; ad complementũ prius. Fit hoc mensis spacio. Huic augmento appone æquales mercurii eiusdem, & procede vt antè, idq; opus repete quousq; ad centũ, vel ampliùs marcas ascenderis Tunc reduces cũ borace quantum libuerit, & residuũ porrò augebis vsq; in infinitũ. Sin placuerit tibi non vulgarem adhibere hydrargyrũ, sed solarẽ mercurium, adde calci rubeę seu pręcipitato prima vice absoluto decuplũ mercurii proprii, & 40. diebus opera ignis adeptus fueris præcipitatũ secundũ, cuius pars vna tingit 100. partes argenti inq; aurũ mutat. Cape tertiò vnã portionẽ huius secundi præcipitati, & appositis mille partib⁹ mercurii solis tertiũ para præcipitatũ, & vna tinge millecuplũ argenti. Altius nõ potest extolli. Hæc ille. Trismosyno, nescio cui (vox τριδάσκαλον sonat, seu triũ cathedrarũ hominẽ) tribuitur ferè similis labor. Is primò facit calcem auri per aquam regiã, hanc postea reuerberat cum sulphure septies: deinde affusa aqua salis ammonii soluente digerit: Post digestionẽ reuocat aquã obseruato quindecim ictuũ inter guttas interuallo, quousq; ad viscosã auri consistentiã sit peruentũ, quã aqua dulci abluit, & resiccatã inq; cineribus locatam coquit ordine per grad⁹ colorũ vsq; ad rubrũ. Diuidit hãc materiã in æquales. Vni parti affũdit aquã salis ammonii & soluit, sicut antè; destillatq; vsque ad visco-

Trismosynus seu triplex magister.

Viscositas auri.

viscositatem. Cum hac postea miscet partem alteram reseruatam, & vnâ coagulat. In priore opere visa est nigrities. In posteriore negat eam apparere, sed post albedinem, citrinitatem, & tandem rubedinem acquirere. Huius Medicinæ partem vnam miscet cum quinquaginta portionibus auri, indeque fieri aliam Medicinam putat, cuius vna tingat argentum quinquagies tantum. Eiusdem dicitur esse & hic modus: Salis ammonii repurgati & per salem vulgarem purum sublimati vncia, iungatur salis tartari rubefacti trienti. Positis in tabula affundatur, seu aspergatur momentum spiritus vini fortis, vt sic in aquam soluantur, in cuius quadrante per mensem digeratur auri in folia extensi semuncia vitro clauso. Promittit sibi hinc mercurium per pannum exprimendum. Si quid non transit, id resoluendum denuo est. Huius Mercurii partibus septem immiscet auri foliati vnam, conteritque in marmore, vt fiat amalgama exquisitum. Hoc in viola cineribus includit, subiectoq; calore leni nigrescere cogit, postea cinerum colorem assumere, hinc albere & tandem erubescere, & ita perfectum fieri, vt in pruna nihil emittat fumi. Vocat mercurium fixum, eumque auget in hunc modum: Cape Mercurii solaris semunciam, hydrargyri vulgaris trientem, Mercurii fixi semidrachmam. Illos coniunge in catino, & calefactis insperge Mercurium fixum, mutabitur-

Alius modus.

Mercurius fixus.

biturque ipsius iudicio, in puluerem, quem iubet addere reliquo Mercurio fixo, à quo semidrachma est ablata. Ponit totum hoc in vitro in cineres, & calore per gradus adhibito coquit, non apparente nigredine, sed proueniente cinereo colore, qui aucto calore in album, & hinc in rubeum verti dicitur. Ita absoluta est operatio secunda, & augmentum primum. Si vis, potes mediam partem reducere. Reliquæ semunciam proijce super vncias sex hydrargyri vulgati, verteturque in puluerem. Hunc compone cum residuo, vndè sumpta est semuncia. Coque, vt prius, donec effeceris rubicundum puluerem, cuius iterum dimidium reducere potes, & alterum dimidium augere, idque quousque lubitum est. Hæc Trismosynus. Sed ego puto certiorem esse regulam Lullianam. Cum enim in his posterioribus ab initio non fiat mentio hydrargyri fœminei frigidi humidi, non video, quomodo actus procedere possit. Certè ex contrariis agentibus & patientibus motum generationis & corruptionis naturalis esse, non tantùm Peripatus confitetur, sed & Chymici Philosophi asserunt. Si solus est hydrargyrus auri cum suo corpore, quamuis ignis externus primi gradus admoueatur, non vincetur internus, nec à se discors fiet quod vniforme est totum. Ecclipsis quomodo eueniet absque duplici luminari? Nigredo sine aqua frigida humida non fit. Non nasci-

nascitur filius sulphur absque duorum coniugio. Radix operis transmutatorii est mercurius communis, inquit quidam. Vide supra quæ notata sint de necessitate mercurii. Quæ ergo apud hos autores leguntur, pro mancis habenda sunt, meritoque ex præceptis Lullii, Arnoldi, & aliorum artificum corrigenda. Rectius & accommodatius ad veterum præcepta sentire videtur is, qui hydrargyrum vulgarem aqua forti ex halonitro & duplo alumine lege artis facta soluit, & ad rubrum præcipitat, cuius partibus quatuor miscet vnam argenti lima in scobem redacti, & postea in sublime agit ignibus, ita, vt hydrargyrus reuiuiscens subuolet secumque trahat argentum. Sed cum non tota quantitas vna opera ascendat; is qui reuixit, præcipitandus denuò est, & reliquiis argenti in fundo subsistentibus per contritionem benè immiscendus, iterumque sublimandus, quod reiterandum monet, donec tota quantitas argenti subuolauerit. Huic mercurio fœmineo adijcit septimam auri præparati partem, & malagma inde factum igni Philosophorum coquit, donec per solutionem coagulationemque colores & cætera signa obtinuerit, & ad perfectionem peruenerit. Puluerem hinc existentem auget Mercurio crudo, & pro libitu reducit quantitatem aliquam. Alius ex auri semuncia, argenti ex cinabari cum argento natiuo cæmentata donec fluat reducti

Alius modus operis minoris rubei.

Alius.

vncia,

vncia, & hydrargyri triente cum ſemuncia ſecundum artem coquendo rubeum conficit puluerem. Alius ſoluit ſolem & lunam aqua mercuriali ex aquila nigra artis facta, idque ſeorſim in hunc modum: Auri cæmentati vncia inijcitur in aquæ mercurialis vncias octo & ſoluitur. Idem fit cum lunæ quadrante, & aquæ ſemiſſe. Solutiones ex interuallo ſenſim, ne efferueſcant, confunduntur, vaſeque clauſo anguſtiſſimè commouentur manu, vt probè miſceantur. Hora media elapſa imponitur alembicus, fitque deſtillatio vſque ad conſiſtentiam pulticulæ, quæ cum ſuo vitro per dies quindecim in fimum vel balneum ad putreſcendum infertur. Interim deſtillata aqua reſeruatur, & elapſo iſto tempore refunditur pulticulæ pars eius vna, iterumque clauſo vaſe digeritur 24. horis, vt ſoluatur, Pòſt effracto vitro effunditur aqua cautè in aliud vitrum, ſeruaturque: Reponitur alia, vt ſoluantur reliquiæ, idq; donec tota quantitas in aquam abierit. Feces in imo abijciuntur. Aquæ coagulantur in lapidem, qui adhibetur eo modo ad Mercurium vulgi in puluerem mutandum, & reducendum, ſicut præceptum eſt ſuprà. Sed nolo deſcribere, quæ plura de hac re particulariter extant, quanquam plæraque decurtata ſint, vt Delio natatore ſit opus, quem tamen Lulliana diligentia quodammodo præbuerit.

Alius.

De

De nostro magno opere ad album & ad rubeum.] Hic est titulus cap. 7. Sed, vt cognouimus, nihil aliud docet facere, quàm calcem rubeam augmentandam hydrargyro, & in aurum reducendam quod est opus minus ad rubeum. Imò sequens caput promittit, opus magnum & vniuersale, idque ex hoc ipso minerali, cuius tamen in illo ne mentio quidem fieri deprehenditur. Voluit nimirum Lullius quædam relinquere solertiæ discipuli, & nihilominus digito, quorsum prodire debeat, designare. Possemus tamen dicere, opus minus ad rubeum præcellentiæ nomine Maius appellatum fuisse respectu minoris ad album, & sequentem capitis 8. praxin exhibere vniuersale. Sed huic obstat tituli additamentum, quod non tantùm opus magnum ad rubeum, sed & ad album expedire velit, quodque nondum satisfiat alteri obiectioni cur nimirum ex minerali rubeo velit factitare vniuersale, quod tamen in processu non attingit. Hæc latibula diligenter sunt expendenda.

Quod nostrum est secretum.] Lulliine, an Philosophorum? Imo vtrorumque: Sed, si secretum est, num communicat verbis sequentibus? An aliud pro eo substituit? Nihil deprehendimus in praxi deficiens. Si sat commodè hac methodo licet rem expedire, cætera experientiæ commendemus.

Reduc in argentum viuum, de quo ad minus

habe-

habeas tres vncias.] Innuit non totam quantitatem mutari in argentum vinum. Rem poteris exemplo intelligere. Ita in lapide minore ad album ſcriptum alicubi extat: Calcis lunæ per aquam fortem communem factæ & aqua dulci rectificatæ certum notumque pondus miſce & contere in marmore cum media parte ſalis ammonii præperati. Miſturæ vitro forti impoſitæ affunde oleum tartari ad tres digitos. Claude vitrum, ne ſal expiret. Digere in fimo per menſem, eumque ſeptenis diebus denuo inſtrue calce viua, vt calorem continuet. Sic materia denigrabitur, vel pars eius vertetur in Mercurium viuum. Exime nigrã materiam, & aqua communi calente laua, quo ſalſedo ſecedat. Fit autem ablutio agitando, & poſt factam deſidentiam aquam deplendo, reficiendoque nouam. Puluerem ita dulcefactum exicca. Pone poſtea eum ad ſublimandum, vel ſeparandũ (in partes enim diuerſas ſecedit) in vaſe Philoſophico rectè clauſo per lutum magiſtrale in cineres calidos. Admoue ignem initio lentum, quẽ continua ad ſeptimum vſque diem. Vaſe frigefacto, poſtea in fundo reperies pulueres vel cineres gryſeos, aut mercurium viuum, qui eſt NOSTER mercurius. Hos pulueres actu in vitam reuocabis, ſi eos in patina vitrea cum bono aceto agitaueris. Inde enim viueſcunt. Serua hunc Mercurium diligenter in vitreo vaſe. Conſidera vero eius pondus ante omnia.

Nota aliam praxin ad album & analogicè ad rubeum.

Id enim pondus primũ huius mercurii transĳt ad primam augmentationem seu compositionem fixationis; secundum ad secundam, tertium ad tertiam & sic deinceps. In medio vasis deprehendes materiam spondylibus adhærentem, quæ repræsentat puluerẽ puniceum. Eam cautè subtiliterque per pennæ anserinæ caulem, aut argenteum instrumentum auffer, & serua preciose. Est enim sulphur nostrum Philosophicum, & aër, & spiritus tingens. Erit porrò etiam in fundo vasis materia nigra nondũ transmutata in mercurium. Exemtæ itaque adiice dimidiam partem salis ammonii, vt antè factum est; Contere benè in marmore; contritam perfunde oleo tartari; putrefac, laua, sublima, planè sicut prius. Si item hac quoque ratione restiterit aliquid non solutum; id pari arte tracta; Mercurios collige, donec ex argenti vnciis duabus confeceris vnam (& vix quidẽ) mercurii corporis. Hic vocari solet lapis benedictus à Philosophis & aqua permanens, quæ tamen permanens esse nequit sine suo corpore, & sulphure, à quibus est separata. Noli esse incredulus. Iuro tibi in fide catholica, quod, si habueris de tali Mercurio in hunc modũ parato qualicunque industria, attamen sine mercurio crudo vulgi, duntaxat vnciam vnam & de sulphure eiusdem tantùm duas drachmas, vel vnam ad minimum; scias pro certo, te habere magnum thesaurum, qui sufficit.

Sulphur Philosophicum.

Lapis benedictus Aqua permanens.

ficit tibi laboranti in tota vita tua, & ad infinitum tuum nutrimentum. Hæc ille. Vides ex argenti ſextante colligi vix vnciam mercurii. Iudico pariter de auro. Ita de ſulphuris quantitate refert alius artifex, quod ex ducentis ducatis vix extrahantur drachmæ ſeptem, ſicilicus ex marca; alii etiam minorem quantitatem nominant. Reliquit ille praxin imperfectam, in qua notabis. Abſque Mercurio vulgi fieri Mercurium Philoſophicum contrà ac voluit Richardus, quanquam neque hunc carpendum iudicem, cum diuerſis viis liceat ſæpè eodem peruenire. Si quæras ſupplementum huius laboris; dico id ex verbis autoris patere. Sulphur exhibet: exhibet & Mercurium Philoſophorum; & vtriuſque quantitatem notat; nempe Mercurii vnciam, Sulphuris drachmam vnam aut duas. Debet fieri aqua permanens ex mercurio. Sed quia volaticus eſt, non permanebit per ſe. Addendum ergo corpus proprium & proprium ſulphur. Iudico ergo ex manuductione Lullii debere corpus argenteum in amalgama cogi cum mercurio vulgari, pòſt miſceri mercurium phyſicum; tertiò addito ſulphure digeſtionem inſtitui, vſque ad completam albedinem, qui eſt lapis deſideratus, qui poſſit augeri & reduci. Nõ autẽ ſeſe aſtringit nimis arctè ad ſuũ modum iſte autor. Adijcit n. qualibet induſtria paretur mercuri⁹ iſte & ſulphur, haberi theſaurũ. Hæc eò plenius adduxi quia

cum ſuperioribus poſſunt capiti ſequenti aliquid lucis afferre.

Tunc dicitur Ecclipſis ſolis & lunæ.] Hoc iudicium non ponitur in lapide argenti, cum tamen & ibi nigredo appareat. Eadem appellatio eſt in cap. II. vbi de Elyxire rubeo. Lunæ quidem Ecclipſis ibi accidit; ſed non ſolis & Lunæ ſimul ſicut in opere rubeo & magno. Quin cum nulla Ecclipſis fieri poſſit abſque ſole, non merebitur illa obſcuratio nomen Ecclipſeos propter abſentem ſolem.

Erit commixtio vera, vnde gignitur filius ſulphur, quod plenum eſt ſanguine temperato.] Vera commixtio opponitur apparenti & ſophiſticæ, quam appoſitionem aut confuſionem potius nominaueris. Illa inſeparabilis eſt, vſque ad interitum. Vocatur & coniugium, ſeu actus copulationis maris & fœminæ. Vnde intelligimus in hac commiſtione ſeu coitu agere debere vim maſculinam in aquam fœmineam, vel ſemen maris in ſemen fœminæ, vt inde producatur natura quædam, quam comparatione appellant filium, hoc eſt, mutua actione & paſſione duorum effectũ opus, ab artificibus iterum parabolicè ſulphur nuncupatum. Gignitur autem, ſicut his oculis vidi, puluis quidam ater, qui ex intimo miſturæ corpore ſeparatur, & ad ſuperficiem tanquam per ſublimationem compellitur & innatat. Vlſtadius ait eſſe materiam nigram, quæ caput corui appelletur, ſitque initium omnis

Commixtio vera nõ fit tunc, cũ paratur amalgama, ſed in putrefactione.

Puluis ater.

omnis veræ & perfectæ ſcientiæ. Ipſe putat eſſe quintam ſolis eſſentiam, qua extracta ex Mercurio, nullum amplius aurum in eo conſpiciatur.

Quinta ☉ eſſentia.

Autor, quem paulo ante citaui, ſulphur habet precioſum ex Mercurio auri per decoctionem ſublimatoriam extractũ, cuius verba non puta ſimpliciter accipienda eſſe, ſi quidem conſentire debent cum cæterorum artificum commentariis. Alias notant magiſterium principiorũ ex metallis perfectis, quod etiam aliis modis abſolui non eſt ignotum.

Sulphur precioſum.

Nonnunquam ſulphur vocatur lapis albus, & rubeus, vnde, ſulphur album & rubeum, idque non tantum ante augmentum, ſed & poſt, vt videbis cap. 8. 9. & 10. &c. De hoc quoque poſt primam coagulationem, & poſtea fermentationem facto poterat accipi vox Lulliana. Sed ſubtilitas comparationis, quam tamen myſteria non multum curant, obſtat. Nam illa duo ſulphura, quorum vnum ante fermentationem conficitur, alterum poſt, non habent rationem filii commixtione parentum geniti, ſed ſunt id, quod fit ex lacte virgineo & ſulphure nato per nutritionem & coagulationem Phyſicam, hoc eſt, lapis dictus vulgo. Illi vero parentes iam non ſunt à filio ſeiuncti, ſed cum ipſo vnum facti, iamque amiſerunt rationem gignentium, aliud nomen, cibi, vel lactis, vel Mercurii, vel ſanguinis ſui, vel menſtrui, &c. ſortiti.

Res rubeæ artificum.

Rubea vt cinabrium.] Colorem rubini carbunculi vel ſanguinis Draconis minii natiui & cinabaris factitiæ ei aſſignant. Alii rubedinem ſummam totius mundi nuncupant: vel ſalamandram rubeam ob fixitatem. Sanè aurum etiam cæmentatum ſæpius erubeſcit pulchré, quem calorem conſpicimus etiam in ære. Hinc Philoſophi in materia deſignanda vtuntur voce æris ſui: vel ſulphuris rubei: vel calcis rubeæ: vel ſanguinis rubei leonis, quanquam alii auri primam materiam ſpiritu vini perfundant, & dimidio menſe in balneo putrefaciant, liquoremque rubeum inde exiſtentem appellent ſanguinem leonis rubei: ſed, vt ego puto, myſtice. Apud Triſmoſynũ eſt præcipitatus rubeus, ſeu lapis Rubeus ex iſto ſanguine, cuius praxis, quia Lullianæ reſpondet, non grauabor eam apponere, vt conſenſus artificum pateat eò illuſtrius.

Aes noſtrũ quid.

Præcipitatus Rubeus ex ſanguine leonis.

Nota aquã viſcoſam Philoſophicam.

Solue aurum in primam materiam, hoc eſt ſubſtantiam viſcoſam, butyraceam, per aquã ſoluentem cœleſtem ex alumine, halonitro, ſale toſto & hydrargyro ſublimato (vt ſuprà retuli) compoſitam, quanquam poſſimus idem conſequi aqua ammoniaci ſalis & aliis Mercurialibus. Solutio vero rectius procedit, ſi aurum prius per regiam calcinatum, reuerberatum ſit cum ſulphure vitrioli ſublimato, vel cinabari ter ſuper lamina candente.

Sulphur autem vitrioli inuenitur in regione

gione septemcrastensi, & sublimatur cum pari alumine. Postea subduplum ad auri calcem sumitur prima vice; secunda dimidio minus; tertia iterum dimidio minus. Aliqui contenti sunt sulphure citrino vulgari. Materiā hanc diuide in partes duas. Vni in cucurbita positæ affunde vini spiritū bonū, putrefac in balneo diebus quindecim. Ita fiet liquor rubeus, qui vocatur sanguis leonis rubei. Hunc sanguinem include cucurbitæ congruæ. Adiice alteram partem materiæ auri prius ex diuisione reseruatam. (Si velles sentire cum LVLLIO, Mercurium solis copulares cum amalgamate argenti, & coqueres misturam per gradus ignis, vt dictum est capite septimo Clauiculæ. Inde fieret calx rubea, quam resolueres iterum in Mercurium per menstruum fœtens, adderesque alteram reseruatæ materiæ partem, & pergeres, vt Trismosynus porrò monet, &c. Certè nihil alienum debet intrare opus. Itaque liquor vini spiritus repudiatur, si absque mysterio sit, seu, si non sit metallicus, patet autem ex Pantheo vinum ab artificibus dici aurum. Huius Spiritus nihil aliud est, quam Mercurius eius.) Claude vas Hermeticè, & pone in cinerem elutum resiccatumque & repurgatum ea altitudine, vt medium eius conspiciatur. Adhibe ignem subtilem, qui comparatur solis in leone existentis calori. Relinque ibi, donec materia nigrescat. Perge

Sanguis rubei leonis.

calore eodem, donec nigredo transierit. Tunc auge eum gradu vno, & solent prodire colores pulcerrimi (Caudam pauonis vocant, quã maximè in praxi fermentationis conspicimus ante perfectam albedinem, cum ex nigro transitus est) intende ignem vsque ad albocinereum, & euadet materia incombustilis. Tandem igne quarti gradus ex citrino rubescet. Hic puluis ruber miscetur cum millecuplo auro Vngarico, abitque in Medicinam, cuius vna pars proiici potest super mille argenti æris, aut stanni fusorum. Sin transmutare hydrargyrum animus est, prius miscetur millecuplo hydrargyro, fitque Medicina ad hydrargyrũ millies millecuplũ. Oportet tamẽ aurum hoc commiscere cum alio auro, quod ex chalybe factum sit vel ferro. Nam huius duritia contemperabit illius mollitiem. Fit autem ex chalybe per proiectionem Medicinæ, tantum super ignitum. Non enim opus est liquatione, sed satis est aspersio, qua facta, iterum in ignem immittitur, inque eo conflatur. Hæc Trismosynus ille, quæ certè cum Lullianis ita conueniunt, vt videantur inde sumta. Est tamen in eodem libro alia praxis, quæ videtur plenius exponere illam diuisionẽ materiæ primæ, & confectionem compositionemq; cum sanguine leonino. Hæc ita habet. Calx auri prius ter reuerberanda est cum sulphure vitrioli, sicut antè exposui. Postea abluenda, & mundanda diligenter per spiritũ

Aurum ex ☿ miscendum cum ☉ ex ♂.

salis

ſalis tartari, & aquam dulcem. Tertio ſoluenda in aqua mercuriali ex ſublimato. (Hæc fit variis modis vt: ℞.mercurii ſublimati lib.j. ſalis amm. lib.ij. contrita ſublima, donec per alembici foramen demiſſa virga ferrea nigredinem in fundo, quæ eſt fixum corpus, deprehendas. Refrigerata fornace hanc exime & ſepone. Album ſublimatum iterum impone & ſublima, donec noua euadat nigritia. Hanc quoque collige, & cum cæteris partibus perge quousque totam quantitatem redegeris ad nigrorem fixum, Nigritias omnes coniunctas in aquam ſolue per deliquium. Hæc eſt mercurialis illa, qua corpora perfecta ſoluuntur. Alii ſublimatum hydrargyrum crebrò à vitriolo, (vel tartaro albo calcinato) alumine & ſulphure ſublimant: Sublimatum ſoluunt in liquorem ſuper ſtanno in loco frigido: liquorem deſtillant tam ſæpè, vt planè fiat ab omni fece liber. Alii modi alibi ſunt expoſiti.] ſoluenda, inquam in aqua mercuriali cœleſti beneficio vaporis balnei, in quo detinetur per triduum. Poſtea effunditur aqua mercurialis. Auri ſolutio includitur vitro (proculdubio prius eluta rectè ab omni ſalſedine) & ponitur in cineribus. His ſubiicitur lampas ex oleo cum Ellychnio ſex filorum. Ita debet manere diebus triginta. (Interim penitus reſoluetur & nigreſcet.) Deinde adhibetur ignis fortior filorum octo iterum per menſem.

Aqua mercurialis.

Aquila nigra maculata Atrolica, licet etiã fiat ex veneno cadmioſo nigro ſodinarum argenti, &c. liquor idẽ.

Tertiò admouetur ignis viginti filorum

Aqua permanens iūcta corpori euadit permanens.

diebus quindecim, qui eſt coagulatorius. Hic lapis primus fermentatur auro materiali, & figitur. (ſed quomodo id fieri poteſt, niſi aut reducatur in mercurium, aut auro liquato ille puluis ingeratur? Subintelliges itaque horum modorum alterutrum.) Aurum fixum diuide in partes duas. Solue id in Mercurium ſeu primam materiam per menſtruum mercuriale in balneo, quo vſus es principio. Huic materiæ primæ adde alterum dimidium auri ſuperius fixi & diuiſi. (Itaque ſanguis rubei leonis iam foret lapis fermētatus, vel calx Lullii viua rubra fermentata; vbi tamen notandum eſt aliàs in magno opere poſt fermētationem ſtatim ſequi augmentum & tincturam. Itaque deprehendes hîc variationem aliquam; & tamen generalem proceſſum. Nā ſæpè reuocandus lapis eſt ad mercurium, qui vbiuis poteſt dici prima materia, ita, vt tot ſint materiæ primæ, quot reſolutiones.) Pone in vitro Hermeticè obſignato in cineres præparatos ſecundum artem ante expoſitam. Adminiſtra ignem ſeptem filorum per dies viginti & vnum, donec materia nigreſiat. Secundo ſubiice ignem filorum decem per dies quindecim & euadet cinerea, poſteaque alba, præmiſſis tamen colorib. variis inſtabilibus. Tertiò auge ignem ad fila vſque duodecim, & citrineſcet, indeq; igni grad⁹ quarti rubeſcet. Si iterum reſoluas & opus repetas, adeo augebis lapidem, vt multa tingat millia. Talis eſt & hæc

hęc praxis. Quod ad ignes attinet, notabis dissensionẽ. Sed omnino sciendum est, quod primo gradu nigrescat, secundo coaguletur vsq; ad cinereum, tertio albescat, quarto citrinum & rubeum euadat opus. Cæterum, sunt & alia rubea artificib. veluti Leo ruber, qui idem est cum sulphure rubeo, quod in mercurium resolutum & digestum dicitur sanguis leonis rubri, vt ante dictum est, fitq; ex auro ipso. Est & lacerta rubra, quam aliqui appellant colcotar, seu vitriolum rubefactũ, sicut lacerta viridis, vitriolum Vngaricum est, & Leo viridis Mercurius primus auri, aut etiam crudus alteratus corpore lunari. De præcipitato vulgari, & vsifurę, & chalcantho æris rubefacto, item de croco martis vario, alibi dictum est. De sanguine hominis ruffi, quem aiunt esse Sulphur ex auri Marcasitha, multa sunt vetusta commentaria. Puto autem & per hunc interdum auri mercurium, vel ex hoc præcipitatum intelligendum esse. Non enim semper fluit sanguis; sed est interdum concretus. Ex dictis patere potest illud, quod Paracelso tribuunt legiturque in Tincturæ eius cap. 4. Sumite nihil amplius, inquit, quam de rubeo leonę sanguinem roseum; & de aquila gluten album. Postquam hæc coniunxistis, coagulate iuxta processum veterum, & habebitis tincturam Physicorũ, quæ est nobilior eò, quod antè fuit. Leo autem quæratur in Oriente & aquila versus meridiẽ ad opus nostrum: & instrumen-

Ignium gradus.

Lacerta rubea.

Leo viridis.

Dictum Paracelsi de leone rubro.

ſtrumenta meliora nõ inuenies, quam Vngaria & Iſtria poſſunt. Si vero velis de vnitate per dualitatem in trinitatem cum æquali cuiuſque permutatione perducere: verſus meridiẽ te verte, & in Cypro voti compos fies. Hæc ſecundum Lullium & alios ſignant ſulphur rubeum ſeu calcem rubeam ex auro, & hydrargyrum calcis viuæ lunaris, vel etiam mercuriũ Lunæ cum hydrargyro factum, vt ſic mas & fœmina iungantur, & coagulentur digeſtione continua. Nota tamen Aquilam etiam vocari Mercurium Solis, & cum rubea auri calce poſſe hunc coagulari ad excellens Elyxir. Notat Pantheus Venetus (qui materiam ex rebus quatuor conſtituit, auro ſcilicet, argento, mercurio & oleo vitri, quæ tamen ad vnam naturam rediguntur, vt omnino ſit res vna) terram rubeam cum aqua ſua mundificata in ſuo vaſe mediante igne & ære iungẽdam, ſoluendamque eſſe, vt fiat aqua ſicca, vel fumus albus per viam putrefactionis, quæ ſit clauis operis. Addit, medium cœli & meridiem idem eſſe, quod Luna & argentum, magneſia alba, nigredo, &c. Orientem vero ſignificare nihil aliud quam oleum rubrum, patrem, rubinum, vitriolum rubeum, maſculum, ſalem vrinæ, Solem, ſulphur rubeum, aurum, arietem, æſtatem, cancrum, cinerem tartari, mineram, vinum, oleum martis, &c. Occidẽtem vero eſſe mercurium, radicem, Saturnum hyemem, hermaphroditum, caput corui, aquã viuam,

In vna re conſiſtit totum magiſterium, in oleo vitri, argento viuo mundo, animato, rubificatoque.

viuam, aquam viſcoſam, &c. Ipſe quoque Paracelſus in Theſauro duo mineralia naturæ in viſceribus terræ attribuit, ex quibus optimum foris in figura maioris mundi ſit in oriente aſtri ſphæræ Solis, alterũ in aſtro meridionali, &c. Ex his ænigma de leone in oriente, id eſt, auro quærendo; de aquila verſus meridiem, id eſt, in Luna vel argento, facile innoteſcit, Vngaria & Iſtria loca ſunt metallorum iſtorum fœcunda. Vltima verba de vnitate per dualitatem in trinitatem perducenda, de augmento intelligi poſſunt, quod in lunari lapide procedit ad æs tranſmutandum poſt tertiam amplificationem. Hactenus de capite ſeptimo.

CAP. VIII.
Clauiculæ.

DE MODO TRANSMVTANDI prædictum minerale in Medicinam tranſmutantem omnem ſpeciem metallorum in verum Solem vel Lunam, etiam argentum viuum vulgi in meliorem omni metallo de minera.

IN *prima ſolutione vnum pondus ſupra centum: in ſecunda ſupra mille cadit, & multiplicatur proiectio diſſoluendo, congelando, ſublimando, & fixando noſtram materiam, quæ poteſt multiplicari ſic in infinitum quantitate & virtute. Recipe igitur de noſtra minera alba, & diſſolue in noſtro menſtruali fœtente,*

tente, quod in nostro testamento vocatur acetum nostrum album in eo capite, vbi diximus: Accipe de bono vino benè sicco, in quo pones Lunæ, id est, aquæ viridis, & Solis, id est, salis petræ: Verum ne erretis, pone quatuor vncias de nostra calce viua in menstruali vt dissoluatur, & statim dissoluetur in aqua viridi. Item in tredecim vnciis eiusdem menstrualis fœtentis, dissoluetis vncias quatuor argenti viui benè loti, & vbi dissolutum fuerit argentum viuum, coniunge ambas dissolutiones simul: & vas benè clausum pone in digestione in fimo equino dies triginta; quibus exactis, fac distillare in balneo, quoad habebis omnia. Deinde recipe in alio, vt inde oleum extrahatur in igne carbonum. Tunc materia residens erit nigra, quam pone in furnello super cineres ad destillandum per duas horas. Post refrigerationem, aperi vas & pone aquam destillatam per balneum desuper. Laua benè. Destilla menstruum per balneum, & oleum per cineres, vt supra fecisti. Et hoc faciendo toties reiterabis, quousque materia remaneat, sicut carbo, nigra in fundo vasis. Fili doctrinæ, habebis tunc caput corui, quod Philosophi tantum inuestigarunt, sine quo in magisterio nihil fit. Idcirco, Fili, mente teneas diuinam Cœnam domini nostri IESV CHRISTI, *qui mortuus fuit, sepultus & tumulatus & luce tertia resurrexit in terram permanentem. Fili mente teneas, quod nullum Ens potest vita perpetuari, nisi prius mortuum fuerit. Recipe ergo tuum corpus nigrum, & calcina in eodem vase per tres dies, & post mitte refrigerari, & aperiendo vas inuenies terram spongiosam, & mortuam, quam seruabis, quoad o-*

Caput corui.

ad oporteat facere coniunctionem corporis cum anima. Recipe aquam, quæ per balneum est destillata, & destilla sæpius, quoad sit depurata, & reducta in materiam crystallinam. Imbibe igitur tuum corpus, quod est terra nigra de sua aqua propria paulatim rorando, & coquendo, quoad corpus sit album factum, & multum splendens: Et tunc aqua est illi infusa, quæ viuificat, & clarificat. Tunc da ignem vehementem in eodem vase suo lutato, ac si velles sublimare mercurium vulgi per duodecim horas. Aperi vas frigefactum, & reperies sublimatam materiam tuam albam, quam vocamus terram sigillatam, Nostrum corpus exaltatum, & positum in magna dignitate: Sulphur nostrum: nostrum argentū viuum: Nostrum arsenicum: vbi seruare debes nostrum aurum, quod est nostrum fermentum, & nostra calx viua, & inter se gignit filium ignis, qui est amor Philosophorum.

Sulphur
Arg. viu.
Fermentū:
Aurum nostrum.

SCHOLIVM.

INTERPRETABOR prius hoc caput secundum literam. Deinde sensum sub illa latitantem eruam, iuxta consensum vetustatis. Vult prædictum, Capitis scilicet septimi, minerale transmutare in Medicinam vniuersalem, quæ tum Mercurium vulgarem, tum imperfecta METALLA trans-

transſmutet in aurum vel argentum. Vult ergo docere medicinam duplicem, vnam ad album, alteram ad rubeum, quia licet per Phœnicem, ſeu aquilam rubeam quidam polliceantur vim argentificam in auro, & aurificam in cæteris metallis, tamen opus vniuerſale, quod non mutat aurum, ſed hoc pro ſcopo habet, & ex cæteris vtramque pollicetur, aurum nempe & argentum, planè duplicem requirit.

Lege tamen etiam alteram expoſitionem.

Huius quænam eſt materia? *Minerale*, inquit, *prædictum*, hoc eſt, lapis ille albus, & calx alba, ſeu minera alba, non capitis tertii vbi particulare ad album deſcribebatur, & minera prior, quæ huic ſecundæ eſt pro materia ex parte, ſed capitis ſeptimi, antequam ſcilicet ad rubedinem perducatur. Memineris ergo cum in illo præcipitato ſeu calce rubea facienda perueneris vſque ad albedinem conſummatam, partiendum opus eſſe, & portionem albæ calcis ſeruandam ad vniuerſale perficiendum; portionem alteram excoquendam gradu ignis quarto in hunc finem, vt pars eius poſtea ſit pro fermento; pars vero interim queat multiplicari & ad neceſſitates vitæ cum auro reduci. Non autem poſſe accipi mineram ex mero argento capitis tertii, arguit etiam natura lapidis vniuerſalis, quæ non conſtat ex argento & hydrargyro duntaxat, ſed & ex auro. Ita etiam rata eſt capitis ſeptimi inſcriptio quæ pollicetur doctrinam magni operis

peris ad album & ad rubeum. Quo vero modo & quibus artificiis ea elaboratur? Id statim exponitur in principio capitis, mentione dissolutionis, congelationis, sublimationis, & fixationis. Nec refert, licet dicat istis ingeniis multiplicari proiectionem. Nam idem est processus augmenti & multiplicationis, qui est primæ præparationis. His laboribus quas acquirit vires? *In prima solutione*, inquit, *eius vnũ pondus cadit super centũ; in secunda super mille*: Hoc est: Bis Elyxir est elaborandum iis modis soluendi coagulandi, sublimãdi, & fixandi. Postquam prima vice est absolutum, possumus vna portione centuplum mercurii, aut corporum imperfectorum transmutare. Tantum acquisiuit efficaciæ. Atque ideo etiam iam potest proiici, cum ante hanc exaltationem, duntaxat posset reduci cum corpore suo. Sed cum secundo quoque perfecta Medicina est, iam vna portio tingit millecuplas, quanquam nullibi quicquam possit sine fermento suo, quo penitus figitur; & licet transformationis specimen etiã absque fermento edat; tamen id iudicatur rude, imperfectum, & instabile, quod nõ queat durare per omnia corporum perfectorum examina. Sed videamus iam laborẽ ipsum, cuius prima pars est solutio. Hæc, cum nõ possit fieri absq; aqua soluente, quod Lul. est menstruum fœtens; neq; tamen conducit quælibet: Itaq; in fine clauiculæ cap. 16. peculiarẽ exhibuit descriptionem, cuius titu-

Cap. 9.

Cap. 10.

Literalis sensus iubet soluere mineram per menstruum

fœtens ferè his verbis, quæ cap.3. & 7. leguntur.

lus indicat compoſitum id menſtruum eſſe pro lapide diſſoluendo, quo nomine appellatur minera ſecunda ex minera prima, & auri amalagmate facta. Recipe, inquit, vitrioli Romani rubicundi (rubefacti per calcinationem, vt eſt artis) tres libras; ſalis petræi vnam, cinabaris (factitiæ) quadrantem. Contere in marmore, immiſſaque in amplam firmamque cucurbitam perfundantur aquæ vitæ rectificatæ ſepties quantitate conueniente. Quidam irrigant duntaxat materias vini quinta eſſentia, ſed eas oportet tunc ſublimatas eſſe, ſicut apparet in aqua ſoluente ex ſale ammoniaco ſuprà deſcripta. Sed ex ſententia Lullii madefactam ita materiam cum ſuo vaſe benè obſignato in fimo equino per quindecim dies macera. Deinde, ſi cucurbita recta eſt, impoſito alembico cum receptaculo deſtilla, initio quidem igne lento de more, donec aqua tota exierit in receptaculum Cum nihil amplius fluit; auge ignem, donec ab halitibus exurgentibus alembicus ruber inſtar lixiuii, ſeu puniceus appareat. Hinc iterum intende, quouſque denuo albeſcat. Tunc ignem ſenſim remoue, & per noctem ſine vaſa refrigeſcere. Abſtracto receptaculo menſtruum exime, & circula in pellicano, donec ſedimentum fecerit: (potes & in cucurbitam mundam immittere.) Debet vas exacte clauſum eſſe, ne effugiant ſpiritus. Deſtilla modeſtè. De-

Aqua ſoluens cœleſtis.

ſtillatum

ſtillatum iterum circula & deſtilla, idque vſque ſepties, vt planè fiat aqua cœleſtis & ab elementari inquinatione liberetur. Tunc vtilis erit ad opus. Cape iam mineræ albæ ſuprà expoſitæ vncias quatuor. Affunde menſtrui fœtentis modò dicti pondus iuſtum (ferè ad tres digitos.) In alio vaſe cape mercurii vulgaris benè per oxalmen abluti vncias quatuor. Affunde eiusdem menſtrui vncias tredecim. Diſſolue. Interim diſſoluta erit etiam minera. Statim enim, inquit Lullius, ſoluitur in aqua viridi. Vtramque ſolutionem confunde ingenioſe, ne quid turbarum excites. Claude vas exactè. Pone ad digeſtionem in fimo per menſem triginta dierum. His exactis deſtilla in balneo, & abſtrahe aquoſitatem totam: (vnum Elementum.) Transfer materiam in vas aliud, & igne carbonum prolice oleum deſtillando. (Elementum aliud) in fundo reſiſtet materia nigra quam in furnello ſuper cineres deſtillabis per horas duas (duo Elementa reſidua) ſeruanda autem quælibet deſtillatio ſeorſim eſt, & in prima abſtractione aquæ non procedendum vltra conſiſtentiam olei. Hoc enim ſecunda demum deſtillatione alio igne prodit. Porro, cum poſt tertiam deſtillationem in cinerib. peractã, vas refrixit, aperi id, & affunde aqueũ elementũ ꝙ balneo prolicueras. Laua benè, ſeu macera & aliquoties agita. Deinde deſtilla in balneo, & omnẽ aq. menſtrualẽ, quę

Oleum eſt Elem. aereum mercuriale: aliter ſulphur nigrum.

Oleum ſecundum

aſcendere poteſt, abſtrahe. Oleum autē quod reſtat, per cineres elice, & ſerua. Capiti mortuo nigro iterum infunde menſtruum, & in fimum vaſe clauſo ad macerādum pone, poſtea deſtilla aquam in balneo, oleum in cinerib. & repete hoc opus tantiſper, donec omnę oleum ſit exhauſtum, & materia in fundo reſidua ſit inſtar Carbonis nigra. Hoc eſt caput corvi à Philoſophis quęſitum. Corpus hoc nigrum in eodem vaſe relinque, & in igne calcina per triduum, vt planè exuccum, & mortuum euadat, repræſentans terram ſpongioſam, quam ſerua quouſque cōiunctio corporis cum anima ſuſcipiatur. Nam illa nigredo eſt corpus mortuum, cui reddenda eſt anima ſua ſeu ſpiritus animans prius extractus. Hactenus ſolutio. Sequitur coagulatio. Aquam, quā ante per balneum extraxiſti rectifica depuraque repetitis deſtillationibus, donec ad ſuam puritatem, ſplendoremque cryſtallinū ſit perducta. Tunc recipe corpus, nigrum mortuum & in puluerem redactum, poneque in vitrum coagulatorium, aut in eodem, ſi non fecit vitium, dimitte, vt opus fiat in vno vaſe. Imbibe id aqua ſua propria, ita, vt ſenſim per interualla irrorando eam immittas. Poſtea clauſo vaſe coque, donec aquam ſuam corpus aſſumſerit, ſibique vniuerit. Tunc iterum recluſo vaſe aliam portiunculam inſperge. Et age coquendo ſicut prius. Perge nutriendo imbibendoque, donec totam aquam

Terra nigra ſpongioſa.

quam consumserit corpus, & sic anima sua ei sit reddita. Diligenter attende, ne nimium affundas. Debet enim sicictas humiditatem exuperare. Deinde ignem ea industria rege, vt, cum in putrefactione vsurpaueris gradum primum, hîc non multum eum excedas præsertim in initio, vbi debet ita moderari, vt vnà maneant aqua & corpus. Aliâs sursum contendit aqua ob caloris excessum. Cum etiam corporis quantitas per repetitas nutritiones crescat, & paulatim stabilius euadat totum; potes paulatim quoque calorem augere, sed admodum circumspecte. Ita paulatim peruenis ad secundum gradum, & sensim sese subducit nigredo, apparetque cauda panonis circa finem, abitque in colorem cinereum & hinc mouetur ad albedinem claram & splendentem. Aqua enim iam coagulata redditaque & vnita corpori mortuo vitam ei & splendorem restituit. Cum albedo intensa apparet, subministra ignem sublimatorium, qui est tertii gradus, qualis solet vsurpari, cum Mercurius sublimatur. Is durat horis duodecim, post quas paulatim refrigescat opus, & tandem vase recluso fractoque inuenies materiam albam virtute sublimatam exaltatamque. Neque enim iam loco sublimari potest, sed fixione & cæteris viribus ad transmutationem aptis est nobilitata. Hæc appellatur Elyxir, terra sigillata ob vires medicas, corpus Philosophicum exaltatum, nobilita-

tumque ob virtutem tam medicam quam transmutatoriã; Dicitur & sulphur & argentum viuum Philosophorũ coagulatum. Continet enim in se sulphur perfectum & mercurium verum fixum, quo tanquam semine vtitur artifex ad materiam metallorum imperfectorum, hydrargyrumq; perficiẽdum, quasi ex natura accepisset vim plasticam seminis & actiuam ad metallum perfectum. Aliqui appellant etiam arsenicum Philosophorum, ob similitudinem tincturæ, & quia sulphuris est compar. Sed notandum tamen est, hoc Elyxir ad rubeum non esse statim, sed oportere ei iungi aurum Philosophorum, hoc est, calcem viuam rubeam, quæ cap. 7. erat concinnata. Ex his duobus porro nascetur filius ignis, qui est amor Philosophorum, hoc est, Salamandra illa rubea, quæ in igni manet, eoque gaudet tanquam amico vtpote, cum etiam per ignem Philosophorum adhibito communi sit extructa. Omnino, vt sequetur capite vndecimo, Elyxir rubeum perfectum inde fiet, cuius proiectione super corpus suum, hoc est, aurum, efficitur Medicina millecupla, cuius pars vna proiici potest super mille corporum imperfectorum: vel, si aucta est per hydrargyrum, hunc transformabit in aurum, si præsertim adhibeas societatem Martis, hoc est, vel Chalybem ad constantiam addideris, vel prius hunc proiectione transmutatum auro ex hydrargyro facto illiquaueris.

Hactenus

Hactenus de litera capitis octaui, quanquam plurima ſint etiam ad ſenſum adiecta. Sequitur explicatio ſecunda, quam tamen paucis perſtringam.

OPVS MAIVS LVLLII continuum, & nonnihil ad aliorum artificum mentem reuocatum.

PRIMO præparanda eſt calx viua Philoſophorum, ex qua, tanquam minera, petitur futuro operi materia præſtantiſſima. Ea eſt duplex, alba, & rubea, & vtraque etiam per ſe metallifica eſt, & titulo operis minoris commendatur. De alba hæc ſunt præcepta: Hydrargyri ſpirituoſi, (ſeu per deſtillationes crebras, ablutioneſque ita ſubtilis redditi, vt omni depoſita ſorde non amplius hydrargyrus dici mereatur, ſed ſpiritus eius, fitq; iſta depuratio plærumq; per calcem tartari, & ſalem acetumque) cape vncias quatuor. Has cum argenti puri puti (ſepties fulminant, & abluunt aqua tartariſata, poſtquam in bracteas tenues redegerunt) quadrante ita compone, vt fiat pulticula, quã malagma, ſeu amalgama vocãt, quamq; oportet cõterendo, & abluẽdo penitius attenuare, & repurgare, vt nihil appareat, niſi hydrargyrus. Aliqui etiã iubẽt per goſſipinũ pannum traiicere, vt planè cõſtet de attenuatione. Cũ hoc malagmate confunde vnciã Mercurii lunaris, quẽ per menſtruũ ſoluens,

Spiritus argenti viui ℥iiij.

Argenti ℥iij.

Mercurii ☽·℥j.

& oleum tartari Lullius ſupra ex corpore extraxit. Hic debet exacta miſtio fieri, vt vndiquaque Mercurius corporis malagmati vniatur. Itaque nonnulli in vitro vehementer agitant; alii traiiciunt ſæpe per pannum; alii terunt. Tandem Geranio vel cucurbitulæ incluſa tota maſſa ſignato orificio reponitur in catinum cinerum in furnello Phyſico, ibique blando calore lentè coquitur, quouſque ſignum appareat ſolutionis, quod eſt nigredo. Hoc principium operis eſt, & internæ miſturæ vnioniſque argumentum certum. Pergendum autem in illo gradu eſt, vſque ad ſpiſſitudinem materiæ, & colorem gryſeum, quo apparente ſecundus gradus ſubminiſtrandus, donec procedat albedo, quæ tertio gradu redditur niuea, cum conſiſtentia pulueris, vel cinerum. Hæc eſt minera illa alba, cuius poſtea erit vſus. Apud alios legas ſex partes mercurii lunaris commiſcendas eſſe cum vna calcis argenteæ: Miſturam tribus menſibus digerendam, vt ſoluatur corpus: poſtea ſolutionem includendam vitro fixatorio Hermeticè obſignato, & in arena calente repetitis ſublimationibus per gradus ignis, ſemper verſo vitro ſicubi ſublimata eſt, donec abeat in puluerem album, quem poſtea augmentant cum eodem mercurio arte eadem, vſque ad decimam vicem, qua peracta mercurio corporeo ſubſtituunt vulgarem elutum. Sed ego te admoneo, vt induſtrius ſis in hoc opere. Forſan enim

Alia minera alba.

enim opus erit particulari imbibitione, ſi corporea virtus non ſit ſatis efficax. Negant autem excedi debere Mercurii quantitatem in augmento, ne frigidior res iuſto fiat, & coagulatio fixatioque differatur nimium. Sed, ſi Lullii proceſſum ſequeris, quia non parua opus eſt quantitate mineræ albæ, oportet, vt eam augeas adiectione vnciarum duarum hydrargyri puri, vel etiam Mercurii lunaris, aut vtriuſque miſti. Augmentum hoc conſtat eadem opera cum priore apparatu. Nam & hîc per gradus ignis, 1. 2. & 3. pergendum eſt vſque ad albedinem niueam, & poſtea opus denuò inſtaurandum, quouſque ſufficit. Si libet frui labore hoc, potes aliquam partem argento immiſcere, & reducere in corpus, vt Lullius docuit cap. 6. Sed reſeruanda tamen debita quantitas eſt, ad vſum magni operis. Minera rubea hac praxi perficitur. Fac menſtruum ſoluens mercuriale, quale eſt apud Lullium cap. 15. clauiculæ. Per hoc reſolue vncias quatuor calcis viuæ albæ in mercurium. Huius cape tres vncias. Poſtea cum auri puri puti, per antimonium & cæmentum ſatis mundati ablutique liquore ſalis tartari, & in calcem aut bracteas tenuiſſimas diducti, vncia miſce quadrantem ſpiritus hydrargyri vulgaris, vt fiat amalgama ſecundum artem, vt priùs. Confunde malagma hoc cum mercurio lunari, ita, vt penitiſſimè vniantur. Lullius vnit in vitro, quod clauſum manibus

Argenti ℥j. mineræ ℥iiij.

Minera rubea.

Merc. mineralis ℥iij. Auri ℥j. Spir. argenti viui ℥iij.

potenter commouet, vt ſic fiat applicatio per minima. Deinde vas cum materia inferni furnellum, & mediantibus cineribus coque per gradus ignis. In primo apparebit Eclipſis ſolis & lunæ, hoc eſt, nigrities, quæ & ſulphur, & oleum vocatur, indicatque ſolutionem & commiſtionem veram intus peractam eſſe. Tunc perducendus calor eſt ad ſecundum gradum, qui durat vſque ad albedinis principium, ſeu gryſitiem eſtque coagulatorius. Albedo requirit gradum tertium, vt fiat niuea. Hinc quartus eam mutat in rubedinem cinabarinam, quæ eſt calx viua rubea, cuius, vt copiam habeas non pœnitendam, vtere arte capitis quinti, & appoſitis ad vnam partem quatuor vnciis hydrargyri eluti, profer quantitatem, quouſque libet. Sed tamen ſeruanda portio eſt, vſque ad vſum operis magni. Reliquum potes cum ſuo corpore eliquare & reducere in aurum. Nonnulli Mercurium ſolis primò parant, & ex eo ſeruata parte tertia, duas percoquunt, ita, vt ſeptima portione calcis ſolaris adiecta præcipitent ſenſim. Diuidunt nempe calcem ſolarem in tres partes. Vnam commiſcent, & ſoluunt in cineribns menſe primo. Tunc ingerunt ſecundam atq; etiam ſoluunt menſe. Tandem tertiam menſe tertio addunt. Ita malagma factum eſt, quod in peculiari vitro figunt, vt paulo antè de argento eſt relatum, vertentes vitrum duodenis horis, vel

Proceſſus alius ad rubeam mineram.

vel quantum tempus ſit iuſtum. Puluerem rubeum augent primo reſiduo mercurio ſolis; deinde quatuor hydrargyri partibus ad vnam præcipitati poſitis, idque repetunt quouſque animus iubet. Ita parata eſt minera rubea. Iam perueniendum tandem ad operis maioris apparatum. Ad hoc tria requiruntur, ſol, luna & hydrargyrus, quomodo hactenus ſunt præparata. Nam neutiquam vulgare aurum, aut argentum aut hydrargyrus intelligenda ſunt, ſed Philoſophorum. Eſt autem minera rubea aurum Philoſophorum, alba eorundem argentum; Mercurius autem in ſocietatem aſſumto ſpiritu hydrargyri, is, qui ex tribus in vnum conflatur. Praxis ita habet ad ſenſum potius ex conſpiratione cæterorum artificum, quàm literam Lullii. Vnciam vnam calcis viuæ rubeæ ſolue in tribus vnciis hydrargyri ſpiritualis. Include vitro obſignato, & digere per menſem in fimo, quouſque probè ſit peracta ſolutio. Tunc adde mercurii ex minera alba ſeu calce argentea vncias quatuor, quas facere potes illo mẽſtruo, quod cap. 16. clauiculæ eſt deſcriptum. Commiſce, claude vitrum exactè. Poſito in furnello in cineres adhibe gradum ignis primum: Et attende, ſi MERCVRIVS exſiccatur, ſeu deficit, vt eum augeas SPIRITVOSO hydrargyro calefacto immiſſo, id quod alii quinto quoq; die ſolent facere, quouſque ad tres illas vncias hydrargyri nouem adie-

Opus maius.

Cap. 8. Clauiculæ.

Auri Phil. ſeu ſang: leon: rub: ℥j. Spir: hydr. ℥iij. Merc. lunæ ℥iiij.

adiecerint, vt ſumma aſcendat ad libram. Certè egebis hoc mercurio deinceps non ad vnum laborem. Itaque iuſtâ copiâ eſt comparandus. Interim, dum ita primo ignis gradu materiam coquis, emerget nigredo, quam artificioſe ſeparabis, ſeruabisque, quouſque omnem extraxeris. Nam particulatim emergit, non ſimul. Vnde poſteriorem abſtractã addis priori, donec collegeris integram. Sic vnà elementorum deſtillationem inchoaſti. Nam illa nigrities (aliis ſulphur, vel oleum, &c.) ſolet vocari terra, quæ tamen vox imponitur quoque albo lapidi: ſed Mercurius relictus, appellatur aqua. Hinc iubent aquam igne balnei deſtillare. Hæc aqua in tres partes diſtribuatur, & vna ſeruetur vſque ad fermentationem rubram, cap. 11. Lulliani. Duæ vero coagulationi inſeruiunt. Nigrum iſtud ſulphur, quod & corpus mortuum (nam mercurius ex eo extraxit animam, quam in ſe vehit mediante ſpiritu, ſicut noſti in vulgari metallorum excoctione ex lapidibus extrahi aurum & argentum mediante plumbo) repone ad vitrum in cineres idque vt iubet Lullius, calcina per triduum, ſeu in igni ſicco relinque. Ita euadet valde exuccum & ſpongioſum, & ſitiet lac ſuum. Neceſſe itaque eſt, vt aquam illam reſumas (hoc eſt, mercurium, qui vocatur aqua, lac virginis, cauda draconis) & per interualla irrores ſuper terram nigram mortuam, vt recipiat animam ſuam.

Nigredo.

Elementa.
1. Aqua.

Sum-

Summa hic opus eſt attentione, ne pecces exceſſu aut defectu. Tantum debes inſtillare per vices, quantum digerere poteſt; & deinde, cum corpus excreuit, plus addes plane, vt in nutritione infantum ſolet fieri, de qua re audies infrà etiam ex Arnoldo. Interim ita ignem rege, vt quidem calor ſit aliquanto vberior, quàm in ſolutione, neutiquam tamen tantus, vt inſtillatum Mercurium in ſublime agat. Non enim poterit corpori vniri, ſi ſegregetur. Perge donec totam tuam aquam, quam huic coagulationi deſtinaſti, inieceris, & coagulaueris. Ita paulatim abluetur Lathon, & nigredine amiſſa, albedinem accipiet. Vocant enim hanc rem ablutionem, item ſublimationem & aliter. Antequam autem nigredo ad albedinem perueniat, cinereus color & cauda pauonis ſolet apparere. Tunc paulatim ignis ad ſecundum gradum promotus eſt. Albedine præſente, ſenſim tranſeundum ad gradum tertium, & vltimò album corpus benè vrendum, quaſi velles ſublimare mercurium, idque horis duodecim. Sed tamen non tàm validè in prima hac operatione, quàm in ſecunda id fieri debet. Nam tenerior eſt materia, nec tam alba, vt deinceps. Sic deſtillatione prima aquam & terram feciſti. Progredere ad ſecundam, in qua Lullius ait fieri oleum, & terram in cineribus. Ita alteram accipies terram nobiliorem priore, quæ tamen iubetur illi addi, quæ additio non

Lathon, qui abluitur igni & aquâ.

II. Deſtillatio.

est manus, ſed vna eademque res prius minus nobilis, poſtea fit elaboratior. Sed vt oleum pares; lapis ille reſoluendus in mercurium eſt tantùm per hydrargyrum ſpirituoſum. Nam hunc locum ſatis defendit Mercurius vulgi, cum hoc ſtudeatur, vt corpus ſpiritualius reddatur & planè volatile ad vires auctiores.

Reſolue ergo lapidem prima vice abſolutum in triplo hydrargyri præparati, & reſolutionem in vitro repone ad furnellum, in quo digeratur calore primo ignis, donec emergat nigredo omninò, vt prius. Interim augebis mercurium, ſeu, vt loquuntur, fimũ ignemque renouabis diebus quinis, donec ſolutio ſit perfecta. Nigritiem quoque accumulaueris priore modo. Hæc eſt caput corui Lullio dictum; & Mercurius, à quo eſt ſeparata, oleum, ſeu aër. Sic deſtillaſti elementum ſecundum poſt aquam, idque beneficio mercurii crudi aquoſi. Hoc oleum, quia aëreum eſt, ignem in ſe occultat; quam tamen locutionem veriorem eſſe puto de Elyxire ad rubrum fermentato. Terra quoque ad nobilitatem aſpirat maiorem, iamque pleniorem deſiderat ablutionem. Impone ergo eam in vitrum, & calore ſicco calcina, vt loquuntur, per triduum. Oleum diuide, ſicut antè feciſti cum aqua. Serua partem ad vſus futuros; & inſcribe vitro, ne obliuiſcaris hoc oleum eſſe, & ſic permutes poſtea per ignorantiam

Oleum. Elem. II. Aër.

cum

cum aqua, quam item ſeruaſti, neque tamen externa ſpecie altera ab altera poteſt ſeparari, & dignoſci. Ea parte quam coagulationi ſecundæ deſtinaſti, imbibe & nutri terram tuam ſolertia antè demandata, & octonis diebus ſemel præbe nutrimentum calore moderato. Ita perficietur paulatim coagulatio, &, nigritie abſcedente, prodibit albedo candida, quæ niui & argento illuſtri comparatur. Cum ad hanc perueniſti, da ignem gradus tertii, & vas luto munitum, benè vre. Hoc eſt Elyxir PHILOSOPHORVM, & lapis ſublimatus. Nam ſublimationem hanc ita deſcribunt, vt vulgarem MERCVRII à vitriolo & ſale ſublimati, cum nihil aliud ſignificetur, quàm albedinis perfectæ per calorem ſublimantem procuratio. Si tamen quid feculenti, & impure adhæret, quod circa imum ſolet conſiſtere, id eſt negligendũ, abiiciendumque. Vocant hanc terram ſigillatam, terram foliatam, (quod tamen nomen aliquando inuenias etiam calci viuæ albæ attributum) item ſulphur Philoſophicum (cuius nomen etiam aliis eſt commune) argentũ viuum PHILOSOPHORVM, arſenicum Phyſicum, &c. Deſtillaſti iam aquam in opere primo, eamque in eodem abluiſti coagulando: Extraxiſti aërem in ſecundo, & abluiſti item ſua coagulatione: Separaſti terram, quam ſimul exaltaſti & ſublimaſti & abluiſti. Reſtat ignis, qui in ALBO ope-

III. Elem: terra alba.

opere tantum eſt potentia. In rubeo vero actu. Elyxir illud quia admodum eſt aëreum, adeò, vt ſi diutius ita relinqueretur, virtutem perderet, quomodo vides etiam olea ſubtilia, in aërem euaneſcere; figendum eſt, & conuertendum in aquam permanentem adiectione corporis perfecti. Alii ſtatim ad tingendum procurrunt; & ſane reduci poteſt cum ſuo corpore ſicut dictum eſt de calce alba & rubea. Sed conſultius eſt, procedere ad operis complementum. Noſſe debes duas hic vias eſſe. Quidam diuidunt Elyxir hoc in partes duas, & vnam rubeo fermento figunt, alteram albo, & illud dupliciter vel ſtatim vel poſt augmentum. Alii fermentatum albo lapidem calore vberiore ad rubedinem perducunt. Sed nunc auſcultemus Lullium. Pondera tuum Elyxir, vt, quantum ſit, ſcias. Fac etiam amalgama ex tribus partibus hydrargyri ſpiritualis, & vna calcis viuæ albæ. Hæc enim eſt fermentum albedinis. Debent autem illæ tres partes analogæ eſſe ponderi lapidis. Noſti quod ſolutio & coagulatio in hoc quoque opere non ſint negligendæ, & quod in ſolutione ſemper dominetur humiditas, in coagulatione ſiccitas. Secundum hoc itaque meditationem & opus tuum inſtitue. Miſce vtrumque benè & colloca in fimum, donec amplexentur ſe mutuò aliquot diebus. Tunc in furnello digere calore per gradus, ſicut cognouiſti ex ſuperioribus. Incipiet

Fermentatio.

Fermentũ albedinis.

piet enim materia moueri, & resolutione facta expuere nigritiem, quam nutries, & imbibes lacte suo secundum artem. Hinc prodibit lapis niueus, quem quatuor horis reuerberabis igne sublimatorio. Hic est lapis albus fixus, seu fermentatus, vel sulphur album, cuius vna pars centuplum hydrargyrum in argenteam medicinam conuertit, sicut in principio cap. 8. & fine 9. Lullius dicebat: In prima solutione vnum pondus cadit super centum. &c. Sed tu per experientiam cognosces quantum possit transmutare. Lullius vocat istam fermentationem multiplicationem, docetque sulphur hoc esse porrò figendum, quod est aliis augmentum. Fixationis praxis hæc est. Sulphuri albo fermentato appone oleum, quod iussus es in confectione Elyxiris, cum aëre destillares, reseruare. Tanta sit eius quantitas, vt inde euadat humidum & molle instar amalgamatis (in minore opere est tertia pars primi olei; postea quadruplum mercurii: alii abundare debere fermentatum lapidem volunt.) Include vitro obsignato: repone in furnellum in catinum cinereum, & subministra ignem secundi gradus, quem profer vsque ad albedinem, quæ tertium requirit, vt antè sæpè audiuisti. Hic notabis vocabulum fusionis, quo vtitur Lullius. Aliqui artifices non vsurpant vitrum prius, quia fixa per fermentum materia iam non amplius adeò est fugax.

Fixatio.

Sed catino aperto imponunt cum parte a-liqua oleosi mercurii. Addito calore fusionis fundunt, combibiturque & mutatur oleum à corpore. Deinde instillant nouam portionem, iterumq; coagulant & sic pergunt quovsque totum oleum sit absumtum. Tunc experimentum rapiunt fusionis & constantiæ, sed Lullium non in catino rem tentare, verùm vase clauso, quod metretum nuncupat, fractio eius post absolutionem coarguit. Similis tunc est materia tabulæ crystallinæ seu laminæ albæ crystallini splendoris. Huius iudicium tale est. Sit in promtu lamina ærea ex ære Cyprio puro. Huic candefactæ insemina aliquantulum istius laminæ albæ pulueratæ, & repone statim in ignem, animumque aduerte. Si halat; Mercurius in ea non est satis fixus. Si non halat, neque tamen fluit, & irrepit in laminam relicto colore argenteo, siccior in iusto. Illius remedium alii dicunt esse sublimationem, & imbibitionem, vt nimirum extrahatur pars volatica igne valido, & postea fixæ reddatur per vices, digeraturque, donec & illa sit fixa, post quam alia eodem modo instilletur. Quidam monent tantum reponendum lapidem ad ignem esse, & diutius coquendum. In qua coctione, si aliquid eleuatur ad vitri concauum, verti debet vitrum, vt superiora fiant inferiora, idque tamdiu, donec omnia sint fixa. Huius,

Iudicium seu examen lapidis albi.

ius, si scilicet non fluit lapis, correctio fit per repositionem in catinum & instillationem pluris olei, donec respondeat examini fixatio. Ex hoc lapide partem serua pro augmento in infinitum: partem verte in MEDICINAM rubeam per fermentum rubeum: Partem accommoda ad sanitatis curam, quanquam rectius ex rubeo lapide hoc præsidium expectatur: Partem proiice super hydrargyrum ablutum, & vertitur in MEDICINAM, quam aliqui iterum aiunt millecuplum hydrargyrum in similis virtutis MEDICINAM mutare, quæ porro ex mille partibus argenti viui argentum faciat. Sed LVLLIVS proiicit super millecuplum hydrargyrum, aitque totum verti in argentum, cum quo miscetur illud argentum, quod ex chalybe est factum, nisi chalybem MERCVRIO prius immiscueris. Scribunt nonnulli, si ad corpora imperfecta sit adhibenda Medicina, eam prius millecuplo argento debere misceri, vt fiat inde MEDICINA ingressum habens, cum aliâs neutiquam iungatur corporibus. Sed facile est, cum huc peruentum fuerit, ex præmonito periculum facere. *In infinitum*, ait Lullius, *potest multiplicari*, nempe si idem lapis denuo soluatur hydrargyro & coaguletur, vt antè, quibusdam mercurium lunæ hydrargyro iungentibus, quibusdam fermentum ex corpore

vel calce viua lunæ, quorum hoc eſt probabilius. Quomodo enim aliâs virtus finiti fiat infinita? Reſtaurandus ergo is lapis eſt tandẽ cum ſuo fermento & hydrargyro. Adhuc lapis albus. Si ad rubrum contendas, aliis quidem iudicibus, non opus eſt fermento rubro. Nam ex potentia albæ Medicinæ in actum per ſolum ignem poteſt euocari rubedo, cum ſcribant plerique omne argentum eſſe aurum coctione deficiens. Sed Lullius alteram viam per fermentationem præſcribit, quæ ſic habet.

Fermentũ ad rubeum.

In nomine ſacroſanctæ Trinitatis quatuor vncias lapidis albi fermentati & fixi ſecundum doctrinam præcedentem ſolue in aqua mercuriali, quam in primo opere ſuprà iuſſus es reſeruare, & huius gratia commiſta vtraq; & vitro incluſa ſinito per nouendium in balneo digeri ſeu macerari. Poſtea pro fermento adijce duo pondera calcis rubeæ, quæ confecta eſt in minore opere ad rubeum. Repone iterum ad fermentandum per dies nouem. Tunc igne primi gradus in cineribus furnelli deſtilla, hoc eſt, digere & coque ſenſim quouſq; emerſerit nigredo, & facta ſit ſolutio ſecunda, Ecclipſisq; ſolis & lunæ altera, quæ eſt ſignum ſolutionis veræ, & veri matrimonij inter marem & fœminam. Nigredinem ſepara. Hydrargyrus eſt iterum aqua, quæ dicitur balneo deſtillata. Nam hic iam ſeſe exhibent Elementa quatuor. Nigredo pro oleo & aëre habetur, in quo eſt vis ignis. Coagula viciſſim, vt feciſti in opere albo. Ita abluis aquam & oleum vnâ eâdemq; operâ, &

Aqua. Aër.

ſimul

ſimul producis terram, quæ eſt alba. Hanc præcedit vera cauda pauonis, mille coloribus variata. Cum albedo emicat, ignem auge, & tertio gradu terram benè ſublima, ſeu vre & exalta. Poſtea procede ad elementum quartum, qui eſt ignis, cuius nota eſt citrinitas & rubedo, quam examini eidem ſubijce, cui lapidem album fixum. Nam argentea lamina igni excandefacta conſpergenda eſt parte aliqua eius lapidis, & igni reddenda. Si exhalat, fugacior iuſto eſt, & corrigenda artificio ſuperiori. Sin fluit, ingrediturq; ritu ceræ nec ſumat, perfecta eſt. Si reſiſtit nec fluit, plus aquæ eſt adijciendum. Memineris tamen aliquos ſolere & hunc lapidem figere ſeu augmentare in catino, antequam tali examini ſubijciant.] Lullius iubet vnum pondus ſuper mille Mercurii crudi proiicere, quod futurum ſit, vt vertatur in aurum. Sed alii præmittunt mutationem in Medicinam. Nam prima & ſecunda proiectione medicinam fieri aiunt, tertiâ metallum; Et ſi ſuper imperfecta metalla proiiciendus lapis ſit, præſtare ad ingreſſum affirmant, ſi prius illiquetur millecuplæ calci ſolari. Mercurium vero non ſolum vſurpant, ſed cum ſcobe ferri purgata. Proiectionis modus refertur à Thoma de Aquino, & infrà in Roſario Arnoldi nonnihil de eodem præcipietur. Atque hic eſt vſus primus. Addit Lullius eſſe materiam altam, & regalem Medicinam, quæ promtè curet omnes infirmitates corporis ægri. Itaque pars erit ſeruanda pro ſanitatis cura; pars ad tinctu-

Terra.

IIII. Elem. Ignis.

Vſus lapidis rubei.

ram conuertenda; pars augenda, vel ad instaurationem lapidis in infinitum adhibenda, id quod cum mercurio ſolis aliqui fieri tradunt, aliqui cum crudo: nonnulli vtrumque miſcent. Poteras & prius cum crudo augere vſque dum exoleſcere vim videas, & deinde eam reuocare per fermentum, aut mercurium ſolis. Sed induſtriæ tuæ erit videre, quid conueniat. Sunt, qui vitra faciant malleo obſequentia, & gemmas per eundem lapidem parent. Hactenus de opere maiore.

NOTÆ AD TEXTVM CApitis octaui.

PONE *quatuor vncias noſtræ calcis viuæ in menſtruali, vt diſſolvatur, & ſtatim diſſoluetur in aqua viridi.*] Plerique fugiunt menſtrua corroſiua ex alienis mineralibus facta, & malunt hanc ſolutionem præſtare in hydrargyro crudo, qui ante in nullo opere fuit. Mercurius corporum, inquit, Richardus, non poteſt in primam materiam reducere, ſed crudus. Videtur & Lullius per voces, ſtatim diſſoluetur in viridi aqua, indicare, quod calx illa alba propter familiaritatem naturæ & apparatum promtè ſoluatur, non certè in aqua corroſiua ex mineralibus, ſed in ſimili ſecundũ ſubſtantiam, ita, vt ſolutum cedat in naturã ſoluentis. Aqua autem viridis appellatur Leo viridis, vel Mercurius præparatus, quem Roſ: Phil: vocat mercurium Philoſophorum; alii mer-

Leo viridis.

mercuriũ solis; sed prius rectius; cum constet ex spiritu mercurii, & corpore resoluto.

In 13. vnciis eiusdem menstrualis fœtentis dissoluetis vncias quatuor argenti viui vulgi benè loti.] Hæc solutio præcipitabit hydrargyrum & inutilem faciet ad opus, quanquam possit reuiuiscere sublimando. Alius putet istam aquam esse medium coniunctionis. Nam aliâs, cum ex ferro facit æs Cyprium, solet Paracelsus id perficere coniuncto in eadem aqua acuta ferro & hydrargyro. Meam sententiam intellexisti.

Quo ad habebis omnia.] Ænigmate involuit rem. De elementorum separatione sentit, in qua aqua per balneum elicitur.

Deinde recipe in alio, vt inde oleum extrahatur igne carbonum. Tunc materia residens erit nigra, quã pone in furnello super cineres ad destillandum per duas horas.] Cum dicit in alio, satis apertum est intelligi receptaculum. Sed, vt te manu ducam, vide, num cap. 7. planè sit seiungendum ab octauo, & hoc in duo opera distinguendum, quorum prius exhibeat aquam, & terram; secundum oleum seu aërem, & iterum terram, verùm niueam. Nam licet oleum interdum appelletur nigredo, interdum MERCVRIVS animatus, &c. tamen frequentius est secundi operis vniuersalis argentum viuum. Ita vox Recipe in alio, designabit repetitionem operis ad terram sublimandam; Ignis carbonum, & cineres, paulo

Vide suo loco de aqua & oleo. Nam hæc etiam mysticum habent sensũ.

infrà coniunguntur. Inquit enim: Deſtilla menſtruum per balneum, omnemque aquã, quæ aſcendere poteſt, & oleum per cineres, vt ſuprà feciſti. Hoc autem totum negotium fit longè manifeſtius, ſi, quæ in libro mercuriorum de ſeparatione elementorum prodidit, cum his conferas. Nam quæ ibi obſcure poſita ſunt, hic fiunt manifeſta; & quæ hîc perplexa, ibi expedita. Ita vero habet: Recipe liquoris lunarii, id eſt, argenti viui quantum vis (hoc eſt illius digeſti, quod docuit cap. 8. clauic: fieri ex calce viua ſua, menſtruo fœtente, hydrargyroque per diſſolutionem & digeſtionem fimi menſtruam.) Deſtillando elementa ſepara, ita, vt primò abſtrahas aquam phlegmaticam in balneo, in qua ſtat mortificatus ſpiritus. Continua deſtillationem, donec videas egredi aquam animatam (Mercurium corporis cum Merc. crudo coniunctum. Is enim vocatur animatus, quia à corpore animam accepit) quæ incipit comburere. Deſtilla hanc ad partem. Phlegmate deducto, cum nihil amplius fluit per illum calorem (balnei) diuide aquam animatam in duas partes. Vnam ſerua ad creandum mercurium, vt cum eo terram lapidis ſublimes (infrà cap. 11. In fermentatione Elyxiris ad rubeum.) De ſecunda parte abſtrahe elementa ſine omni combuſtione ſub conſeruatione proprietatis ſulphuris & argenti viui, hoc modo: (vide ne cõburas illã aquã, ſed vt cõſerues pro-

proprietatem argenti viui & sulphuris, vnde queant agnosci. Comburitur aquis erosiuis, &c.) Pone partem aquæ animatę. Super feces, quæ erunt fusæ instar picis in fundo vasis (materia residens erit nigra.) Impone statim alẽbicum cum suo receptaculo. Incende ignem serraturarum. Luta cum pasta. Continua ignem æqualiter, quousque quicquid destillari possit, exeat. Postea pone in igne sicco cineritii, & continua eundem per serraturam lignorum. Destilla oleum. Sub finem destillationis dimitte infrigidari materiam cum toto vase. Postea reduc suum liquorem primum super feces; reitera destillationem, quousque feces maneant siccæ & combustæ; Et quoad humidum vnctuosum sit totum sublimatum sicut anima in substantia spiritus. (Hactenus solutio & elementorum separatio, quæ duplici modo potest intelligi, vt supra satis declaraui.)

Toties hoc faciendum, quousque materia remaneat, sicut carbo nigra in fundo vasis.] Vt nõ simul & semel fit coagulatio, ita nec solutio. Itaque nigrities particulatim emergit, & certum est particulatim extrahi mercurium. Itaque etiam hi, qui integris, præparatis tamen subtilissimè corporibus & hydrargyro vtuntur, paulatim soluunt ea, subinde quinis diebus renouantes fimum, hoc est, mercurium nouum superfundentes, seu, vt loquitur manualis auctor, cum ventriculus struthionis retu-

ſus eſt, & elanguit, neceſſe eſt, vt abſtrahatur, & nouus ſubſtituatur. Huc pertinere videntur & hæc: Scito, quod de tuo electro nulla fiat ſolutio, niſi circulum ſeptem ſphærarũ perfectè ter percurrerit. Talis enim numerus ci competit; & hic eſt abſoluendus. Vtere vero ad glorificatum, fractum, & in ſpiritualem naturam conuerſum Electrum, arcano tartariſato, quo abluas ſuperfluitates, quæ in præparatione acceſſerunt, ne temerè labores. Nihil tamen debet de eo arcano tartari manere, ſed duntaxat id ad circulandum ſecundum dictum numerum adhiberi, & in ouo Philoſophico, igneque vaporoſo facilè per ſe mutatur in aquam Philoſophicam, quam aquam viſcoſam appellamus, &c. Hæc quid aliud, quæſo, ſunt quam quæ cap. 8. hìc à Lullio præcipiuntur? Electrum fractum, glorificatum, ſpirituale, eſt calx viua ad rubeum, facta ex mercurio calcis albæ, auro & hydrargyro, & elaborata. Hoc digerendum eſt ventriculo ſtruthionis, id eſt, aqua mercuriali fœtente, & circulandum arcano tartariſato, hoc eſt, ſpiritu vini tartariſato; quo pacto Lullius ex vtroque ſuum menſtruum capitis vltimi comparauit. Ter id debet fieri, quanquam Lullius indefinitum numerum relinquat. Finis huius digeſtionis & circulationis eſt aqua viſcoſa. Idem eſt & Lullianæ. Differunt tamẽ, quod Paracelſus (ſi hic eſt auctor illius libri) quintam eſſentiam tartariſatam ſeu vinum alcaliſatum

Paracelſi manuale.

Literalis ſenſus.

calisatum (sale tartari exasperatum vini spiritum & circulando destillandoque ad cœlestem naturam deductum) non commiscet statim ventriculo struthionis, qui in terra crescit, & aquilæ acrimonia roboratur; sed hunc præmittit & sæpius abstrahit; vltimo verò, cum iam exhausta est vis illius, arcanum summittit & vna abstrahit, redditque quousque ad sublimationem albedine acquisita contendat. Est & alia discrepantia, de qua fortassis suo loco, in capite corui, seu corpore mortuo, quod ille auctor expectat à solo mercurio, ita, vt dictum est, parato, sed Lullius caput corui dicit esse illud nigrum, quod in fundo mansit. Sed tamen consideranda sunt verba anacephalæosis: Ascendit in altum candidius niue; & fundalia proiiciantur, de quibus infrà. Item alia verba in lib. mercuriorum: Natura nostri spiritus operatur in omnibus rebus, omnesque excedit. Per illum fit nigredo, albedo, rubedo, si scires benè miscere. Ego tibi non possum, plura scribere. Tu ipse, cum ad opus perueneris, meditare, quid sit faciendum. Satis est propositas fuisse vias duas.

Fili Doctrinæ.] Alloquitur discipulum artis, qui à Deo & natura idoneus factus disciplinæ se consecrauit.

Habebis tunc caput corui.] Ita vocat illam nigram materiam, quæ & terra mortua, corpus mortuum & aliis nominibus appellatur. Nota vero,

ta vero, quod cap. 3. cum fieret minera alba, ibidem mentio facta sit nigredinis carbonum: item cap. 7. vbi nigrities apparens nuncupatur Ecclipsis: præterea cap. 11. vbi nigredo alia & secunda Ecclipsis: Sed nullibi caput corui appellatur excepto hoc vno loco. Intelligimus ergo, quamuis alii auctores caput corui statim in prima operatione solutioneque ponant, tamen Lullio tunc verum caput coruinum esse, cum in magno opere proximè concinnatur Elyxir, hoc est, ab initio solutionis corporis in mercurium & confectionis calcis albæ Physicæ, operatione tertia. Huic astipulari videtur & manuale, quod item tunc meminit atramenti sutorii, & auis noctu sine alis volantis (vespertilionis) & nigredinis capitis coruini, cum mercurius ille ex electro extractus mutatur; sed tamen non ausim hoc plenè asseuerare, propter occultationes, & quod iste addat illud caput corui mutari in caudam pauonis, & accipere pennas oloris, tandemque assumere summam rubedinem totius mundi, & ignea virtute omnes morbos sanare, quæ noster Lullius post mutationem Elyxiris in rubeum lapidem per fermentationem demum ponit. Sed fieri tamen potest, vt is decipiat lectorem defectu, aut nihil aliud deceat, quam, quod Lullius cap. 7. paulo aliter habet, nullo absurdo eueniente, licet artifices in nonnullis particularibus dissentiant, quod & Paracelsus animaduertit, dum scripsit veteres

longa

longa via eodem perueniſſe, quo ipſe ſe putat poſſe compendio accedere.

Quod Philoſophi Tantum inueſtigarunt.] Non certe tantum, vt ei acquieſcerent, nec progrederentur vlterius; ſed vt hoc acquiſito & parato, alacriter ad finem contenderent, quia certum eſt eum, qui huc peruenit, non falli deinceps poſſe. Viderunt multi nigredines primas, ſed hoc caput corui non conſpexerunt. Itaque deluſi ſunt, cum non progrederentur, & ibi deſinerent, vbi incipere debuiſſent.

Sine quo in magiſterio nihil fit.] Fruſtra ſudat in conſequendo fine, qui non peruenit ad caput corui, & hoc præteriit. Non tamen in poſterum ſemper attendenda nigrities eſt, vt memini quoſdam artifices ſcribere, quia cum repetitur opus in augmento, multiplicatione, &c. Interdum tantum cinereus color apparet: alius dicit audacter pergendum eſſe, licet non videatur, quia occultetur cuticula cinerea ſuperficiei. Committendum nimirum hoc eſt experientiæ.

Iccirco Fili mente teneas Cœnam Domini.] Non tantum ad pietatem & gratitudinem vult excitare diſcipulum, ſed & deflectendo ſacra myſteria demõſtrare, quod neceſſe ſit deſtructionem iſtam in materia Philoſophica fieri, & vitam animamque à corpore aufferri, & poſtea per imaginem regenerationis & reſuſcitationis iterum animari. Sicut Saluator mortuus, inhumatusque reſurrexit die tertia;

ita

ita fit in hoc magisterio; sed debebat addidisse ille Monachus, si quidem fas est comparare diuinis impollutisque oraculis terrena artificia, quanquam cœlestia declarentur per terrestria. Hoc primum argumentum à simili, vel maiore est. Attende mentionem tertiæ diei non frustra fieri. Nam ter repetendam praxin obiter indicat, vt colligimus ex oleo in alio capiendo & similibus. Secundum è genere est: Nihil potest vita perpetuari, nisi prius mortuum. Sane de viuentibus morti obnoxiis, vitæ tamen æternæ destinatis in hoc mundo corrupto id verum est, & pridem à Saluatore exemplo grani triticei similiter pronunciatum. Mori prius oportet hominem, qui vult vita æterna frui. Nam per mortem propter peccatum ad vitam transitus est, eamque beatam si in Domino moriamur. Sed æquè commodè poterat res physicè declarari. Sicut enim semina vegetalium inhumata decenter, & benedictione Dei, cœlique fauore, calore, imbribus tempestiuis, & cæteris, inter quę non parum valet coloni custodia, proficiunt, & ab interitu reuocantur, non simplici tantum fructu, sed multiplici; ita res habet etiam in lapide Philosophorum. Videmus deinde bestias quoque & homines per seminalem vim conseruari, & accrescere numero, idque eò melius, quo rectius administrantur fœturæ, quanquam hic quoque semina corrumpantur.

Calcina

Calcina corpus nigrum.]Ergo non eſt proiiciendum,ea vero calcinatio, ſeu reuerberatio efficit id eo ſiticuloſius, vt poſtea lac ſuum,& cibum arripiat auidius.Quidam præcipiunt id ſingulari ſtudio elaborare & depurare, vt non tantum ad coniunctionem reddatur aptius, ſed & nobilitetur magis. Ita enim elementa ſeparata,conſueuimus elaborare, & ad eſſentiarum nobilitatem perducere poſteaq; coniungere,vt inde euadat ſubſtantia incorruptibilis. Lege cap.1. Thomæ de Aquino vbi agit de corporibus ſupercœleſtibus. Cæterum in deſtillationibus quoq; extracta eſſentia corpus mortuum calcinatur,& in ſalem perducitur, ex quo poſtea facilè liquor fit & oleum. Scias igitur hic ſimile quid proponi.

Thomas de Aquino in in lib. de ſecretis Alchymiæ c.102.

Aquam, quæ per balneum eſt deſtillata, diſtilla ſæpius, donec ſit depurata & ad materiam cryſtallinam reducta.] Elaboratio ſanè iſta ſit aquæ ſeu Elementi aquei, cuius origo eſt ex menſtruo fœtido. Sed qua imbibendum corpus mortuum eſt, neutiquam eſt vlla quæ manus poſſit madefacere.Notabis ergo hic fallaciam.

Materiam cryſtallinam.] Laminæ cryſtallinæ meminit Lul.cap.10.quę nihil eſt aliud,quam lapis albus fermentatione calcis Philoſophicę albæ perfect⁹. Autor manualis vult electrũ conſummatũ,poſtquã acquiſiuit calorẽ Calẽdulę,qui eſt croceus,ſeu aure⁹ citrinus,perducendũ eſſe in ſubſtantiã ſpiritualẽ tranſparentẽ ſimilẽ electro lapidi,ſeu ſuccino.Quid ergo iubet

iubet Lullius ex aqua illa fieri, quam abſtraximus per balneum? Deſtillatione crebra depurandam monet. Sit ſanè hoc perducere ad eſſentiam ſpiritualem expertem Elementaris inquinationis, vt loquuntur Chymici, & antè quoque dictum eſt de menſtruis præparandis. Sed & porro iubet eam reducere ad materiam cryſtallinam. Non ſum neſcius ſpiritus ſalium, & mercuriorum ſimiliumque reduci poſſe in lapillos cryſtalliformes per coagulationem: & ex ſale petræ, vitriolo, cinabari, vinoque alcaliſato confectum erat menſtruum Lullianum. Non erit refractarium ad talem reductionem. Sed cuius vſus poſſit eſſe ad lapidem conficiendum? Illane cryſtallina materia ſit lac iſtud virgineum, & anima per irrorationem corpori mortuo reddenda? Sed & finge aquam balneo abſtractam coagulandam eſſe, quorſum iubet cap. 11. ſoluere laminam cryſtallinam in aqua de lapide ſeruata? Crypſin itaque hic agnoſcere cogimur, ſi modo dictæ rationes aliquam vim habent. Liquet autem ex recapitulatione, quod præcipiat pulueres niueos cap 9. factos coquere cum aqua, donec omnia maneant in igni fluentia, vt cera. Hæc autem ſumma eſt capitis decimi, vt indicat vox fixationis vtrobique vſurpata, & ordo. At capite decimo oleum mandat apponere, quod ſeruatum erat in ſeparatione elementorum. Aqua ergo & oleum re ſunt idem. Sed oleum hoc non eſt vulgare, verum

id, quod

id, quod Philoſophi vocant incombuſtibile, vel aquam permanentem; & quod emergit in ſecunda operatione ab Ecclipſi proximè ſcil. ante fermentationem. Hęc ergo aqua permanens ſcil. non madefaciens manus, & oleum eſt crebra deſtillatione repurgandum. Cur? vt ſcil. fiat viuacius, & magis cœleſte, quia à menſtruo fœtente aliquid contraxit labis; & ſimul corpoream tarditatem, mercurialemque humiditatem adhuc obtinet. Noſti enim, quod Lullius id non fecerit ſine mercurio crudo. Iſta elaboratione non quidem fit perſpicuus liquor, ſed tamen claritatem ſpeculi lucidi acquirit, quam comparare poſſis cryſtallinæ & cœleſti puritati, quam ob cauſſam aliqui etiam cœleſtinum & cæruleum colorem nuncupant.

Imbibe tuum corpus, quod eſt terra nigra de ſua aqua propria.] Confirmatur antecedens expoſitio duplici vocabulo, SVA & PROPRIA. Itaque non eſt illa aqua menſtrualis externa, ſed domeſtica, quæ eſt de natura corporis, & aliâs fuit membrum eius eſſentiale. Ideo & anima eius dicitur. Iam conſidera, ex quibus rebus factus ſit lapis. Inuenies initio argentum & ex hoc mercurium: pòſt iterum argentum & mercurium crudum, ex quibus omnibus calx alba. Deinde mercurium calcis albæ mercurium crudum, & aurum, ex quibus fit lapis albus, qui & poteſt erubeſcere: Ille poſtea lapis denuo reſoluitur adiecto mercurio crudo,

 deſtillan-

destillandoq; abit in duas partes, quarum vna vocatur oleum seu aqua permanens, altera terra nigra; illa anima viuificans; hoc corpus mortuum: Item in lib. mercuriorum, illa dicitur argentum viuum dissolutum, hoc sulphur draconicum, & ab aliis draco, qui deuoret suam caudam. Vbiuis in re per se nihil est aliud quam mercurius tum digestus, tum crudus; & digestus resoluitur in mercurium viuum, & sulphur: vt ita verum sit Philosophorum dictum: vna tantum res est ex tribus constans: Est in mercurio, quicquid quærunt sapientes: Natura naturâ gaudet; natura naturam continet, &c. Item nihil extraneum est inferendum. Quanquã ergo ex mediis minoribusq; mineralibus quædam auxilia solutionum petantur, tamen nõ ingrediuntur in cõpositionẽ, sicut in principio cum fieret Mercurius Lunaris, nõ ita nec iam. Aqua ergo corporis sua & propria nõ potest esse aliud quid, quam Mercurius ex eadem minera extractus. Hinc verum efficitur, quod in anacephalęosi dicitur, omnia (aquam & pulueres fixandos aquâ) debere manere in examine fluentia instar ceræ: & vt monet cap.10. si non fluit, oleum guttatim esse dandum, quousque fluat. Scio quasdam aquas fixatorias mercurii & metallorum componi ex calce, talco, alumine, chalcantho, &c. Vt in gradatoriis cernimus, sed eæ non manent cum re fixa, neque sustinent examina. Perspicuum itaque est,

est, qualis sit illa aqua Lulliana. Considera vero etiam sequens dictum ex libro mercuriorum Lullii.

Paulatim rorando & coquendo quoad corpus sit album factum.] Facile hæc dicuntur; sed nō sunt facilis operæ, nec temporis breuis. Exposui autem modum & interualla satis diligenter. Et Lullius in lib. mercur. ait: *Propter hoc reducitur argentum viuum dissolutum super suam terram siccam non semel & simul, quia virtus sulphuris Draconici citius conuertit modicum diuisum, quam multum indiuisum.* Si iam collegeris, quoties vna eademque opera ab initio ad finem sit repetenda, duntaxat vniuersale petens, omissis particularibus, vel minoribus operibus, & insuper tarditatem progressus spectaueris; senties cum Thoma, qui temporis indebitam expensionem esse scribit. Hinc quoque coniicere poteris de eorum mente, qui nouem menses, aut decem, aut centum dies & similia ponunt. Sed tamen prout est artifex peritus, & adminicula cum instrumentis sunt commoda ita citius aut tardius absoluetur opus. Nonnulli materiam ab aliis paratam, ad finem deducūt; alii artificium norunt, quo ictu oculi ex corporib. fiat mercurius. Nonnulli non de integro magisterio, sed de vltima quadam parte referunt, prædicantque suos menses, dies, horas Vnusquisque rectè intellectus potest verum dicere.

Coquendo.] Coctio per gradus ſuos fit. Nigredo iam eſt præſens. Ea abluitur; quę res vocatur ablutio Lathonis, quę fit per Azoth & ignem, hoc eſt, ipſa res nigra lacteo humore nutrita per ſe dealbatur; tanquam abluta eſſet. Hic enim poteſt Æthiops dealbari. Sed albedinē præcedit cauda pauonis, maxime in fermentatione rubea conſpicua; poſt cinereus color, quem excipit albor iſque diuerſus, pro vt magis minusque fixa res eſt. Eſt enim albor Saturninus, eſt Iouialis, eſt Lunaris, & hic vltimus niueus cum ſplendore.

Tunc aqua eſt illi infuſa, quæ clarificat & viuificat.] Aqua eſt Mercurius, vt antè dixi. Hic cauſa eſt nigredinis, albedinis, rubedinis, vt idem Lullius in libro mercuriorum ſcribit, cuius verba libet hìc aliquantulum perpendere. *Natura noſtri ſpiritus*, inquit, *operatur in omnibus rebus, omnesque excedit. Per illum fit nigredo, albedo, rubedo, ſi ſcires benè miſcere.* (In genere de ſpiritu prius loquitur, & ad eius naturam accōmodat ſpiritum Philoſophicum. Nam ſingulares ſpiritus nō penetrant, niſi ſibi determinata; vt mercurialis, mercurialia metalla.) *Miſtio illorum fit, quia vnum intrat in alterum & figit illud.* (Cauſa miſtionis in ſpiritu & corpore eſt, quia ob familiaritatem ſubſtantiæ vniuntur, & ſe penetrant mutuo, ſpirituſq; figitur à corpore, ſi nimirum huius vis præualet: ſi ille excellit, corpus naturam ſpiritus aſſumit.) *Et rarefactum impletur condenſato, condenſatum ſubtiliatur*

Ex libro Mercuriorum Lullii.

tiliatur per rarefactum. (Condensatum est corpus coactum & coagulatum; rarefactum est mercurius ex corpore resolutus, quod fieri creditur rarefactione sicut veteres transmutationem Elementorum, vt terræ & aquæ, aquæ & aëris, descripserunt,) *totumque illud fit per solutionem & calefactionem leui igni, qui debet continuari, quousque elementa se mutuo sint amplexa cum terminatione suæ humiditatis, quæ est, vt omne modicum comburatur, quousque lento igni siccetur.* (Totum negotium paucis describit: Duo hic sunt, corpus & spiritus: hic initio soluit corpus, & tunc separantur Elementa. Facit autem id per excessum suæ virtutis & copiæ. Postea iterum cõiunguntur Elemẽta, sed certo modo. Nam corpori mortuo & sicco modicum spiritus vna vice reddendum est, & post iterum modicum. Ita siccitas vincit & coagulat & commutat humiditatem mercurialem, quod Lul. est terminatio humiditatis, verbis Peripateticis per siccitatẽ operante calore, itẽ combustio modici, donec lento igne siccetur. Vtrobiq; autem tam in solutione, quam coagulatione instrumentũ externum est calor leuis ita scil. temperatus per gradum 1. & 2. vt requirit coctionis progressus.) *Scias, quod vnum cõburit alterum, & cõfortat & docet pugnare contra ignẽ.* (Combustio est coagulatio per siccitatẽ & calorem tum internum tum externũ. Hinc euenit mutua opera. Nam siccitati præstat humiditas, hoc, vt non comburatur ignibus; hu-

miditati contra ſiccitas hoc confert, vt ſuſtineat ignem & non fugiat.) *Et ſic in coquendo perſequens*, (ſi perſpexeris coquendo) *Elementa ad lentum ignem lætantur, & conuertuntur in extremas naturas, quia liquefactum* (Mercurius ex corpore vel corporis minera reſolutus) *totaliter cõminuitur & fit non liquefactum* (coagulatur fitq; puluis ſiccus) *& humidũ fit ſpiſſum; & per iſtum modum corpus fit ſpiritus & fit teuuis & fortis, pugnans contra ignem.* (Corpus perfectũ & minera eius in mercurium reſoluitur, mercurius viciſſim coagulat & figitur.) *Proprietas cuiuslibet mercurii eſt diſſoluere & dealbare ſuũ ſulphur: Proprietas ſulphuris ſui eſt congelare & depurare ſuum argentum viuum* (vides correlata. Nõ aliena requiruntur, ſed cognata, quæq; ex vna radice ex ſe mutuo ſunt facta, vt mercurius ex auro vel minera huius Philoſophica, ſeu artificiali, hoc eſt, calce viua, vt eam Lullius deſcripſit, diſſoluit ſuum ſulphur, quod in ſe habet, & ſpecie nigra euomit ad calorem leuem in putrefactione, & poſtea ille ipſe, hoc idem nigrum ſulphur etiã dealbat. Sic viciſſim ſulphur ſeparatum ex mercurio hunc ſuum mercurium coagulat, & depurat, vt inde ſplendorem albentem accipiat. Eadem dici poſſunt de fermento & fermentato.) *Iſte vapor, qui congelat argentum viuum, eſt de natura ſuæ propriæ ſubſtantiæ mediæ, quæ ſtat in terra ſicca ſubtili, aërea, miſta, & digeſta & cocta lento igni ſecum continuãdo.* (Eſt deſcriptio iſtius ſulphuris, quod dicitur

tur

ur suum argentum viuum cōgelare. Vocatur
apor, nempe halitus siccus leuis, niger, inna-
ans aquę suæ: ortus eius est ex eadem substan-
ia, quam hactenus satis intellexisti, nisi fatuus
s, h. e. ex minera Philosophica, quæ est facta
x auro, argento & hydrargyro in vnum reda-
ctis: mediam substantiam vocat, quia ex ex-
tremis est contemperata, hoc est ex mercurio
corporum calido sicco, & crudo, frigido hu-
mido. Itaq; habet substantiam mediam: est &
per se media substantia inter volatile & fixum,
solutum & coagulatum, mercurium & lapi-
dem: & est terra sicca, subtilis, plena aëre seu
sanguine temperato vt ait Lullius in clauicu-
la: Est mista, digesta, & cocta, per continuatio-
nem ignis lenti.) *Sic ergo argentum viuum regnat
prius contra suum sulphur. Continua operationem
eius, assationem & imbibitionem, quousque prima
aqua habeat totum dealbatum, & sit congelata per
vaporem sulphuris. Aliud te non oportet facere
per contrariam operationem, quia sicut argentum
viuum vincit sulphur per totum, sic per contra-
rium sulphur siccum vincit argentum viuum per
congelationem & per reiterationem sublimationis
talis.*

(Nō omnes asscribo sententias, quod quas-
dam ante explicauerim. Hic iterū tota praxis
est ob oculos posita. Nam in solutione euincit
argentū viuum copiâ & virtute, adeo, vt nihil
videas nec sentias aliter, nisi vnā dūtaxat aquā
viuā, quæ est Merc. sapientū factus ex minera

Philoſophica,& mercurio crudo per antecedentem illius in mercurium reſolutionem. Sed, cum in actum producitur, gignit ſulphur Hoc poſtea ſeparandum eſt, & illo ipſo mercurio,à quo erat ſeparatum, per partes & certa interualla lentè imbibendum, donec tota eius quantitas, deſtinata ſcilicet, nam dimidium ſeruandum eſt, ſit reddita & coagulata ordine, ipſumque ſulphur dealbatum, cuius dealbatio eſt à mercurio; huius congelatio, à ſulphureo illo vapore ſeu ſulphure ipſo. Itaque contraria facis. Primò ſoluis vincente argento viuo; poſtea coagulas vincẽte ſulphure. Et, ſi hoc non ſemel tantum ſed aliquoties feceris, id eſt, coagulatum iterum ſolueris & coagulaueris, ſublimationem habes Philoſophicam. Hoc enim eſt ſublimare, excellentius virtute facere·]

Et quando per iam dictam ſublimationem & frequentem aſſationem videris, quod maior pars quantitatis mercurii ſit deleta, reitera ſublimationem ſuper illo cum forti igni, quouſque plus de eius aqueitate ex toto purgaueris. Et, cum videris, quod totum fuerit eleuatum ſiccum, ad modum pulueris mortui albioris niue contra ſpondylia vaſis: repete iterum ſublimationem ſolum per ſe ſine fecibus ſuis. Tunc enim erit perfectè mundificatus, & ſublimatus ad efficiendam tincturam ad album, cui non poteſt ſimilis inueniri. (Fallit ignaros imagine ſublimationis mercurii vulgaris. Vidi multos, qui ſibi ſomniarint fixitatem & tincturam ſublimati vulgaris,

Eodem videtur collimare etiam

vulgaris, si crebrò fieret cum fecibus, puta quinquies, aut sexies; & deinde aliquoties sine fecibus. Sed illi nihil planè obtinuerunt, nec obtinere possunt aliud, quam vulgarem sublimatum studio artis magis purgatum, &, si alicuius est vsus, valet ad sophisticas tincturas, aut aquas medicinales, aut mercuriales pro corpore in mercurium deducendo. Lullius de sua sublimatione loquitur, & suo mercurio, q. d. cum inter coagulandum, dum imbibis sulphur siccum Mercurio suo per partes, atque ita paulatim extollis eius virtutem, maiorem quantitatem insumsisti, quia aliqua portio, vt suprà dictum est, reseruanda est ad futuros vsus: & iam apparet albedo, tunc da ignem fortem, quo plenius figitur, & sublimatur, omnique humiditate residua liberatur; quin & purgatur seu purum corpus adeò euadit, vt albedine niuem puritateque exuperet. Est enim tunc instar pulueris niuei, non fluentis, sed iacentis, quasi esset mortuus. Hæc albefactio vocatur eleuatio, quanquam in prima operatione fieri non possit, quin quædam inutilia circa fundum relinquantur, quæ Lullius in clauicula iubet proiicere. Tunc suscipienda secunda operatio est, quæ peragitur cum puro lapide absque omni fece, sicut in cap. 9. clauiculæ Lullianæ legimus: Voco autem secundam, certo respectu: Tunc perfectus est lapis albus ad tingendum.)

Rosarius Arnoldi lib. 2. cap. 3.

Hucusque cap. 8. clauiculæ.

Est fermentatio ad album.

Quando sublimaueris, & repereris dictam pu-

 ram

ram ſubſtantiam Mercurij, &c. (Sequitur eadem praxis, quæ capite 10. clauiculæ Lullianæ extat. Differam itaque explicationem vſque ad illum locum.)

Tunc da ignem vehementem. Hæc idem ei ſignant, quod paulo antè ex libro mercuriorum adductum eſt his verbis : *Quando per iam dictam ſublimationem. &c.* Itaque & vocatur ſublimatio, quia talis ignis dandus eſt, qualis cum Mercurius vulgi ſublimatur. Hic declarat etiam Lullius, quid ibi ſenſerit, dum iuſſit ſublimare, nempe Philoſophicam & parabolicam ſublimationem inſtituendam eſſe, quæ non fit vſque ad alembicum, ſed circa imum vitri virtutem, & calorem præbet excellentem, & interim ſegregat ſordes imas.

Terra ſigillata & Terra D. Pauli.

Vocamus terram ſigillatam.] Odioſum eſſet metaphorica omnia nomina recenſere. Notanda duntaxat iudico potiſſima, quale eſt terra noſtra ſigillata, ſiue ea ob vim Medicam ita dicta ſit, ſiue, quia ex minera artis petita, & ſignata charactere Philoſophico : ſiue, quia eſt inſtar pulueris niuei, in qualẽ terra ſigillata reducitur, licet non illa veterum rubra, ſed paulina alba. Itaque non immeritò poſſet etiam Terra D. Pauli ſeu Melitenſis dici, quod ſuſpicor alicubi à Paracelſo factum eſſe.

Noſtrum corpus exaltatum, & poſitum in magna dignitate.] Corpus dicebatur Sulphur illud exuccum nigrum, quod animandum erat mercurio. Iam non ſimpliciter corpus eſt, ſed cor-

corpus exaltatum, ſeu ſublimatum, quod exponitur per dignitatis magnæ titulum, ne putes ſublimationem per interualla intelligendam eſſe. Itaque & corpus Philoſophicum appellatur, quod notandum ideò eſt, quia ſunt etiam corpora naturalia, ex quibus extrahitur Mercurius Philoſophicus. In genere artifices corpus vocant id, quod coagulatum eſt; vnde metalla dicuntur corpora; & mercurius, cum coagulauit in metallũ, dicitur in corpus redactus eſſe: Mercurius corporum, qui ex corporibus extractus eſt; & ſunt duplicia corpora, perfecta ſcilicet & imperfecta. Mercuri⁹ crudus eſt liquid⁹ & viuus, qui nunquã corpus fuit. Hæc ſunt diſciplinæ chymicæ anathemata, quib⁹ oportet aſſueſcere Tyronẽ.

Sulphur noſtrũ; noſtrum argentũ viuum.] Animum aduertant hic fatui homines, qui inſultant Chymicis propter peculiariter vſurpata vocabula, cum tamen ſibi licere putent rebus ſuis affingere nomina pro arbitratu. Sulphur Philoſophorum eſt idem, quod eorundẽ mercurius hac in parte; & neutrum ardet, neutrũ fugax eſt in igni. Ita autem res habet. Sulphur vocatur apud artifices aliâs id, quod principium generale eſt miſtorum, & in oleoſis cremiiſque reſpondet oleo; in cæteris peculiare eſt generi cuique. Vnde Sulphur vitrioli, ſulphur antimonii, &c. In metallis eſt principium generationis & coagulationis metallicæ, & modò ſimpliciter & per ſe intel-

intelligitur, modò comparatè. Simpliciter, vt cum in minera naturali consideratur, quod habitus sicci calidique & metallicam virtutem, eamque seminariam habentis specie concurrat cum materia vnctuosa mercuriali, & metallum procreet. Ita, cum soluuntur metalla in sulphur & mercurium per aquas, aut pulueres mercuriales, altera pars substantiæ seu membrum substantiale erat, inueniturque plærumque cum vitriolo metallorum. Præterea, cum in mercurio Philosophico, qualis is materialiter accipitur in principio operis, separatur, & ex centro corporis ad superficiem aquæ eleuatur nigri fumi forma, iterum vocatur sulphur, quod & postea imbibendum est & nutriendum, &c. Sed comparatè lapis ipse & sulphur est, & mercurius Philosophorum, quia vtraque in se habet, & ex vtrisque per coagulationem artificiosam est conflatus. Lapis autem rursus diuersimodè accipitur, pro vt exaltationis diuersum habet gradum: Veluti primi operis lapis est, est secundi, tertii, &c. Est completus, est rudis. Nam necesse est ea principia sæpius resumere, reuocareque ad incudem, donec inde fiat semen perfectum, quod & perfectũ sulphur, & animatum, sicut & mercurius animatus eodem dicitur iure, quanquam hæc etiam generalius extendantur ad opera citeriora. Lullius hic mauult vsurpare notam sulphuris physici, & argenti viui, quia est Elyxir,

Sulphur azymum.

&

& proxima materia principiumque propinquum perfectionis, ad quam peruenit statim administrata fermentatione. Elyxir vocatur mercurius, vt innuit Rosarius, quia se indifferenter habet ad corpora perfecta, sicut stella mercurii ad solem & lunam, si iungitur ei aurum pro fermento, aurificus lapis fit, si argentum, argentificus. Itaq; etiam comparatè ad effectum secuturum idem obtinet nomen. Si quis enim experiri volet, tingere poterit isto sulphure cum suo mercurio coniuncto, quanquam minus efficaciter, quàm post fermentationem, augmentum, & vltimam fixionem.

Dabit autem lector etiam aliquid libertati horum artificum, ipsisque permittet, si fallendi imperitos & indignos gratia sulphuris & argenti sui titulos modò vsurpent de minore, modò de maiore opere, & iam perfectũ fermentatumque & multiplicatum, quia & Medicinam intelligant, iam intra vltimam absolutionem adhuc subsistens. Ego sane aliquando non dubitaui mercurium Philosophorum tùm illum appellare, quem præparauerunt ipsi, quanquam per se nihil aliud sit, quàm crudus, tùm compositum ex corporum mercurio & crudo; iam volatilem, iam fixũ; & pro compositionis exaltationisque diuersitate diuersum. Vnde coincidit nonnunquam cum Azoth & aqua permanente; nonnunquam cum oleo; aliquando cum aqua Philoso-

sophi-

Ita sulphur album minera vel lapis albus in paruo & magno opere: Sulphur rubeũ, minera vel lapis rubeus.

sophica. Quid, quod Lullius audeat hic mercurium vocare, qui tamen neutiquam est liquidus & volaticus, multo minus spiritus, sed puluis coagulatione, & coctione ex volatico mercurio factus? Sic aurum & argentum cæteraque corpora metallica, sæpe mercurii, concreti, aut coagulati, cocti, digestique apellantur nomine.

Arsenicum Philosophorum.

Ros: maior: pater eius est ☉ mater ☽. Ex his corporibus cum suo sulphure vel arsenico præparato nostra elicitur medicina. Idẽ: cum lapis fuerit dealbatus, vocauerunt eum arsenicum & nomine omnis rei albæ, & lac virginis.

Nostrum arsenicum.] Cardanus in 20. de rerum varietate narrat præsidem Parisiorum Emarum Ranconetum ex quibusdam versibus Sibyllinis, quorum initium ἐννέα γράμματ' ἔχω. &c. collegisse arsenicum esse lapidem Philosophorum. Nec est ignotum, quas tincturas sibi aliisque promittant sophistæ operationibus Arsenici fixi. Audiuerunt nimirum hi, Philosophis in ore inter alia esse etiam hanc vocem, cum tamen minimè de vulgari intelligerent, imò, vt est in thesibus Turbæ præmissis, planè id excluderent. Lullius itaque filiis doctrinæ rectè indicat, quod nam sit illud Arsenicum, cuius præsidio tingere conentur artifices, nimirum lapis albus iam secundò exaltatus, qui, si amplius per fermentum sublimetur figaturque, præstet desiderii in hac arte copiam. Ne itaque quis sibi somniet vulgaris arsenici sublimationes, & fixationes, quibus suus alibi in Medicina, & cæteris nonnullis est locus, & quoniam in manu scriptis libellis vulgo, huiusmodi multa promit-

mittuntur, docenturque, ſi finem hunc ſpectare dicuntur, contemnat, repudietque.

Noſtrum aurum.] Noſtrum aurum, inquiunt artifices, non eſt aurum vulgare. Et tamen aqua permanens dicitur aqua auri in Turba, & iubetur ab initio accipi aurum. Bernhardus litem quodammodo diremit, ſignificans. In principio quidem aurum eſſe, ſed nondum aurum Philoſophorum. Illud agnoſcit vel ruſticus; hoc fugit omnium imperitorum oculos, & mille aliis nominibus in diſcurſu artis nuncupatur. Lullius oſtendit eſſe lapidem rubeum minoris operis, cuius materia fuit Mercurius calcis viuæ lunaris, Mercurius vulgi, & aurum. Neq; tamen non licet etiam lapidem aurificum perfectum rubeumque ita appellare. Vides verſutiam. Aurum vocant, quod neutiquam eſt aurum, ſed aliquid ex eo habet. Sed, cur id aurum hic ſeruare iubet? Voluit nimirum præmonere tyronem, hoc eſſe Elyxir commune, quod fermentandum ſit auro, vt euadat lapis & Medicina rubea. Sed, cum non quoduis aurum ad hanc rem ſit aptum; ne erret, iubet de lapide minoris operis rubeo ad aurum, aliquam partem ſeruare ad futuram neceſſitatem. Debuerat id quidem Capite ſeptimo monuiſſe; ſed iudicauit non omnia præmanſa in os eſſe ingerenda. Quomodo vero ſit adhibendum; cap.11. exponetur. Ita cum calcē viuā docuiſſet

Aurum Philoſophorū.

face-

facere cap. 3. & vim eius exposuisset 4. 5. & 6. tamen non addidit etiam ad fermentum conducere, & requiri cap. 9. Notabis tamen alios autores etiam auri calcem, auri tincturam, vel aurum cæmento exaltatum non repudiare, quanquam efficacior sit calx rubra ex auro per modum lapidis præparata.

Nostrum fermentum.] Fermentum non vulgare, sed Philosophicum dicit esse. Facilè intelligitur ratio nominis, quod pauca quantitate multum Elyxiris permutet, & eadem donet virtute. Hæc similitudo nos admonet aurum vulgare non posse fermentum esse; quia fermentum oportet auctualem vim habere, & plenum esse spiritibus efficacibus ad fermentandum. Sicut ergo per putrefactionem & digestionem ex massa, cuius principia erant aqua & farina, fermentum efficitur quod est substantia eadem cum fermentando: ita oportet etiam in opere Philosophico ex auro & mercurio fieri materiam spirituosam, quæ postea ex iisdem principiis extructam, sed non plenè digestam massam ad maiorem efficaciam euehat, & penitus ad vsum salutarem idoneam reddat. Præterea, sicut massa ipsa frumentacea poterat quidem per se eò perduci, quò postea per fermentum venit; Nam ex ijsdem principiis orta, eandem habet potentiam: Sed, vt acceleretur opus, per fermentum immutatur impelliturque ad motum: Ita in opere Philosophorum repetita &

ta & continuata digeſtione lapis ſua ſponte poterat exaltari tantum, quantũ per fermentum; ſed, vt decurtetur tempus, & labor minuatur, fermentum inuentum eſt. Taceo longè commodius maſſam præparari per fermentum, quam diuturniore maceratione; & modum longè exactius ſeruari, ne quid nimis, aut parum fiat, fermenti appoſitione, quàm ſpontaneo motu procurato. Non tamen negandus eſt etiam hic modus, ſi attenti ſint eius procuratores, ne exhalet virtus, &c.

Noſtra calx viua.] Eo nomine etiam minera alba vocabatur cap. 3. & 7. in initio. Sed diſcernuntur cap. 9. Vbi vnà definitur his vocibus: *quæ facta eſt in noſtra prima practica, quam reducebamus in argentum*, q. d. calcem Philoſophorum albam. cap. 11. Calcem rubeam nuncupat hanc, quam hic ſeruare iubet in vſum fermenti.

Et inter ſe gignit filium ignis, qui eſt amor Philoſophorum.] Myſtica locutio eſt, dum dicit Gignit, pro gignunt. Calx rubea pro fermento adiecta Elyxiri albo producit lapidem rubeum in igni conſtantem eique amicum. Vnius & eiuſdem naturæ ſunt illa duo. Itaque gignit tanquam vnum in ſe virtute vegetabili. Ideo vero poteſt calx rubea fermentum eſſe, licet non ſit ſecundò exaltata ſicut Elyxir, quia decoctione ad maturitatem maiorem & igneam naturam eſt perducta. Adhuc caput octauum.

CAPVT IX. LVLLII clauic. De multiplicatione prædicti sulphuris.

PONE *illam tuam materiam in metreto forti, supra quam pone amalgama factum de nostra calce viua, quæ facta est in nostra prima practica, quam reducebamus in argentum. Fieri autem debet de tribus partibus argenti viui vulgi, & vna parte nostræ calcis. Misceantur simul, vt suprà, & pone super ignem cinerum, & videbis materiam moueri. Tunc auge ignem, & in quatuor horis fiet albißima sulphurea, quæ cum fixa fuerit, coagulabit & fixabit omne argentum viuum, vt vncia vna super centum, & rursus in mille, & vsque in infinitum.*

SCHOLIVM.

DOCTRINA huius capitis ferè congruit cum cap. 3. & 7. Mirari quis poterat, cur non per singulare menstruum prius istum lapidem seu Elyxir reducat in argentum viuũ; & postea ei iungat amalgama. Deinde, si verum est, quod cap. 4. scribitur, calcem albam viuam vertere omne argentum viuum vulgi in puluerem, quomodo amalgama hic fieri potest? Ad primum dico, non opus esse ista reductione. Est enim istud Elyxir iam mercurius Philosophicus propinqua potentia; &, cum iungitur mercurio crudo, promtissimè ab eo assumitur. Ad secundum respondeo, per

per Thomæ ſententiam, qui vult malagma hoc debere fieri frigidè. Tunc enim actus tranſmutatorius inhibetur. Sed cum illæ res duæ, calx amalgamata, & Elyxir iunguntur, & calore coquuntur, non longa mora eſt, quin moueantur, eſt & aliquid in copia exceſſuque aquæ. Sed, cur non fit amalgama cum argento crudo, aut eius calce, ſicut cap. 3. Mortuum nimirum id eſt, & remotiore in potentia, quam vt fermentum eſſe queat. Debet enim fermentum eſſe actuoſum, & plenum ſpiritu, calore, & humore. Ideo & non ſola calx eſt, ſed calx cum mercurio. Cur titulus eſt multiplicatio, ſi eſt fermentatio? Lullius fermenti vocẽ maluit attribuere Rubeo. Sed cum hic idem fiat, non abſurdè etiam poteſt dici fermentatio. Multiplicationis vox inde eſt, quia creſcit corpore & virtute ad maiorem copiam tranſmutandam.

Illam tuam materiam.] Sulphur præcedentis capitis album, ſeu Elyxir, pone in vitro firmo, & ſolido.

Super quam pone amalgama de calce viua & hydrargyro.] Nihil refert, ſiue prius facias amalgama ex hydrargyro & calce, ſiue ex Elyxire & hydrargyro, ſicut fit cap. 11. Non tamen facilè diſcedendum eſt ab artificis præcepto.

Fieri debet de tribus partibus argenti viui vulgi & vna calcis viuæ albæ.] Non definiuntur illæ partes ſpeciali menſura: quia

in arbitrio artificis eſt, quantum velit fermentare. Aliis placet pares ſumere Elyxiris, & fermenti; cum triplo hydrargyri. Hæc proportio ſolet etiam ab initio ſeruari, vt Mercurius ſit in prima miſtione triplus ad pondus duorum corporum: Et poſtea eius nouecuplum adijciatur, quo euadat proportione duodecuplus omninò. Sed Lullius cap. 7. hoc non obſeruabat, vt qui pares duplicis Mercurii iniungat, & vix vnam vnciam ſolis, ita, vt aqua ſit ſextupla ad corpus. Theſes præmiſſæ Turbæ quindecim grana fermenti volunt ſufficere ſeu idonea eſſe ad operis maioris fermentationem. Roſarius vnam partem de fermento, & tres corporis imperfecti requirit, quæ porportio reſpondet Lullianæ. Nonnulli aliquanto plus ponunt Elyxiris, quam fermenti: Sed ego puto eam rationem pendere à fortitudine fermenti, ſicut etiam in natura conſpicitur. Itaque qui corpus crudum aut minus elaboratum ſumere iubent, maiorem præſcribunt quantitatem; qui calcem efficacem vegetam Philoſophorum, minorem, &c.

Ex ſenſu cap. 9 & 11. debes ſumere vnã fermenti, tres hydrargyri, quatuor Elyxiris.

Miſceantur vt ſuprà.] nempe cap. 7. & 3.

Super ignem cinerum.] Non indicat gradus ignis, ſed cinerum ignem, qui eſt aliâs gradus ſecundi, nominat. Sane omnes hæ operationes vſque ad gradum tertium fiunt. In cineribus. Intellige ergo nihilominus gradatim hic procedendum eſſe.

Videbis materiam moueri.] Soluitur enim quod

quod coagulatum eſt, & coagulatum viciſſim figit ſolutum. Mercurius agit & patitur. Nam calor adiuuat vim Elyxiris & calcis albæ. Itaque actus eò maior & celerior eſt. Neque tamen obliuiſcitur naturæ ſuæ penetrantis mercurius. Itaque reluctatur frigiditate & humiditate; quâ cauſſa eſt nigredinis.

Tunc auge ignem.] Cum videris ſcilicet motu facto nigredinem emergentem, & materiã ſubinde magis magisq; creſcentem. Hic non opus eſt ſeparatione, quanquam, qui in crudis operantur, hanc præcipiant per omnia, vt in prima operatione, & ſolutioni coagulationique aſſignent dies 40. Sanè indicat Lullius, & ex præcedentibus quoque patet, augendum ignem eſſe tunc, cum nigredine cedente appropinquat & elucet albedo. Itaque addit in 4. horis fieri albiſſimam ſulphuream materiam.

Sulphurea.] Non dicitur Sulphur, ſed ſulphurea, quia ex ſulphure exorta eſt, & vim habet formandi metallum maſculinam. Nihil tamen peccas, etiamſi ſulphur album voces: Nam in ſequente capite ipſe Lullius ſulphur album multiplicatum appellat. Aliâs eſt lapis albus perfectus.

Omne argentum viuum.] Corporeum & crudum imperfectum tamen. Nam & metalla imperfecta mutat, quæ ſunt mercurii quiddam.

CAP. X. CLAVIC. LVLlianæ de fixatione ſulphuris multiplicati.

CAPIATVR *ſulphur iam multiplicatum. Deponatur in metreto, & ponatur oleum deſuper, quod ſeruatum fuerat in ſeparatione elementorum; & ponatur vſq; ſit mollis. Pòſt ſuper cineres ponatur ad fuſionem dando ignem primi gradus, ſecundi, & tertij ad albedinem vſq;. Tunc frange vas, & inuenies laminam cryſtallinam albam. De qua pone ſuper laminam calidam: Et ſi fluat ſine fumo, proijce vnum pondus ſuper mille mercurij de prædicta, & totum conuertetur in argentum. Et ſi Medicina non fuerit fluens & fuſilis, depone eandem in cruſibulo, dando de oleo guttatim, quo ad fluat vt cera, & tunc Medicina veſtra erit perfecta ſuper mille, & poterit multiplicari in infinitum.*

SCHOLIVM.

SI materia albiſſima ſulphurea fixetur, aiebat cap. præcedente coagulabit & fixabit omne argentum viuum, &c. Ratio fixationis iam docetur. Nam per oleum Philoſophorum fixatorium peragitur eo modo, qui iam ſæpe eſt adumbratus, fitque ſoluendo, coagulando, fixando, ſublimando, interim apparentibus humiditate, nigredine, ſiccitate, albedine, quæ tertio ignis gradu abſoluitur, & tunc examini Medicina ſubijcitur.

Ponatur oleum, ſuper quod ſeruatum fuerat in

in ſeparatione Elementorum.] Oleum, oleoſus mercurius ſecundæ coctionis, quæ cap. 8. deſcribebatur, eſt. Nota tamen, quoſdam eo nomine etiam appellare liquorem fermentationis, ſeu mercurium, qui in fermentatione poſt ſolutionem ad coagulandum imponitur. Memineris ergo, cum hic opus ſit iſto mercurio, vt ſatis iuſtam quantitatem ſerues.

Ponatur quouſq; ſit mollis.] Quantum olei ſit ponendum, in ſpecie non definit, cum in tuo arbitrio ſit, quantum ſulphuris velis fixare. Nota datur mollitiei. Dictum ſuprà eſt, mercurium ſolere initio eſſe triplum ad corpus, vel ſulphur; & deinde ſubmitti nouies tantundem, vt duodecuplum euadat. Nonnulli decuplo mercurii perfundunt Elyxir. Sed tamen ſcito, ſi multum liquoris ad ſoluendum ſumſeris, coagulationem eò fieri tardius. Aliud ſignum eſt, vt attendas vim ſulphuris. Nam debet humiditas exuperare & nigredinem excitare. Si nigredo ergo non ſequitur, minus olei addidiſti. Sed tamen in his poſterioribus aliqui non curant nigredinem, nec eius fit à Lullio mentio. Puto id inde fieri, quia minus aquæ conſultò ſumunt, vt eò citius ad finẽ perueniant. Non n. hæc nigredo eſt neceſſaria, ſed illa, quæ caput corui vocatur cap. 8. ſine quo temerè in arte verſatur.

Ponatur ſuper cineres ad fuſionẽ.] Soluendum ſulphur eſſe igne cinerũ dicit. Itaq; materia incluſa violæ in catino cinereo collocabitur, &

Fuſio hic eſt ſolutio per mercuriũ.

ignis per gradus,vt ſuprà,adhibebitur. Nota, quod iubeat primum gradum dare, per cineres, aliâs per balneum. Nimirum valet hic induſtria artificis, vt in præcedente quoque capite.

De qua pone ſuper laminam calidam.] Particula quædam eius cryſtallinæ laminæ puluerata debet inijci ſeu inſeminari bracteæ æreæ candefactæ. Nam lapis albus ſolet in ære tingendo ſpectari. Iudicat hoc iudicium non tantùm mutari metalla in mercurium,redacta, aut liquefacta, ſed etiam in laminas aut bracteas diducta,& ignita, idq; in ære &ferro.

Si fluat ſine fumo.] Fluere debet, hoc eſt, fundi & liqueſcere ſicut butyrum aut cera;nõ tamen fumare,ſeu more hydrargyri per fumũ diſſipari & euaporare. Hoc enim ſignum eſt fugacitatis, quodque ad iuſtam fixonem nondum peruenerit nec dum conſtans vnio ſit facta.Non addit remedium huius exhalationis Lullius; Sed tamen alii artifices monent, coctionis plus requiri. Si adhuc fumat, inquit quidam, iterum eam immitte in ignem cum vitro,& diutius ſine ſtare, donec ſatis ſit fixata,tandemque nata erit regina in albo, aut rex in rubeo,qui retinet argentum viuum in igni, &id tingit.

Si Medicina non fuerit fluens & fuſibilis,&c.] Hoc fit, cum nimia ſiccitate eſt refractaria. Remedium eius ponitur expreſſis verbis. In libro Mercuriorum Lullii hæc leguntur:

Alia Lulliana.

Quan-

Quando ſublimaueris, & repereris dictam puram ſubſtantiam Mercurij: tunc fixabis illius vnam partem. Poſt hanc fixatam, fixa aliam. Ergo reitera ſublimationem partis non fixæ ſuper rem fixam, quouſq; illa ſimiliter ſit fixa. (Nihil hæc aliud habent, quam multiplicationem, quam fixationem vocat & deſcribit cap. 10. pars fixa eſt lapis fermentatus: non fixa eſt mercurius, qui eſt materia incrementi tanquam nutrimentum: vel Elyxir diuide, & vnam partem fige fermento; fixæ coniũge partem aliam non fermentatam & coque, atque ita de cæteris. Verba vero etiam ſonant de coagulatione particulari. Cum enim ſolutum eſt corpus, coagulari debet per partes, & vnâ coagulatâ, ad alteram procedendum, &c.)

Vide Gebrum in Medicina alba ordinis tertii.

Probando ita, ſi bonam fuſionem præſtiterit ſuper igni. Si ſic: factum eſt. Si non; coniunge illi de argento viuo exuberato reiterando eius ſublimationem, quouſque ſit fuſile. (Vides argentum viuum exuberatum ſeu reſeruatum ex operatione ſecunda, aquam & oleum eſſe rem eandem; & ſublimationem, vt & Arnoldus, & autor Roſarii Philoſophorum conteſtantur, non eſſe eleuationem per diſtantiam, ſed incrementum virtutis per coctionis frequentiam.) *Sed illa illud facit de ſuo argento viuo. Et ideo ipſa eſt ſimplex. Si vis Lilam magis compoſitam, & vis eam de mercurio: diſſolue eam in aqua prima, quæ eſt exuberata ex anima dicti mercurii, de quo ſit tinctura. Poſtea ſepara aquam per deſtillationem ſuper feces, quouſ-*

Arg. viu. exuberatum eſt oleum.

que aqua biberit & extraxerit ad se humiditatem secum Mercurij. Ista est humiditas creatiua, quæ super alias omnes manet super pugnam ignis & sic per solam substantiam Mercurii facimus excellentem medicinam albedinis. Et, sicut diximus de vno mercurio, ita nos accipe de omni. Non expellimus vulgarem nec communem, id est, *Philosophicum. Sed benè intellige, quod vbi ipse est communis, ponitur, sicut scimus nos, qui illum cognoscimus, in propria virtute.* Hæc Lullius in libro Mercuriorum. Continent autem hæc vltima verba multiplicationem fixati lapidis duplicem, vnam per Mercurium Lunarem, alteram per hydrargyrum vulgarem. Processus vtrobique est communis, & congruit cum superiobus. Certè enim in omni operatione etiam millies instituta, vnus tantum est modus solutionis, coagulationis, fixationis & sublimationis, quanquam tempora in aliquibus sint breuiora, in aliquibus prolixiora propter inæqualitatem virtutis in materia & peritiæ artificis aliarumque circumstantiarum.

Humiditas creatiua, Elyxir in suo oleo resolutum & auctum. Merc. communis est Philosophicus.

Porrò, quæ de iudicio per fusionem, eiusque supplementum posuit Lullius, inueniuntur etiam in Rosario Philosophorum titulo incerationis. *Abhinc ergo*, inquit, *extrahe de lamina crystallina, quam in fundo reperies lucidam, & primo tere, & cera inceratione vltima, guttando super ipsam guttam ad guttam in crusibulos super ignem leuem de suo ære albo iam dicto donec fundatur, vt cera sine fumo. Tunc proba super lami-*

Ex Ros. Phil.

lamina ignita. Si se resoluerit velocißimè sicut cera, cerata est. Si vero non, reduc ipsam *ad cerandum guttam ad guttam de suo oleo albo, donec fundatur, vt cera sine fumo. Et hoc quidem est præceptum omnium Philosophorum*, &c.

Multiplicari in infinitum.] Multiplicatio, inquit Geber, citante Rosario, Elyxiris, fit duobus modis, vnus est per reiteratam solutionem, & coagulationem lapidis; alter per proiectionem primi lapidis Elyxir super corpus aut album, aut rubeum tali quantitate, vt idem corpus etiã, vertatur in Medicinam. Et tunc simul hæc imponentur ad soluendum in sua aqua & menstruo. Et sic Elyxir primum est fermentũ talis tincturæ. Lul. loquitur de modo primo, cuius ratio præclara est in fermenti natura. Nã sicut massa frumentaria semel fermentata ad vsum cõuerti potest, & pinsi; pars vero eius decisa seruari, donec plenius acescat & nouã massam fermentet, & de hac iterum accipi fermentum, vsq; in infinitum: ita est negotium lapidis semel confecti. Vim autẽ exaltat coctio, sicut ibi maceratio, in qua principiũ est putrefactionis. Spiritus enim subinde augẽtur & suscitantur ex natura materiæ. Necesse autẽ est, augmentum fieri per simile, & familiare. Itaque in opere Philosophico, quia lapis ex mercurialibus substantiis factus est, iisdem etiam multiplicandus est. Hinc mercurio Lunari primũ augetur Elyxir, secundo etiã Mercu-

Multiplicatio.

Proiectio super corpus suum.

Mercurio crudo; ſed & vtriſque miſtis poteſt. Quando per corpora incrementum inſtituitur, id non poteſt porrò extendi in infinitum ſed Elyxir inde factum ſtatim tranſmutat corpora imperfecta. Nonnulli vnam partem Elyxiris fermentati proiiciunt ſuper centum Mercurii loti vulgaris; & dicunt fieri Medicinam: huius iterum partem vnam centum aliis hydrargyri calefacti immittunt, fitque iterum Medicina, quæ tandem tingit hydrargyrum mutatque in argentum, vel aurum, prout fuerit album vel rubeum.

Super mille mercurii.] Lunaris ſcilicet, vel etiam vulgi, aut vtriusque. Semper tamen efficacior eſt corporeus. Ad ingreſſum præſtandum, pro mercurio aliqui calcem capiunt ad album quidem, lunarem, ad rubrum vero ſolarem; & decies mille partes ex vna faciunt, & ex harum vna iterum totidem. Itaque quod Lullius de mille refert, quodam artificio aſcēdit ad dena millia. Pono enim te habere vnciam vnam Elyxiris ſeu lapidis albi. Hæc proiicienda eſt ſuper vncias centum mercurii. Finge iam, te habere vncias centum; harum quælibet iterum conficiet in eadem materia centenas, vt ſint centies centum, hoc eſt, decies mille vnciæ. Vides autem, ad hanc ſummam non vna ſed duplici proiectione perueniri. Si lapis eo excellentiæ eſt perductus, vt initio in prima multiplicatione mille partes mercurii vertat in Medicinam, & in ſecunda

quælibet harum iterum mille, ad decies centena millia aſcendetur, & hoc omne erit medicina ad mille partes mutandas qualibet vnitate efficax. Tandem itaque ad decies millies centena millia ſumma perducetur. Tanti erit vel vnicam feciſſe vnciam lapidis. Iam cõſidera, ſi exorſus es ab vnciis 7. ſecundum caput 7. Lullii, & auxiſti operatione ſecunda cap. 8. & 9. & 10. quantæ ſpei ſit negotium. cap. 8. vncias octo cogit. Ex his factus Mercurius diuiditur quidem, ſed tandem tamen totus ſit lapis. Adde cap. 9. amalgama ex 4. partibus factum: & finge vncias. Habebis iam duodecim. Has multiplica dicto modo, & collige ſummam. Theſauri magnitudinem admiraberis. Non tamen totum Elyxir ſeu totus lapis ſolet inſumi in tranſmutatione. Pars ad ſanitatis curam ſeponenda eſt, pars pro fermento ad multiplicationem.

Si dimidiã partem vſurpares ad tranſmutationem, ſexagies millies conficeres.

CAP. XI. CLAVIC. LVLLianæ Reductio Medicinæ albæ in Elyxir rubeum.

ACCIPE *igitur in Dei nomine quatuor vncias de lamina prædicta, & diſſolue in aqua ſeruata de lapide: Et cum diſſoluta fuerit, pone in balneo ad fermentandum per nouem dies; & capias duo pondera de noſtra calce rubea, & proiice in prædictum vas, & fermentetur per nouem dies, poſt deſtilletur in alembico, & in balneo; poſt ſuper cineres, dando ignem*

ignem primi gradus, quousq; materia fiat nigra, quæ est nostra secunda dissolutio, & nostra secunda Eclipsis Solis cum Luna (seu quam fecit Sol cum Luna) quod est signum veræ dissolutionis, & coniunctionis masculi cũ fœmella. Post auge ignem vsq; ad secundũ gradum ad citrinitatem materiæ. Deinde fortificetur ignis quarti gradus, donec materia fuerit fusa sicut cera in colore hyacinthi, & est materia alta & regalis Medicina, quæ promtè curat omnes infirmitates corporis ægri, & conuertit omne metallum in aurum purum melius naturali. Et nos reddamus gratias Saluatori glorioso, qui in gloria cœlorum regnat Trinus & Vnus in æternum & vltrà.

SCHOLIVM.

FERMENTATIO Elyxiris ad rubeum hoc capite continetur, vnde quod fit, appellatur lapis rubeus Medicina rubea, Elyxir rubeum, &c. Materia est Elyxir album, vel lapis albus. Fermentum vocatur aurum Philosophorum, hoc est, minera rubea, calx rubea, &c. ex auro facta, seu lapis minoris operis ruber. Elyxiris ponuntur vnciæ quatuor: Fermenti pondera duo: Hæc iungenda sunt in tertio. Itaque soluitur Elyxir merc. reseruato ex operatione secunda, de qua cap. 8. solutioni additur fermentum & benè commiscetur. Administrati ignis per gradus, vt primo nigredo emergat fiatque solutio, secundo coagulatio, tertio albificatio, quarto rubefactio. Albedinem præcedit cauda pauonis. Examen huius lapi-

lapidis rubei est fluxus, qualis est ceræ in lamina argentea ignita absque fumo. Remedium non respondentis est idem cum eo, quod dictum est capite præcedente. Poteris tamen pręcauere fumigationem, si operam des, vt Medicina sat sit colorata, & Rubini instar sublimiter tincta. Fructus tincturæ idem, sed tamen preciosior, quam in auro.

Cape de lamina prædicta.] Crystallinam eã vocabat. In Rosario Philos. lamina crystallina appellatur Elyxir. Notabis itaq;, quod supra dictum est Elyxir aliâs perfectũ capi, aliâs imperfectum, seu cõmune. Perfectum, hoc est, fermentatum iam & multiplicatum, vt c. 9. & 10. dictum est, à Lul. quidem per fermentũ rubeum transmutatur ex albo in rubeũ; sed Rosarius Philosophorum ex Arnoldo, per solam, inquit, coctionem potest albedo deuenire ad rubedinem. Nam ignem sic continuando æs nostrum album, si diligenter coquatur, optimè rubificatur. Igne ergo sicco & calcinatione sicca decoquatur, donec rubeat, vt cinabrium, cui de cætero nequaquam imponas aquam neq; aliam rem quousq; ad cõplementum decoquatur rubeum. Alius: Si Medicinã albam perducere ad rubram velis, continua calorem, donec ex albedine sequatur citrinitas, quo facto non potes peccare regimine ignis. Suadeo tamen, vt in priore calore perseueres sat diu, nec festines. Et fiet tandem instar sanguinis hircini, non tamen ita tenebrosum, sed vt rubinus spissus.

Crystallus Philosophorum.

Turba indicat arbitrarium esse opus hoc: Rubigo, ait, est opus secundum, quod ex solo auro fit, & ob id hirudinem vocarunt. Accipite ex altera compositione partem, & partem ex auri fermento, eique mundam sulphuris aquam imponite. Non tamen opus est fermentare per aurum, quia album Elyxir rubescit coctione, vt vidimus cap. 7. Et Turba iterum dicit: in ipsa albedine rubor occultatur, & hic non extrahendus est, sed eousque coquendum, donec altissimum fiat rubeum. Longè tamen efficaciorem fieri lapidem, si ex albo fermentato & fixo coquatur ad rubedinem, aut denuo fermentetur illud ipsum Elyxir, sicut hic docet Lullius, quam si secundæ operationis Elyxir commune ad rubedinem sine fermento perduceretur, manifestum est.

Dissolue in aqua seruata de lapide.] Aqua primæ solutionis vocatur: & aqua mundi sulphuris, de qua cap. 8. dicebatur, quod balneo destillata, destillanda esset sæpius, quoad depurata foret, & reducta in materiam crystallinam. Quæ verba quanquam possint etiam accipi de menstruo coagulando, vt postea iterum vsui sit solutum deliquio: potissimum tamen referuntur ad mercurium. Sed tu ipse cogita, quod tibi faciendum sit, cum huc perueneris. Certè scopum vides. Nam lapis albus soluendus est in mercurium, eique addendum fermentum. Postea vtrumque simul per ignis gradus coquendum. Iam autem est du-

plex

plex ſolutionis via, vna per mercurium, altera per aquam mercurialem. Quidam fermentum ſoluunt in hydrargyro loto. Soluunt & lapidem per aquam viuam fœtentem ſeu mercurialem. Solutiones copulant & digerunt.

Cum diſſoluta fuerit, pone ad fermentandum per nouem dies.) Seorſim ſoluendam eſſe laminam illam ſeu Elyxir perfectum, audis. Iam in antecedente capite dictum eſt, id tranſmutare millecuplum mercurium in argentum. Nō ergo ſoluetur mercurio, niſi fortè frigus eius actum retineat. Poteris periculum facere in pauco, & menſtruo ſoluere; & poſtea repurgare, & nouem diebus in fimo vel balneo digerere. Id enim ſignat hìc vox *fermentandi*, nempe circulationem in calore leni, vel digeſtionem.

Duo pondera noſtræ calcis rubeæ.] Ex ſuperioribus coniicere potes, quanta ſint hæc pondera. Videtur dimidium calcis poſci. Sed ſolutionis modus & progreſſus te manu ducet. Cum in albo opere ad fermentandum iunxerit tres hydrargyri, vnam calcis, & Elyxir album: Cogita, an non in rubro ſimiliter, quod alii volunt, debeas facere: hoc eſt, in fermentatione tam alba, quam rubea vnam partem Elyxiris ſumere, & vnam amalgamatis ex fermento & hydrargyro, veluti: ſint Elyxiris vnciæ 4. hydrargyri tres, fermenti vna. Ita octo haberes vncias, ſeu marcam.

Thomas: ſi acceperis ſeptimam decimam partem ignis & commiſcueris cum his deſtillando, & imbibendo, eueniet tibi lapis rubeus clarus ſimplex, non adurens, &c.

Destilletur in alembico in balneo, post super cineres.] Si soluisti seorsim Elyxir aqua mercuriali in Mercurium, opus est alembico, & destillatione & ablutione. In cineribus vero collocatur vitrum cum tota materia & digeritur ad nigredinem, vt suprà. Sin aliter vt in albo duplex fuit praxis, & hic erit, sed tectis verbis indicata.

Nostra secunda dissolutio.] Quæ scil. instituitur in opere maiore cum auro. Prima cap. 7. descripta est: nec octauo, 9. & decimo aurum est desideratum. Hinc & secunda Eclipsis Solis & Lunæ appellatur. Sol est corpus perfectum maius, inquit, Rosarius Philosophorum; Luna est perfectum minus. Debent autem non intelligi rudia & vulgaria, sed horum planetæ, seu essentiales calces, sicubi de fermentatione agitur. In aliis analogia spectanda.

Masculi cum fœmella.] Si adhuc tenes memoria, quæ in præfatione, & c. 1. de duplici mercurio, eiusq; qualitatibus dicta sunt; & intelligis, vt ait Rosarius, mercurium Solis esse calidum siccum; mercurium Lunæ, frigidum siccum, & hydrargyrum frigidum humidum: cócludes, masculum quidem hîc esse aurũ Philosophicum; sed fœminam non solum Elyxir album; nõ enim foret humidum: verum cum hydrargyro. Itaque aquæ nomine, quid designetur, vnà coniicies. Non tamen reiicio solutionem per menstruum.

Merc. ☽. frig. sic. aliis frig. hum.

Auge ignem ad 2. gr. ad citrinitatem materiæ.] Obscurè

ſcurè dictũ, ni ſit deprauatus codex. In omnib. hactenus audiuimus, ſecundo gradu fieri coagulationẽ, vſq; ad conſpectũ albedinis, & tertio procurari figiq; albedinẽ. Tũc recte quart⁹ citrinat & rubificat. Vide c.7. vbi par labor eſt.

Curat omnes infirmitates corporis.] Ita ſcribunt plærique, vt videre eſt apud Lullium variis locis, Roſarium Philoſophorum, Paracelſum, Richardum, & alios. Sed deeſt adhuc experientia. Alter vſus in tingendo nominatus quidem à Lullio eſt, ſed non expoſitus. Itaque conſilium eius fuit magis conſulere corporis firmitati, quam diuitiis. Qui habet iſtud donum Dei, inquit Roſarius Phil. mundi habet dominium, quoniam ad finem diuitiarum peruenit, & naturæ vinculum confregit: non tamen ex eo, quod habet, poteſtatem conuertendi omnia corpora imperfecta in puriſſimum Solem vel Lunam: ſed magis ex eo, quod hominem & quodlibet animal præſeruat in conſeruatione ſanitatis, &c.

Lapis magis Medicinæ gratia, quam diuitiarum quærendus.

CAP. XII. LVLLIANÆ Claui Recapitulatio totius magiſterii ſub forma breui.

OMNIA, *qua tractauimus in hoc libro, didicimus eſſe vera, & teſtificamur: & cum oculis noſtris vidimus, manibus palpauimus, tetigimus, & fecimus & huius recapitulatio totum noſtrum magiſterium cũ breui ſermone*, & ſine fictione *complectitur. Nos igitur mãdamus lapidẽ quem nominamus*

vt ſubtilies eum tam per ingenium naturæ, quam artis, & reducas in argentum viuum, & huic argento viuo addatur corpus album, quod eſt eiusdem naturæ, & decoquatur, quouſq; veniat ad veram præparationem mineræ. Et illa minera multiplicetur ad tuum velle. Et iterato prædicta materia reducatur in argentum viuum, & diſſolue in noſtro menſtruali, vſq; quo lapis fiat volatilis ab omnibus ſuis elementis diuiſus: Et vltimo, quod perfecte purgetur, vſq; ad vltimam perfectionem, tam corpus, quam anima, quo poſsit fieri bona coniunctio corporis cum ſpiritu, de calore naturali temperato: Et lapis efficiatur minera, & continuetur ignis, vſque in puluerem reducatur album, quem vocamus ſulphur, & argentum viuum Philoſophorum, & tunc vigore ignis fixum fiat volatile, in tantum, quod euolet à ſuis terris groſsis & aſcendat in altũ candidior niue, & fundalia proiiciantur, quia nihil valent. Tunc recipe ſulphur noſtrũ, oleum prædictũ, & multiplicabis cũ ſuo dicto alembico, quouſq; denuo reducatur in puluerẽ album candidiorem niue, & fixentur pulueres multiplicati ingenio tam naturæ, quam practicæ decoquendo cum aqua, donec omnia maneant in examine ignis fluentia, vt cera ſine fumo. Et addenda eſt aqua primæ ſolutionis, qua ſolutione facta, addatur aliquod citrinum, quod eſt aurum, per modum coniunctionis cum diſtillatione totius animæ. Poſt detur ignis primi, ſecundi, tertij, & quarti gradus, donec mutetur in colore hyacinthi veri, & fixi fluentis ac fundentis. De quo, ſi proiicias vnum pondus ſuper mille mercurii vulgi, mutabitur in aurum finiſsimum.

SCHO-

SCHOLIVM.

DECEM capitibus à 2. vſq; ad 12. comprehenſa in ſummam coguntur ad vnum ſcopum vltimum, qui eſt auri per artem confectio. Minus opus album & rubeum, Elyxir item album, quo ad vſum peculiarẽ diſſimulantur, cùm ſatis expreſſe de eo traditum ſit ſuis capitibus. Operæ precium autem eſt ſummam laborum inire, vt quoties idẽ ſaxum Siſyphiũ ſit voluendũ reuoluendumq; laboraturo ſit in cõſpectu. Septẽ operæ exercitatiſſimi hominis requirũtur anteq̃ incipias, ne quid dicã de apparatu rerum, quæ deſiderantur, ſingulari. Præparanda tibi ſunt initio ex mineralib. ſuis tria menſtrua, quorum vnumquodlibet circulandum diſtillandumq; ſepties eſt, donec plane cœleſte euadat. Ex fine triplici numero opera tria. Quarto parandum eſt oleum tartari, quod poſtulat calcinationem, ſolutionem & filtrationẽ. Quinto, pręterquam quod argentum puriſſimè ſepties fulminãdum eſt, & poſtea in bracteas ſubtiliſſimas extendendum, per mercurium in calcẽ redigi debet, in quo ipſo etiã ſunt ſuæ operæ in præparando hydrargyro, faciendo malagmate, terẽdo, exprimendo, reuerberando, ſalem parando abluendo & cæteris. Sexto Mercurius ex ea calce eſt faciendus per menſtruum, vbi iterum in ſubſidiis ſunt imbibitiones multiplices, digeſtiones, deſtillationes, reſolutiones, ſeptimo

Hic ſunt labores 24. præter particulares præparationes in colcotare, cinabari, aqua vitæ tartari. ſata, &c. faciendis.

ex illo mercurio cum argento viuo & argento foliato facienda calx viua, vbi amalgamatio, & digeſtio per gradus ignis maximæ induſtriæ. Videmus itaque ſtatim in principio arceri capita bœotica & ignauos fucos, nec admitti auarum præcipitemque hominem, ſed placidum, vigilantem, prudentem & peritum, quique poſſit aliquos ſumtus in miniſtros conferre, & temporum moram ſuſtinere. Quod ſi tamen tædium obrepere inceperit, & ſumtuum difficultas premere: reſpirandi occaſio eſt, cum minera, vel calx viua eſt facta. Nam poteſt multiplicari, & certa portio cum argento reduci. Lętabitur itaque benedictione diuina, & fructum manuum ſuarum comedere poterit, ſi velit Philoſophus. Sed non eſt hìc hærendum. Non enim hic finis eſt artis, ſed principium duntaxat, aut potius προπαρασκευὴ ſeu præludium. Iam itaque ſequuntur labores verè Philoſophici, qui plus poſtulant induſtriæ & experientiæ, quam habent moleſtiæ, præſertim, cum præſes operis ſemper inueniat, quo ſe oblectare denuo poſſit; & interim, ſi ſumtus non reſponderint, quaſi obiter ſuam mineram augere & reducere pro libitu. Iam enim ſecurus eſt paupertatis. Numerari autem alia conſideratione aliter poſſunt huiuſmodi labores; ſed ab initio compoſitionis Solis cum Luna principaliter vſque ad complementum lapidis rubei quinario contineri queunt,

quibus

quibus adduntur obiter in opere minore ad rubeum, & in lapide albo vſurpãdis tot, quot animus perſuaſerit. Nõ enim hic eſt finis certus, ſicut nec poſt abſolutionẽ operis magni. Primo loco pono (aliis aliter liceat recẽſere) coniunctionẽ mineræ albæ cum Sole ſeu cõiugium regis & reginę, vel, viri rubri cum alba muliere in cruda camera, in quo opere ſolutiones, coagulationes, fixationeſq; eo ordine ſunt per ſua momenta procurãdę, vt perpetuò poſthac præcipitur; itaq; ignis per gradus regendus, vt nigredo, albedo, & rubedo ſe ordine legitimo cõſequantur. Diuidetur autem in duos actus; vnus deſinit in albo perfecto, alter hinc progreditur vſq; ad rubeum. Itaq;, cum album prouenit, diuidẽda materia eſt, & pars ſeruanda, pars rubefacienda. Hæc pars rubea eſt lapis operis minoris rube9, & ſimul fermẽtum rubedinis. Itaq; portio eſt ſeponenda vt tandẽ ſit pro fermẽto. In altera portione poſſumus experiri vim naturæ, & ad excutiendũ tædium diuturni tẽporis, eã multiplicare cum mercurio Solis addito hydrargyro, vel etiam hoc ſolo, vt factum eſt in minera alba: Et deinde cum corpore Solari reducere quantũ libet. Iam habet Philoſ. duplex & oblectamentum, & emolumentum, poteſtque iam argentum & aurum beneficio Dei per artem facere, vt non habeat opus implorare auxilium diuitum. Ipſe per ſe eſt diuite ditior. Interim procedit labor ſecundus in minera iſta

 ſub-

ſublimanda, augendaque corpore & virtute. Itaque eam reſoluit in mercurium, additoque hydrargyro denuo coquit per gradus ignis vſque ad albedinem conſtantem, quæ vocatur Elyxir vel Sulphur album, & argentum viuũ Philoſophorum. In hoc opere hydrargyrum ſeu oleum diuidit in tres, vel quot videntur, portiones, vnaque inſumta reliquas ſeruat.

Hunc excipit labor tertius. Iam enim reſumit mineræ albæ primæ portionem, eamque nomine fermenti addit ſulphuri interuentu Mercurii (hic enim eſt medium cõiunctionis) & coquit per gradus, donec efficiatur lapis albus. Quarto hic lapis eſt multiplicandus figendusque vt cryſtallinus euadat, & proſit ad tingendum. Itaque cum oleo prius reſeruato iterum coquitur, vt antè. Sed hic eò minus tædii eſt, quo citius ob virtutes auctiores abſoluuntur operæ imò hic lapis albus diuidendus in partes duas eſt, vna multiplicanda, vt prodeat medicina, cuius vna portio conuertat mille partes argenti viui, vel corporis imperfecti in argentum. Altera diuiſionis pars reſtituẽda Vulcano eſt, & vel ſolo igni coquenda, vſque quo rubeſcat; vel appoſita calce rubea pro fermento, fermentanda, vnde vires acquirit longè validiores. Cum hic ad rubedinem cincbarinam per nigredinem & albedinem peruentum eſt, finit præceptio Lulliana, & ſic hæ quinque operæ etiã ſunt abſolutæ. Potes iam Medicum agere o-

omnium morborum per vnam Medicinam, vt aiunt. Sed, si velis metalla & argentum viuum in aurum vertere; debes, vt albam fixisti, ita & rubram Medicinam. Itaq; addes oleum mercuriale, vel aureum, vel hydrargyrum, & coques priore modo: qui foret labor sextus. Hinc multiplicando Medicinam facies, siue per hydrargyrum, siue corpora imperfecta. Ita compleueris laborem septimum, & tandē tinxeris ad libitum; iterumque partem tincturæ reseruatæ multiplicaueris in infinitum. Vnum est, quod non neglexerit in hoc opere transmutatorio versaturus, nempe, vt martis non obliuiscatur sicubi per mercurium merum & Medicinam & metallum tàm album quàm rubeum facere velit. Est & respiciendum ad cap. 7. Sicut enim calx viua rubra non fit metallum sine suo corpore; ita volunt Medicinam rubram non ingredi sine corpore solis millecuplo, nec albam sine argento. Cætera superius sunt declarata. Constat ergo in principio, vbi est rerum præparatio, nec mulieris nec puerorum opus esse, vti nec in vsu ipso. In medio, vbi ignis moderandus est, tàm parum quidem molestiæ aut laboris est, vt id sustinere vel puer aut mulier possit; sed tamen requiritur industria, ne calor excedat aut deficiat, prætereantue signa in primis exactè obseruanda. Cum item Medicina omninò parata est, nec quicquam desiderat præter proiectionem, iterum est opus puerorum, &

Non est opus puerile, si totum spectes.

 muli-

mulierum: ſed non examina. Ego vero tibi conſulo, vt procul & pueros & mulieres arceas. Quid enim proficui ſit ab oſcitantibus & fatuis? Hanc ob cauſſam, quia ingentem induſtriam & peritiam, animique ſingularem modeſtiam, pietatem, & tolerantiam requirit, etiamſi ſcripſerim verbis plebeis de arte, & omnes ruſtici legerint, tamen inde non paſsim Phyſici erunt, aut artifices. Taceo aſinos illos bœoticos, qui ſe Paracelſiſtas nominant, ideneos ad rem eſſe, vt ὄνοι πρὸς λύραν.

Artis certitudo.

Omnia, quæ tractauimus.] De veritate artis loquitur quomodo & Hermes incipit ſuam Tabulam; & Geberus, citante eum etiam Roſario Philoſophorum, inueſtigatione noſtra, inquit, certi ſumus, & per experientiam manifeſtam conſiderauimus omnia verba vera eſſe, &c. Item per noſtram experientiam digitis extraximus, vidimus oculis, manibus tetigimus, quæ ſcripſimus, &c. Quam multi Deum & omnia ſacra teſtantur? Stultorum ergo contemtu non moueatur artis tyro.

Fidelitas doctoris. Ita in titulo: omnia apertè declarantur: in præfatione: ſine vlla fictione artē totam declarabo.

Sine fictione.] Nihil falſi, fictique propoſuiſſe in hoc libro Lullium, non tantùm ipſe dicit, ſed & conſenſus omnium artificum euincit. Ego certè quanquam ad operis complementum nondum perveni, teſtor tamen, me multa argumenta veritatis his oculis vidiſſe. Si Dominus vitam permittet, non grauabor etiam porrò progredi, aut ſaltem filios inſtruere. Cur nunc non poſſim pergere, non ſunt cauſæ nullæ.

La-

Lapidem, quem nominamus.] Materiam, quam appellamus lapidem. Hæc enim vox modò ſignat apud artifices materiam Elyxiris, modò Elyxir perfectum. Ea vero materia ab aliis non exprimitur niſi obiter. Itaque etiam tot in artem irrepſerunt difficultates. Lullius ab initio calcem argenti habet, qui eſt lapis, vnde incipit. Ex hac fit mercurius; ex mercurio, argento, & hydrargyro calx viua; ex calce viua, auro, & hydrargyro minera ſecunda; ex qua & hydrargyro Elyxir. Iſta eſt materia. Itaque à diuerſis ob diuerſas diſpoſitiones diuerſis appellatur nominibus, vt aurum, argentum, mercurius, ſulphur, mercurius Philoſophorum, aurum Philoſophorum, &c.

Autorum ſententiæ de materia.

Sumite nihil aliud, inquit Paracelſus, quàm de Leone rubeo ſanguinem roſeum; & de aquila gluten album. Autor manualis ait: Natura dedit rem quandam, in qua duo, tria, quatuor myſticè tanquam in arca ſunt concluſa & quieſcunt, quorum virtus ſufficit poſt præparationem ad omnes perfectiones. Debes autem iſtam rem præſcire, &c. In Theſauro mentio fit mineralis duplicis, quorum vnum ſit in oriente aſtri ſphæræ ſolis, alterum in aſtro meridionali, in quo iaceant concluſi omnes colores mineraliũ, quod ſit frigidum humidum aquæ comparatũ: In quo inueniantur tres ſubſtantiæ, MERCVRIVS, ſulphur & aqua mineralis per quæ à natura

ſit

ſit compoſitum, &c. Bernhardus vult eſſe duplatum mercurium. In Turba vocatur materia, in qua duo elementa appareant, ſcilicet aqua & terra; duo ſint occulta, aër nempe & ignis. Iubet æs noſtrum aquæ miſcere. Item aquam oportet in tres partes diuidere, vna additur auro cum qua regitur, &c. Coque argentum viuum cum ſuo corpore, donec fiat aqua fluxilis, &c. Ex auro & mercurio facienda eſt aqua per coctionem, &c. Introducite citrinum cum ſua vxore in balneum, vbi ſint, donec eorum color & corpus vnum fiat. Dein reddite ei ſudorem ſuum. Oportet accipere ex ære noſtro partem vnam, & ex aqua permanente partes tres. Aqua auri eſt aqua permanens iuncta ſuo compari. Vnum eſt argentum viuum igneum; alterum eſt corpus in eo compoſitum, tertium eſt aqua ſulphuris, quod appellant argentum viuum. Iubeo vos arg. viuum arg. viuo miſcere, donec fiant vna aqua munda: Item in arte eſt arg. viu. de cambar; & eſt in nummis arg. viu. de maſculo. Nihil aliud curate; quia non ſunt, niſi hæc duo. Item: omnis noſtra ſcientia eſt natura maſculi & fœminæ. Hæc & ſimilia paſſim in Turba inueniuntur, nec intelliguntur difficulter, ſi, quæ ex Lullio notauimus, attendantur.

Vt ſubtilies eum per ingenium naturæ & artis.] Paulo infrà tàm naturæ ingenio, quàm practicæ ait. Sanè ipſa materia accipitur à natura.

In

In ea eſt vis ſeminaria multiplicabilis, & ignis inſitus cum ſpiritu, vt loquuntur. Hæ potentiæ in actum deducuntur per artificem adhibitis inſtrumentis naturæ & artis; & patientia accommodantur agentibus quouſque decet. Nam ſemper aſſiſtit artifex, & motum naturæ per externa adminicula incitatum gubernat, ne quid præter ſcopum fiat. Sic ergo lapis naturalis eſt, eſt & artificialis. Naturalis eſt, quia vim à natura habet, eamque ſibi inſitam quidem, ſed quieſcentem in potentia. Hinc dicunt, quod natura dederit rem iſtam, ſed imperfectam, vel immaturam, quæ poſtea proficit ad iuſtam maturitatem, arte motum provehente. Ita & naturalia ſunt adminicula, nempe ignis occultus in hydrargyro, & vires menſtruorum; inſuper ignis externus. Sed artificialis vocatur, quia ingenio artificis, principiisque artis ab experientia ſumptis opus eſt. Certè etiamſi initium motus acciperet à calore terræ Mercurius auri, tamen non promoueretur ſola natura ad finem, quem adipiſcitur artis ope. Sunt enim variæ hic, eæque determinatæ coniunctiones, ſeparationes, progreſſus & fines, qui artificis induſtriã deſiderant. Sunt & artis inſtrumenta commoda, ſine quibus fruſtrà opus inſtitueretur. Meritò itaque à natura & arte nuncupatur lapis. Apparet hinc ſtultitia eorum, qui auri fabricam ſolis artificibus tribuunt, & hinc contra ipſos artemque petunt argutias ſophiſticas.

Lapis eſt naturalis & artificialis.

cas, vox *subtilies*, indicat non tantùm crassitiem corpoream esse ei adimendam, & tenuitatem spiritualem, qualis est in mercurio, substituendam iuxta dynamin & procliuitatem naturalem, quam ars promouet, sed & virtutem ampliandam, augendamque ita, vt iam possit penetrare, alterare, immutareque res sibi destinatas ad similitudinem suæ naturæ.

Reducas in argentum viuum.] Hìc ponitur praxis capitis tertii tribus versibus. Vox reductionis indicat reciprocam reuersionem ad id, quod antè fuerat. Quanquam ergo sophistæ multa de materia garriant, & nescio quæ monstra sibi somnient, hinc tamen patet sumendum esse nec vitriolum, nec antimonium, nec sulphur, nec arsenicum aut cæterorum quicquam, quod non est ortum ex argento viuo metallico; Sed corpus metallicum, quod eò reduci potest, vnde exiit, vt tamen naturam potentiamque metalli seminariam retineat. Iam, cum metalla sint duorum generum, perfecta, & imperfecta, quis tàm sit stipes, qui neget perfectum petendũ?

Materia lapidis.

Huic argento viuo addatur corpus album, quod est eiusdem naturæ.] Duo sunt corpora metallica perfecta, aurum, & argentum; illud rubrum, hoc album; de hoc dicitur, quod sit eiusdem naturæ cum illo extracto, vel reducto, aut resoluto mercurio. Scis ergo mercurium faciendum ex argento esse: Et hunc

eſſe lapidem, quem primis verbis deſignauit. Differunt autem argentum iſtud viuum & corpus album tantum ſolutione & coagulatione, hincque dependente ſubtilitate & craſſitie. Argentum eſt mercurius albus coagulatus corporeus ſpiſſus: Mercurius lunaris eſt argentum reſolutum. Quæri hîc poteſt, cur non & corpus rubrum iubeatur verti in mercurium? Et cur ſolus nominetur Mercurius, cùm ſuprà dixerit requiri & ſulphur, ſeu ſolem tanquam patrem? Sed ſciendum eſt, prius præparari hic materiam, & mercurium fœmineum, qui tamen ſine analogo ſulphure non eſt. Inuiſibiliter enim id in ſe continet, exuſcitaturque eius virtus igni externo, & operis ſubtilitate. Aurum ſuo loco item reſoluetur, quanquam per mercurium efficacem, in quo diffluit, ſicut cera dura in cera fuſa, ſeu liquata.

Illa minera multiplicetur.] Praxis capitis quinti. Duæ ſunt cauſſæ, cur multiplicanda ſeu augenda ſit minera corpore & virtute; vna, vt inſeruiat nobis ad opus ſecuturum. Nam eius argento viuo vtimur in progreſſu, ſocio tamen hydrargyro præparato. Deinde vtimur & eadem ſicca, ſeu calce viua pro fermento albo. Inſuper aliquid pro minoris operis abſolutione ad ſumtuum compenſationem inſumendum eſt. Hinc itaque artifex permotus procurare ſibi debet copi-

copiam non pœnitendam, ne cogatur poſtea opus interrumpere. Definitur autem copia magis ad libitum quàm ad neceſſitatem, quia in arbitrio artificis ſitum eſt, quantũ velit inſtituere. Eſt tamen & hypotheſis neceſſaria, cum carere non poſſit hac minera, ſi velit progredi.

Et iterato prædicta materia.] Opus capitis ſeptimi eſt, vbi vides primum vſum calcis viuæ, & verum artis principium. Vnde nota, quod dum modò remotius initium reſpiciunt artifices, modò propinquius, lectores ſoleant fallere nomine materiæ, mercurii, argenti, & cæteris. Dicunt ergo, materiam ſuam eſſe mercurium ſed non crudum, neque ex argento extractum, ſed mineralem. Quis vero eſt ille mineralis mercurius? an non in mineris terræ genitus, & ex minio natiuo extractus? eſt, & non eſt, inquiunt. Non enim excludunt vulgarem; neque planè aut principaliter hunc aſſumunt. Et revera hic non eſt artificum, neque artis mercurius. Itaque non poteſt dici Philoſophicus. Naturæ eſt. Mineralis mercurius artis fit ex minera artis, hoc eſt, ex calce viua phyſica, ſeu lapide operis minoris albo. Attamen, cum ex vtroque, adiecto ſulphure argenti vel auri fit compoſitum, hoc quoque ſolet dici mercurius & materia Philoſophorum, in qua ſimul eſt naturæ & artis mercurius. Hinc ænigmata oriuntur & reſponſiones perplexæ, quibus impediun-

Materiæ varia deſignatio.

diuntur imperiti, vt nequeant intelligere sermonem artificum.

In argentum viuum.] Secunda reductio est, quæ continet argentum viuum duplex. Nam minera ex vtroque erat facta: Et sic possumus dicere argentum viuum esse reductum in argentum viuum, cum interim sub alia forma latuerit.

Vsq; quo lapis fiat volatilis ab omnibus suis Elementis diuisus.] Resolutionis finis est, & separatio: Nam illa minera antè erat fixa. Iam autem fit volatilis, hoc est, amissa corporea consistentia abit in spiritum mercurialem. Interim, dum hoc peragitur, ostendunt se elementa. Nam initio est humidum frigidum totum; postea emergit calidum siccum, quæ sunt symbola elementorum. Separandum est siccum ab humido, & hoc in illud transmutandū per imbibitionē & coagulationē. Hæc est arcana seu mystica elementorū segregatio vna. Est & alia. Nam cum initio videamus elementorum notas, hæ progressu operis ita absconduntur, seu tolluntur, vt non agant amplius, naturâ & more elementorum, sed essentiarum cœlestium. Certè enim elementa non possunt id, quod lapis. Separari igitur dicuntur elementa virtualiter, cum obliterata eorum actione emergit planè virtus essentialis. Exempli caussa: cum vinum capis; Elementa in eo corporalia cum suis notis habes. Separa id vinum, hoc est, subtile à spisso. Id vocant

Quid sit ab Elementis diuisio.

Vide, quæ sequuntur ex Rosario Arnoldi de destillatione.

cant ſeparare Elementa corporaliter, cum tamen etiam ſubtile id non ſit res ſine Elementis. Ita artis regula eſt. Ita nos oportet loqui. Deinde, cum ſubtilis ſpiritus in virtute per circulationes & deſtillationes pro ſphærarum planetariarum numero ſepties exaltatur, & iam non agit Elementaliter, ſed eſſentialiter; ab omni Elemento dicitur ſeparatus. Iam ergo, niſi fatuus es, aſſequeris myſticam in lapide Elementorum diuiſionem.

Et vltimò, quo ad perfectè purgetur.] Ab Elementis ſeparationem perfectam ſequitur perfecta purgatio. Nihil enim iam ineſt, præter eſſentialia. Addit autem Lullius tàm corpus quàm animam debere perfectè purgari, in hunc finem, vt coniunctio corporis cum ſpiritu poſſit fieri bona. Corpus eſt illa nigra terra, quæ & mortua dicitur. Anima eſt inde ſeparatus liquor mercurialis; ſeu corpus eſt draco: anima cauda draconis, quam ille poſtea deuorare iterum debet. Eſt & mulier, quæ interemit ſuos coniuges, atque ideo viciſſim neci danda. Purgandum ergo corpus eſt. Sed quomodo? Per calcinationem ſeu reuerberationem. Huius gratia iuſſit Lullius id triduo in igni tenere, vt fiat tanquam terra ſpongioſa. Anima vero purgatur ſeptena deſtillatione ad exemplar aquarum eſſentialium, quæ deſtillantur & circulantur tàm ſæpè, donec nulla fex vel nubecula amplius per qui-

Corpus nulla alia ratione purgatur, quàm imbibitione poſt ſoluti-

quietem ſubſideat, ſed ſit tota vndiquaque vniformis, nec poſſit ſecedere in diuerſas naturas. Scire vero debes iſto loquendi modo occultari ablutionem Philoſophicam, quæ fit per ignem & Mercurium. Nam, dum in imbibitione paulatim nigredo diſcedit, & ſubſequitur albedo, ablui & purgari lapis ſeu Lathon dicitur.

onem factã, & deinde ſublimatione & calcinatione, hoc eſt, coagulatione & coctione vſque ad lapidem album.

Coniunctio corporis cum ſpiritu.] Terræ mortuæ & ſiccæ cum lacte virgineo, Mercurioque animato. Bona fit coniunctio ex bonis principiis bono regimine. Indicatur autem imbibitio ad coagulandum figendumque.

Et lapis efficiatur minera.] Hæc eſt minera ſecunda, quæ fundit materiam operi maiori continuando, & multiplicando. Notabis autem, ex hac minera poſtea reſoluta oriri illud oleum & aquam perennem, quam in fermentatione & augmento inſumimus. Sicut enim albus lapis minor vocabatur minera, quia præbet fundamentum multiplicationi, reductioni, & operi maiori inchoando: ita in concinnando lapide minore rubeo iterum ad ſimilem vſum minera exiſtit. Non tamen requirit LVLLIVS mineram rubeam, cum cap. 8. Calcem viuam albam ſumere iubeat. Itaque notabimus hanc mineram eſſe duplicem, primo albam, cum ſcilicet ad perfectã albedinem in coagulatione per-

uentum eſt : Deinde rubeam, cum amplius percoquitur. Et albæ vſus eſt ad Elyxir album: nec abſurdum eſt, ſi etiam pro fermento albo habeas, quanquam Lullius priorem albam mineram tunc poſtulet. Rubeæ vſus erit tùm ad reductionem cum corpore, vt fructum operis minoris rubei percipiamus: tùm ad fermentum lapidis albi perfecti.

Et continuetur ignis vſq; in puluerem reducatur album, quem vocamus ſulphur. & arg. viu. Philoſophorum.] Hæc nomina extant capite octauo. Intelligimus ergo ex fine ſeptimi & octaui capitis, praxin quodammodo eſſe coniunctam; quanquam ſeptimi finis ſit minera ſecunda. Eſt autem reuera praxis eadem. Nam minera reſoluenda in Mercurium eſt, cui iungitur hydrargyrus, fitque reſolutio, & coagulatio, & repurgatio eſſentialis, donec exiſtat inde ſulphur album Philoſophorum, ſeu Elyxir.

Tunc vigore ignis fixum fiat volatile in tantum vt euolet à ſuis terris großis, & aſcendat in altum candidius niue.] Verba ſunt ſublimationis, ſed myſticæ, vt ſuprà dictum eſt. Fixum eſt minera alba capitis ſeptimi, quæ componebatur ex minera alba prima, auro, & hydrargyro. Debet verti in volatile, id eſt, reduci in mercurium, qui eſt volaticus, quia ſpiritus. Hoc ergo eſt id, quod Hermes dicebat, Fac fixum volatile & volatile fixum, &c.

Cre-

Crebrò recurrunt tales solutiones, quibus quod prius naturâ vel arte fixum erat, fit volatile. Sed Lullius hanc phrasin Elyxiris operationi destinauit, quod non est oscitanter prætereundum, vt artificum verba intelligamus.

De hac sublimatione Lullius in alio scripto: *Quidam putant Elyxir debere sublimari, sed falso, quia sensus sapientum est, diu coquendum & figendum esse in igni, &c. Ita sublimationes vocantur omnes operationes, in quibus materia fit excellentior per solutiones, coagulationes, fixationes, &c.*

Fundalia proijciantur.] Nominat fixum, quod debet verti in volatile, quod fieri nequit secundum omnes partes. Nam diuisio vnà fit corporis & spiritus. Relinquitur ergo res alia, quæ vocatur terra grossa, & corpus mortuum. Nihil vero horum duorum esse proiectile, satis euidenter ex superioribus patuit. Itaque tertium quid est, quod fundalium nomine appellat. Hoc quid sit aliud, quam sordes elementares, quæ post calcinationem & extractionem salis relinquuntur? Innotescit ergo id esse abiiciendum, quod post exaltationem in fundo dissociatum ab albo corpore inuenitur. Est aliquando & mysticus sensus de non procedendo ad vlteriora, quod extolli res amplius nequeat.

Ascendit in altum candidius niue.] In altum nempe virtutis. Hoc fit coagulando figen-

doque. Tunc enim ignis vigore vtitur, donec probè dealbetur, & à ſordibus ſeparetur.

Tunc recipe ſulphur noſtrum.] Sequitur praxis capitis noni, quo deſcribitur fermentatio Elyxiris ad album per mineram primam albam. Facit autem hic breuitas obſcuritatem. Quare recurrendum erit ad lucem iſtius capitis.

Sulphur noſtrum.] Elyxir, quod capite octauo erat confectum.

Oleum prædictum.] Licentia myſtica idem vocat oleum, ſed intellige reſolutum. Ita argentum viuum & ſulphur erant idem. Capite decimo aliud eſt oleum; nempe, quod capite octauo ex reſolutione mineræ prodiit, & ſeruatum eſt vſque eò.

Multiplicabis cum ſuo dicto alembico.] Alembicus eſt operculum cucurbitæ, ſeu caput, ad quod eleuantur, quæ caloris beneficio circa fundum attenuantur, fiuntque volatilia & ſegregantur. Intelligimus materiam, eſſe multiplicandam eadem re, quæ fuit in vaſe & alembico eodem, hoc eſt minera alba prima, & hydrargyro, quo fit ſolutio. Vel dic alembicum deſignare ſpiritũ &c. Elyxire extractũ, quo poſtea corpus imbibitum multiplicatur virtute & quantitate, donec perueniat in puluerem album.

Et fixentur pulueres.] Fermentati lapidis multiplicatio, quam Lullius vocat fixionem,

&

& deſcribitur capite decimo. Fit autem fixio mediante aqua, ſeu oleo mercuriali quod ex illo ſeruatum erat, quod capite octauo eſt confectum. Finis eſt, donec omnia maneant in igni, id eſt fixio, argentea cum fuſione. Nam iſte eſt lapis albus, qui conſtanter in igni durat, & tamen facilem habet fuſionem abſque fumo.

Et addenda eſt aqua primæ ſolutionis.] Prima ſolutio mineræ ſecundæ erat capitis octaui vbi fiebat ſulphur, vel Elyxir. Hæc eſt illa aqua ſeruata de lapide, quam cap. vndecimo ſumere iubet ad ſolutionem lapidis albi. Itaque hic repetitur praxis capitis vndecimi, ſeu fermentatio ad rubrum. Dictum autem in expoſitione illius capitis eſt, non excludi hydrargyrum.

Solutione facta addatur aliquod citrinum, quod eſt aurum.] Præcedere ſolutio albi lapidis debet. Deinde ſequi vnio cum aliquo citrino. Cur vero id indefinitè appellat aliquod? Cur aurum, & non potius calcem rubeam? Sane artifices in his interdum variant pro arbitratu. Itaque aurum calcinatum, cæmentatum aut aliter probè paratum ſumere poſſumus, licet melius ſit aurum Philoſophorum ſeu calcem rubeam ponere.

Per modum coniunctionis.] Multi ſunt modi coniunctionum. Videtur liberum relinquere laboranti, quo vti poſſit & velit, modò coniungat. Suprà amalgamatione crebrò

ſumus vſi, iterum commiſtione & imbibitione. Intelligitur commiſtio, vt calx rubea inijciatur in mercurium & ſubigatur, quanquã ſua ſponte cupidè coeant.

Cum deſtillatione totius animæ.] Solutione facta cum nigredo tota emerſit, ſeparandus eſt mercurius à corpore ſicco & poſtea per imbibitionẽ reddendus. Hæc res hîc vocatur deſtillatio, quod notabis. Cætera ſunt manifeſta & ſuprà ſatis declarata.

Deſtillatio myſtica.

DE INGRESSV NON NIhil ex aliis.

MVLTI ſciuerunt (inquit autor quidam) præparationem lapidis, ſed non ingreſſum. Accipe ergo Medicinæ rubeæ præparatæ partem vnam ad partes mille calcis ſolaris. Contere vtrumque ſimul quàm diligentiſſimè in porphyrio læuiſſimo. Puluerem accuratè collectum in catinum aptum, argilla munitum immitte. Colloca in anemia fornacula, cuius amplitudo conueniat, nec excedat iuſtum modum. Adminiſtra ignem per gradus ſenſim, donec benè vniantur. Ita præparata ad tingendum eſt Medicina. Opera danda eſt, ne excedas iuſtũ tempus, aut negligas, & ne pręparationẽ oſcitanter tractes. Nõ autẽ ingredi metallũ poteſt abſq; hoc artificio, quia proiecta ſuper metalla liquata innataret olei inſtar ob eorum impuritatẽ, aut etiã penetraret temeré. Cum præparatus ad ingreſſũ lapis

eſt,

est, euadit instar vitri fragilis, nec malleum sustinet. Tunc potes eius partem vnam super mille fusorum metallorum imperfectorum proijcere, fietque aurum spectatum. Sed tamen iudica id diligenter. Si enim fragile foret, addendum plus metalli est, idque ea proportione, donec obtineas tractabilitatem debitam. Itaque, cum Medicina proiecta per dimidium horæ cum metallis eliquata est, ferreo filo vel bacillo demisso, id, quod adhæsit, super incude explora extendeque percussu mallei. Inde coniicies de fragilitate, & tenacitate, & quantum sit addendum. Debet etiam in proiectione, ignis superius esse maior, quam inferius.

Ex alio autore de ingressu.

Alius quidem eadem habet, sed accuratius explicat, tam de alba, quam rubra Medicina. Sume, inquit, partem vnam Medicinæ, & de Luna partes mille, (intellige Medicinam albam) quas in calcem redige, cui immisce Medicinam & mutuo contere. Ita coniunctam vtramque impone in catinum fortem luto inductum, & in furnello ventoso non nimis amplo adhibe ignem triduanum. Sed attende, vt materia cum tigello duntaxat candeant: & liquescet Medicina attrahetque calcem. Non sine diutius in liquefactione seu fusione tribus horis. Nam si in fluxu stare deberent triduum, Medicina ob naturam penetrabilem per catinum transiret, & euanesceret. Postea spontè refrigescant. Exime accu-

ratè. Est enim admodum fragilis aut friabilis materia. Huius partem vnam, si super mille metalli imperfecti in fluxu proieceris, ingredietur & transmutabit in argentum. Ita est de Medicina rubra. Si enim huius vnam portionem cum millecupla Solis calce colliquaueris, inde fiet Medicina vnâ rursum parte mille tingens. Recipe ergo huius particulam vnam, & proiice in millecuplum argentum eliquatum. Fluant vnà bene per horæ dimidium. Postea immitte ferrum ductile, & experire tractabilitatem super incude munda. Debes autem naturam auri exploratam habere. Si huic respondet, benè est. Sin intractabile est, adiice plus argenti vsque ad voti complementum. Euadet aurũ viginti quinq; coractarum.

Medicinæ, quæ nondum accepit ingressum, pars vna miscenda est cum decem partibus mercurii Solaris sublimati per arcanum Philosophorũ, & depurati. Mistura in vitro Hermeticè obsignato collocãda in furnellũ super tripodem arcanorum, & soluenda in aquã puram ciystallinã. Solutio quinto incipit, & absoluitur quadragesimo. Inde incipit crassescere & mutari in oleum incõbustile accepta nigritie, quam excipit cauda pauonis, fitq; iterũ 40. diebus Elyxir albũ ad imperfecta in argentum mutanda. Id argentum est aurum colore solo distãs, & appellatur Luna fixa. Si progrederis admouendo calorem debitum, ex albo transitus est in citrinum & rubeum. Is est Rex fulgidus,

Oleum incombustile.

Luna fixa.

fulgidus, clarior carbunculo, fluens vt cera, perſeuerans in igni, & retinens in eo hydrargyrũ. Hoc quoq; requirit dies 40. Ad ingreſsũ paratur hic Rex, ſi prius centum partes calcis Solaris adiicias: & poſtea ad earum vnã iterum centum, vt euadant 10000. proceſſus eſt idẽ cum priore. Quidam ſimul vna vice adiiciunt decies mille. Poſt ingreſſum acceptum, vna pars iterum mutat 10000. de imperfectis in aurum. Hæc eſt multiplicatio prima. In ſecunda cape vnam partem Medicinæ multiplicatæ; eiq; adde partes centum Solaris mercurii. coque, vt dictum eſt. Lapidi da ingreſſum per centuplam proportionem adiectis centies mille. Tinget eius pars vna tantundem. Ita aſſequeris ſemel centies millies centena millia. Negant tertiò repeti poſſe multiplicationem ob ineffabilẽ ponderis extenſionem.

Notabis, quod alii autores medicinam iam ad ingreſſum præparatam ita multiplicent opuſque perficiant in vaſe ſphærico Hermeticè clauſo, quod circumpoſitum goſſypio includunt pyxidi ſeu globo fiſſili querno, indeque in fimo digerunt, donec nigredo, albedo & rubedo procedant. Trium menſium ſpacio aiunt abſolui hanc praxin, cum primum opus indigeat anno.

DE ABBREVIATIONE OPERIS.

ROSARIVS Philoſophorum ex Lullio ad Robert. Regem Franc. abbreuiationẽ his deſcribit

describit verbis: (*a*) ſcire debes, quod ex plũbo Philoſophorum extrahatur quoddam oleum aurei coloris, vel quaſi, cum quo ſi lapidem mineralem, vegetabilem, ſeu animalem, vel mixtum poſt fixionem primam ſublimaueris tribus, aut quatuor vicibus, excuſabit te ab omni labore ſolutionum & coagulationum. Ratio eſt, quia hoc oleum occultum, quod facit Medicinam penetrabilem, amicabilem, & coniungibilem omnibus corporibus, & augmentabit eius effectũ vltra modũ, ita vt in mundo non ſit ſecretius. Vnde mirabilia dico, quæ in omnibus antiquis Philoſophis incredibilia forent, ſcilicet, quod ſi ſciueris oleum benè ab aqueitate ſeparare, & laboraueris in modo miſtionis iam dicto, poteris in triginta diebus lapidem componere. Hoc autem non eſt neceſſarium per ſe, quoniam ſolutiones, & coagulationes illius cito fiunt. Tamen, ſi fieret ſublimatio illius, credo tincturam lapidis multum ampliari. Elige ergo ex his intentum tuum. Hæc ibi. Nouimus gloriari Paracelſum de correctione prolixitatis veterum, deque hoc aliquid diximus in lib. lapidis philoſophorum, quod nimirum Leonis ſanguinem roſeum poſtulet, & gluten aquilæ album; quæ duo coniuncta coagulat iuxta

processum

(a) Pantheo plumbum album eſt Mercurius. Aliis nigredo apparens in ſolutione. Rubedo eſt in plumbo, inquit, Turba. In eadem nomen aquæ eſt plumbum. Item: Argentum viuum dicitur aliquando aqua ſulphuris; aliquando plumbum & nummus.

processum veterum. (*a*) Sed ignorauit Paracelsus istam artem se non inuenisse; verum pridem à Lullio comprobatam descriptamque, quanquam ita obscurè, vt non vulgaris ingenii sit veritatem assequi. Sed tentemus nonnihil. Ita inquit Philosophus: ad opus abbreuiandum, addendum corpus perfectum attenuatum, quæ sententia dupliciter accipi potest. Geberus cum rationem fermenti reddit, ideo hoc adiici tradit, vt vitetur tam multiplex eiusdem operis repetitio. Inseruit itaque fermentum ad precidendam prorogationem operis completi, sed latet nonnihil aliud. Nam innuit per Mercurium Solis (attenuatur enim Sol Philosophicè cũ in mercurium redigitur) mineræ adiectum posse fieri decurtationem coctione ita administrata, vt solenne est in hoc opere. Idem esse puto oleum aurei coloris, cum quo lapis mineralis secundum Lullium debeat sublimari, quæ sublimatio per solutiones & coagulationes fit breui. (*b*) Itaque iusserim te capere lapidem mineralem rubeum, aut album operis minoris, vt supra ex Lullio audiuisti; & hunc componere cum

(a) Ita propositio 9. in Turba: quod spacio 100. dierum ad plus non potest perfectionem talem finire & Solem Lunamq; facere, inimicum est. Lapis enim tot diebus debet compleri vltima perfectione vsque ad tempus multiplicationis inclusiue.

(b) Mercurius Solis dicitur aquila alba ex Sole facta, in se occultam gerens rubedinem.

cum mercurio Solis, & coquere vtrumque in vitro furnoque ſuo;& ſperem te voti compotem fore. In hanc ſententiam dictum eſt; *Id tãtum, quod compoſitum eſt ex oleo incombuſtibili, & Sale fuſili eſt amicabile huic arti. Ex his enim cõponitur lapis.* Alius quidã, non commodius, inquit, fieri abbreuiatio poteſt, quam hoc modo: ℞. pręcipitati mercurii Solis (Lul. foret calcis rubeæ Philiſophicæ) partem vnã, & ei de Philoſophica ſolutione mercurii Solis in aquã adde partes decem. Poſitam miſturam in vitro obſignato in ventre equino intra globum ſuũ rege gradibus ignis, per nigredinem, albedinem & rubedinem. Ita vero in aquam deducitur: Mercurium depuratum ex Sole include ampullæ globoſæ Hermeticè claudendæ, & hanc porro quernæ pyxidi pertuſæ circa fundum aliquot foraminib. Debet vitrum tertia vel quarta tantum parte plenũ eſſe. In globo ſeu pyxide querna aliqui ponunt tripodẽ involutum goſſypio, & huic vitrum accõmodãt. Tripus ex filiis ferreis conficitur. Ita paratus globus totus fimo equino infertur, ibiq; calore adhibito dicitur Mercurius circulo quodã ſubinde ſpecie vaporis aſcendere & deſcendere, donec in aquam abeat, quam appellant Philoſophicam. Hæc aqua cum non amplius ſcandit, ſed fixa in imo craſſeſcit, dicitur oleum Solis. Debet autem vitrum proportionale eſſe ad materiam, ne magnitudine excedat, nec deficiat, aut nimis ſit plenum. Hinc dicitur

Abbreuiatio aliis verbis deſcripta.

Oleum Salis.

dicitur ſpecie roris ſublimari, cogi, guttatim deſcendere, & in aquam reſolui, quæ ſtet, vt vapor vnctuoſus,&c. Veruntamen in mercurio Solari præparando, vtuntur quidam peculiari ſolertia. Aurum purum putum perque antimonium aliquoties traiectũ & extenſum ſoluitur aqua regia. Solutio vitro incluſa in fimo putrefit per menſem, quinis ſemper diebus fimo per calcẽ renouato, ita vt 40. die eximendam cenſeant. Dicunt in circuitu vitri apparere nigritiem,& in imo cryſtallos. Hos eximunt (ſi non ſint cryſtalli corpulenti, calcem cape) & aqua pluuia calente in patella vitrea abluunt, omnemque acrimoniam tollunt. Pondere deprehenditur, num Sal totus ſit elutus. Debet enim calx auri reſpõdere auro ſoluto. Calcem exicca ſuper arena calida. Poſtea in longa cucurbita per arenã in ſublime pelle, ita, vt primis ſex horis adhibeas ignem lentum; inde ſequentibus horis ſex aſperiorem; tertiis ſex horis iterum auctiorem, & quartis eouſque, vt arena catini candeat. Sic ſublimata calx eſt. Aperi alembicum, & adhærentem puluerem in ipſo & collo cucurbitæ accuratè abſtrahe, & collige. Sit in promtu acetum ſtillatitium purum. In hoc immitte puluerem ſublimatum. Subige immiſſo digito agitaque, & ſoluetur in Mercurium viuum. Si quid non ſoluitur, id denuo aqua regia ſoluendum & ſublimandum eſt, donec

Merc. ex Sole.

Cryſtalli fiunt ex calce auri coagulante cũ ſalſilagine mẽſtrui.

donec per acetum resoluatur totum. Si satis mercurii est (quantitatem coniicies ex intentione operis) exime ipsum ex aceto, & exterge ne quid humiditatis maneat. Exprime etiam aliquoties per alutam, vt videas num sit exactus. Si quid remanet in aluta, id soluendum plenius est. Expressum misce cum albi tartari calce, & sublima hinc sexies semper æquales sumendo. Hæc est eius vera purgatio. Sine hac non resoluetur in aquam, vel oleum. Sine hac nemo perueniet ad finem. Nulla enim alia indiget purgatione. Hunc mercurium postea include in globum vitreum claudendum Hermetis signo, ita, vt vna pars occupetur, tribus inanibus relictis. Ita in fimo putrefactionis intra dies octo aut plures mouebitur, resoluetur que in halitus. Quicquid solutum est, fit aëreum, & ascendit paulatim in suam sphæram adhærens in concauitate vitri instar roris vix obseruanda initio quantitate. Non fluit vt alia aqua, quæ circulatur: sed vt vapor vnctuosus consistit. Ita mutatur in aquam, quæ fit solutione; post in aërem, quem exhibet sublimatio, ignem præstat liquefactio, terram coagulatio. Scito tamen aquam inspissatam oleum dici, & aquam permanentem, & oleum incombustibile, maximè cum magis crassum euasit. Hoc oleum postea procedente coctione potest mutari in puluerem. Apparent autem in eius motu signa nigredinis, albedinis, & rubedinis, &c. Et debebat sæpius solui & coagulari;

Vera purgatio mercurii Solaris.

Impositio ☿.☉.

Vapor vnctuosus.

Aqua ☿. aer, ignis, terra.

Oleum aq. permanens.

coagulari; ſed decurtatur opus, ſi puluerem rubeum hunc, qui vocatur ſolis præcipitatus, & ab aliquib. etiam rubei leonis ſanguis, aquila albâ, id eſt mercurio Solari denuo miſceas & coquas per notum proceſſum vſque ad finem. Hinc quæ obſcuriora ſunt in Lulliana methodo ad Robertum Regem; lucem accipiunt. Nam oleum aurei coloris ex plumbo Philoſophico extractum, iuxta hanc deſcriptionem, erit Mercurius ex aquea qualitate, & conſiſtentia ad oleoſam naturam perductus. Nam & in opere maiore poſt fermentationem in ſeparatione mercurialis liquor eſt oleum, ita, vt primus Mercurius, quo vtimur ad ſoluendum, dicatur aqua; ſed, cum ſolutio iam facta eſt, & Mercurius craſſior factus, nuncupetur oleum. Atqui fermentatio analoga eſt huic abbreuiationi. Lapidem poſt primam fixionem iſto oleo ſublimare iubet ter aut quater; quod nihil aliud eſt, quam præcipitatum iſtum, vel calcem rubeam minoris operis, per oleum iſtud ſolare multiplicare nobilitareque, vt accipiat vires maiores. Ea multiplicatio repetitur ter quaterue pro libitu; & nihilominus opus perficitur paucis diebus, quia Solis minera, & Solis mercurius oleoſus facilè citoque in ſe mutuo agunt.

Excuſabit te ab omni labore.] Hoc eſt nō quauis ſolutione & coagulatione; ſed illa laborioſa maioris operis, vbi peculiariter debes ſol-

uere materiam in mercurium; & mercurium postea componere resoluereque intus, tertiò separare, quartò componere & coagulare, &c. At in abbreuiatione nihil horum facere debes. Nam cum semel iunxisti, soluunt se mutuo & coagulant, denigrant, albant, rubefaciunt, te nihil aliud faciente, quam ignem regere.

Hoc est opus mulierum & labor puerorum. Hic est res tantum vna, vna operatio, vas vnum, &c.

Si sciueris oleum benè ab aqueitate separare.] Antè expositum est quomodo aqueus Mercurius transeat in oleosum continuitate digestionis & circulationis. Hæc est illa separatio, non sanè actualis aut chirurgica, sed virtualis naturalisque.

Laboraueris in modo mistionis] Mistio est lapidis & olei, vt patuit.

DE VSV CONFECTI *lapidis.*

DVPLICIS vsus mentio facta est in ipsa praxi, & quidem de metallico satis superque; De Medico generaliter duntaxat. Præter hos dicitur vnus esse in vitro ita præparando, vt retenta perspicuitate malleum patiatur: alius in gemmis factitiis: alius in muria natiua absque igni in salem coagulanda, &c. De Medico, quoniam nihil habeo, quod expertus dicere possim, tantum asscribam aliorum verba, quanquam non omnia comprobem. Ita scriptum extat in Rosario Philosophorum: *Hominem & quodlibet animal præ-*

seruat

seruat in conseruatione sanitatis. Lamina vero crystallina, quæ est Elyxir album, si detur in quantum granum sinapis febricitanti, curat ipsum. Etiam leprosus, si per quatuor anni tempora de eadem lamina purgatus fuerit cum puluere rubeo, vnde fit Sol, bis in anno Martio & Septembri, curatur. Vterque puluis albus & rubeus sanat sciaticos in periculo mortis. Sanat etiam Paralysin. Item, *si puluis teneatur ad nares in partu laborantium, liberantur.* Hoc dicit Hermes. Geber quoque dicit, quod *Elyxir rubeum curet omnes infirmitates* Chronicas *de quibus Medici desperarunt: & facit hominem iuuenescere, vt Aquila, & per quingentos annos viuere, & amplius, vt aliqui Philosophi fecerunt, qui vsi fuerũt eo tribus vicibus in hebdomade, quantum granum sinapis. Est herba, quæ vocatur Saturnus de canalibus, de qua fit talis Medicina. Quare nota, quod omnes infirmitates, quæ à vertice capitis vsq; ad plantam pedis generantur, si fuerint vnius mensis, in die: si vnius anni, in 12. diebus: Si ex longo tempore, in mense curantur: Quia, sicut curat omnia metalla infecta ab omni infirmitate, sic & humana corpora* (quod tu noli credere, priusquam sit demonstratum. Illud argumentum nullius est valoris.) Quapropter noster benedictus lapis non immeritò Tiriacus maior tam corporum humanorum quam metallorum dicitur, de quo Hermes Rex Græcorum, & Pater Philosophorum ait: *si de Elyxir nostro omni die vsque ad septem dies sumseris pondus carrobiarum, capilli tui*

Elyxiris albi vis.
Febris.
Elyxiris rubei vis.
Lepra.
Sciatica.
Paralysis.
Difficilis partus.
Morbi Chronici.
Renouatio ad iuuentutem.
Longa vita.
Vniuersale.
Tiriacus maior.

cani de capite tuo cadent, & renaſcentur nigri (quare non ruffi, aut albi?) *& ita de ſene fies iuuenis, & fortis.* (Ergo Patriarchæ ſi habuerunt hunc lapidem, non ſunt eo vſi, quia ad tantam ſenectutem peruenerunt, vt etiam oculis penè caperentur) Arnoldus dicit: *Hic lapis noſter virtutem habet efficacem omnem ſanandi infirmitatem ſuper omnes alias medicinas Medicorum.* (ſit ſanè præclara Medicina in genere cum cæteris cōparata, ſed num ideo ita hyperbolica?) *Nam animam lætificat: virtutem augmentat, conſeruat iuuentutem, & remouet ſenectutem.* (Hæc certè exemplo carent. Vacua itaq; vero ſunt verba.) *Non enim permittit ſanguinem putreſieri, nec Phlegma ſuperdominari, nec choleram aduri, nec Melancholiam ſuper exaltari.* (Paracelſus hæc pro figmentis habet: qui tamen etiam aſſerit vim lapidis.) *imo ſanguinem ſupra modum multiplicat.* (Ergo eſt morbi in numero, plethoreq; cauſa; atque ita non ſanabit morbos omnes) *& mundificat; contenta in ſpiritualibus purgat, & omnia corporea membra efficaciter reſtaurat, & à læſione cuſtodit: Et generaliter, omnes tam calidas, quam frigidas, tam ſiccas, quam humidas infirmitates arctiſſime ſanat præ omnibus aliis medicinis Medicorum: quoniam ſi ægritudo fuerit vnius anni, ſanat in duodecim diebus: ſi vero antiqua fuerit, ex multo tempore, ſanabit in vno menſe: Et breuiter omnes malos expellit humores, bonoſque inducit: Confert amorem* (imo & inſidias inuidiamque) *& honorem: ipſum deferentibus ſecuritatem & audaciam* (refuta-

> Falſum eſt Patriarchas lapide vitā ſuſtentaſſe ſi vera eſt renouatio.

> Hyperbole euertens ſuum thema.

> Summa mē daciorum vel illud: Aurum per medios ire ſatellites, & perrumpere amat ſaxa potentius ictu fulmineo.

(refutatum eſt experientia, quia cum Monachi fugitiui eum deferrent, à latronibus occiſi ſunt) *& in prælio victoriam* (quod æquè falſum ac cætera hyperbolica.) *Et in hoc complectur ſecretum naturæ maximum, quod eſt ſuper omne precium precioſiſſimum ſecretum, theſaurus incomparabilis* (non certe apud eos, qui diuina plus humanis curant, omniaque pro ſtercoribus præ amore Dei habent) *& precioſiſſimus, quem habentibus Deus in ſua mente recondat, ne inſipientibus patefiat.* (Benè inſipientibus. At artifices omnes ita occultant, vt etiam ſapientes in deſperationem adigant: cum tamen quo quid melius, eo magis ſui ſit communicatiuum.) Ita Roſarius ex Hermete, Gebro, Arnoldo. Similia leguntur apud Paracelſum, Richardum & alios, vt alibi diximus. Quidam ignotus etiam in ſpecie ita commendat & explicat vim eius: *Cum tinctura prima vice eſt abſoluta*, inquit, *verum aurum potabile Philoſophorum eſt, quod facit ad omnes morbos.*

(Hæc ſunt Paracelſica: Ita enim in manuali eſt: Ex hoc fundamento procedit verum aurum potabile, nec poteſt melius inueniri, &c.) *Recipe granum vnum lapidis* (Paracelſ. Doſis huius Medicinæ tam parua eſt, & exigua, vt penè incredibile, debetque duntaxat in vino vel alio liquore ſumi, quam minima quantitate propter cœleſtem virtutem, vim & efficaciam) *immitte in dimidiam partem vel quar-*

tam Phyalæ vini calefacti ; & liquefcet tingetque vinum rubedine, faporis erit dulcißimi. (Res verò, ex quibus fit, planè funt infipidæ. Nihil reliqui factum eft ad omnem laudem & hyperbolen. (*Cor petet, arterias & venas òmnes peruadet, morbumque pellet efficaciter. Et licet non valde tegatur æger, tamen fudabit tanquam in aqua nataret.* (Quid fi non opus effet fudore? Diaphoretica & hydrotica talia non poffunt effe vniuerfalia) *cum robori nihil decedat, fi quidem nihil expellit, nifi quod naturæ contrarium eft* (credam cum videro) *Et quo plus fudat, eò fortior fit. Nam naturalia tuetur* (Non ergò debet plus fudare, vt fit fortior.) *Hic fudor tam diu durat, donec omnia aduerfa ex venis fuerint expulfa.* (Sed non confultum eft omnia per venas exigere, nec poffunt omnia, præfertim in cacochymis, & plethoricis, nifi hìc fecetur vena.)

Altero die repetita Medicina fedem mouebit, nec ceffabit lenire, quandiu aliquid mali erit in inteftinis. (Cur non die primo? Proximum citius debebat inuadere. Sed finge morbum effe vnius Menfis; dictum erat antè ipfum fanatum iri vno die? quomodo hæc confentiunt?) *Tertio die tantundem datum adeo leuem faciet hominem, vt fibi videatur fpiritus effe, & fic deinceps magis magisque.* (Credo tandem adeò exinanitum fore, vt prorfus euadat anima, feu, vt Vlftadius ioco fortaffis fcripfit, tam delectabit animam, vt etiam ex corpore velit emigrare

Homo fit leuis ex illa Medicina.

grare. Quidni? Nam cum cohæreat cum corpore interuentu ſpirituum, humorum, & caloris, vinculum diſſipabitur corpore tam leui reddito. Sed iſta leuiter dicuntur, nec carent inanitate & ventoſitate verborum.)

Qui granum lapidis ex vino ſemel per ſeptimanam vſurpauerit, bona is vtetur valetudine. Datur etiam iam animam agenti. (Non erubeſcunt etiam mortuis dare, & aſſerere excitatos eſſe) *Si cancro, fiſtulis,* &c. *laborauerit quis, per biduum ei præbe granum. Cum vlceribus apertis ita age: ℞. lapidis grana duo vel tria. Decoque in vini menſuræ parte quarta, donec quis duo vel tria Pater noſter orauerit. Liqueſcente lapide vinum accipiet ſanguineum colorem: Hoc lauentur vlcera* (Proh facinus. Tamne ſacro medicamento?) *Imponatur folium quernum. Et intra dies decem ſanabitur* (fuerit ergo vlcus decem Menſium iuxta ſuperiorem calculum.) *Interdum ſingulis triduanis detur granum vnum ex vino, & ſanabitur. Si vero elui vlcus non poteſt; accipe Siphonem argenteum, iniectumque prædictum vinum ſoluti lapidis, inſperge, & ſanabitur. Si quis de veneno acutiſſimo libram vnam in corpore haberet, ei detur drachma vna, & exigetur per ſedem.*

Chirurgica.

Venenum.

(Hoc non eſt incredibile pondus in vilitate, ſed ſat credibile. Si tantæ virtutis eſt medicamentum, non conueniet tantum dare) Hæc ille. De Diæta non ſunt ſoliciti hi

hominès, quia curant pleno ventre, vt ait Paracelsus. *In nostro electro præparato*, ait Manuale, *tanta virtus est ad procurandos homines, vt non altior nec certior Medicina in vniuerso mundo inueniri poßit, ne credas Theophrastum Diabolica arte & cura multos morbos sanasse.* (Cur ergo contractus tam diu & pauper in hospitali nosocomio Iuuatii sedisti, & mortuus es nondum quinquagenarius?) Vide tincturæ Phys. cap. 7. vbi ait: *Tinctura Physicorum est vniuersale, quod tanquam ignis inuisibilis consumit omnes morbos, quocunque appellentur nomine. Dosis admodum exilis est; sed virtus valde magna. Hinc à me curati sunt Lepra, Gallica lues, Hydrops, Colica, Epilepsia Apoplexia, Lupus, Cancer, Fistula, Impetigo, & varia interna mala, plus quam cogitari potest ab homine,* (Sed tale testimonium non est ex aula imperatoriâ, &c.) Tantum est.

PERIOCHÆ ET Paraphrases.

CAPITVM ROSARII, QVOD ARNOLDO asscribitur.

AD PROOEMIVM pertinentia.

TRIA sunt in magisterio, ingenium artificis, manuum opera, & arbitrium, quod requirit diuitias, sapientiam, & libros. Artifex sit

ſit patiens moræ,impiger,attendens ordinem operandi,& vim naturæ, bonus Phyſicus, naturas habens exploratas, qui ſciat, quantum cuique debeatur, quo ordine, & modo; qui operetur prudenter, non fortuitò vel caſu; conſcius naturarum lapidis & fortitudinum. Precium, quod exponitur in ſingulis capitulis, non excedit quinquaginta argenteos. Liber librum aperit, ſermo ſermonem declarat. In hoc omnia ſunt vera, quæ diximus; nihil occultum, nihil deuium, nihil diminutum. Si foris naturam regit ignis miniſterio & cæteris artifex,ſatis eſt. Intus operabitur ipſa. Natura enim ſuum tempus habet, quo lapis imprægnatur, & naſcitur ex terra filius nutriendus, donec patiatur ignem & tingat.

50. Argentei.

Summa magiſterii.

CAP. I. LIB. I. PERIOCHE.

ARTIS principia deducit ex natura. Hæc metalla conficit ex mercurio & ſulphure. Ille homogeneus eſt totus & volaticus in igni. Sed ad conſtantiã reducitur per ſulphuream terram, à qua ſæpius ſublimatur, & vertitur in ſulphur duplex pro natura illius terræ, album nimirum & rubeum. Ex hoc ſulphure fit metallum, ſi ſæpius diſſoluatur per mercurium homogeneum ſublimato & poſtea incerando igne agente per ipſum congeaſcat. Hic eſt typus artis Chymicæ. Simili-

ter ergo ex mercurio à terra ſulphurea ſublimato faciamus ſulphur, quod ſæpius alia parte iſtius ſublimati (nondum congelati, vel iterum reſoluti) ſoluamus, iterumque ope ignis coagulemus, vt tandem proiectione ſui efficiat metallum perfectum ex mercurio & imperfectis.

CAP. II. LIB. I.

DEſcriptio mercurii & ſulphuris duplicis eſt. Ille Elementum metallorum eſt, omnibusque aſſociabilis ita, vt etiam naturam eius aſſumant in coniunctione & hic viciſſim eis adhæreat, ob ſubſtantiæ congruentiam. Sulphur eſt aut album, aut rubeum in arte. Album ex mercurio facit album metallum vel argentum, rubeum rubrum ſeu aurum. Debet vtrumque ita parari vt ſit purum poſſitque coagulare, & in rubro inſuper vis ignea ſulphurea, non tamen corrumpens vrendo.

CAP. III. LIB. I.

REPVDIANTVR corpora per ſe ad artem, oſtenditurque, licet accidentalia vitia poſterius accepta corrigi poſſint, non tamen radicalia. Ita ſulphur tale, vt & vulgare, improbatur ob combuſtionem & denigrationem. Contrà vero innuit per mercurium extrahendam eſſe ex illis ſubſtantiam puram mercurialem. Is enim aſſumit ſibi familiaria, alie-

Per Merc. extrahendus Merc.

aliena, respuit. Iungitur ergo puris, si purus fuerit, neglectis sordibus.

CAP. IIII. LIB. I.

ESSE in mercurio, quicquid quærunt sapientes, per eius naturam docet. Primum figi potest per sublimationes ita, vt fusionem metallicam præbeat (nam altera fixio, quæ est præcipitatio eius in terram, inutilis est) idq; propter viscosam densamque naturam. Deinde adhæret metallis in profundo. Est & ponderosus: non abit in fumum seu non diuaporat, ita, vt diuellantur partes cōpositionis, sed in igni totus perseuerat absque sui solutione ob arctissimam mistionem, si fixus fuerit; aut fugit totus, cum est adhuc volaticus. Præterea tinctura rubedinis est cum splendore, & medium coniungendi tincturas, sicut etiam infrà de aqua dicetur. Non recedit à misto quam diu durat. Miscetur enim & cohæret per minima. Est & medium extractionis substantiæ mercurialis ex corporibus, cum tantū sibi familiaria assumat. Tunc autem est ad artem congruus, cum est metallicus, seu metallica natura donatus. Sulphur ad artem non est idoneum, quia cum figitur, amittit fusionis potentiam. Nisi tamen sulphur mercuriale inueniatur. Nam hoc non repudiatur, vt dictum est cap. 2. & sequetur quinto & cæteris deinceps.

Mercurii dotes.

Sulphur.

CAP.

CAP. V. LIB. I.

DE sulphure duplici artis, & vnde vnumquodque petendum. Argentum viuum non est solitarium; sed sulphur suum habet coniunctum. Id duplex est, album, & rubeum, ita, vt priorem locum occupet album, quia ex hoc transitus est in rubrum, sicut & metalla ex nigro fiunt alba, & ex albo citrina, quasi aurum sit terminus metallorum, ad quem natura pergat ex plumbo per argentũ. Est autem notandum, quod album sulphur possit rubeum fieri, & sic auri lapis euadere per solam coctionem seu digestionem ab igni continuato, vt & infrà audiemus. Caussa est calor. Nam si hic agit in humidum, cum adhuc est mercurialis liquor, qui primo ignis gradu coquitur, nigredinem producit: Si in siccum, quando scilicet imbibitio & coagulatio facta est, albedinem gignit; & tunc porrò, si fortiter album corpus (quod tamen debet esse fermentatum & fixum completè) vrget, id in rubedinem perducit. Ex his est consequens, quod vna sit, materia vtriusq; sulphuris, & tantùm differat coctio, quæ in albo breuior inualidiorque est, in rubro diuturnior, & potentior. Sed vnde sumuntur ista sulphura? Dictum est, quod mercurius habeat secum suum sulphur, quodque is solus contineat omne, quo indigent artifices. Quæratur ergo in mercurio. Sed hic vnde? Ex corporibus

Ex lapide albo completo potest fieri rubeus.

Vbi mercurius, ibi sulphur.

cap. 8.

bus perfectis, auro ſcilicet & argento. In nullo alio corpore poteſt inueniri id ſulphur, cum ſuo mercurio. Cum autem corpora per ſe ſint repudiata, ſubtili præparatione eò ſunt perducenda vt mercurium & ſulphur arti exhibeant analogum ei, quod in mineris terræ generabat metalla perfecta. Ex auro eſt ſulphur rubeum, quod tingit rubedine, & tranſmutat in aurum: Ex Argento eſt album, quod albificat & argentum facit. Præparatio perficitur per mercurium, qui miſcendus eſt auro & argento, per quæ etiam poteſt figi ingenioſe.

Vide cap. 7.

CAP. VI. LIB. I.

DE numero lapidum artis diſſerit initio, aitque vnum eſſe. Itaque, cum audis de vegetabili, animali, minerali, & cæteris, nomina vnius plura eſſe intelliges. At eſt lapis ad album, eſt ad rubrum, de quorum diſcrepantia non tantum hic autor ſæpè monet, ſed & præparatio per diuerſa fermenta, & effectus conteſtatur. Ab initio itaque ante fermentum vnitatem ſubſtantiæ agnoſcimus; deinde vnitatem laboris in præparando; tertiò conformitatem & homogeniam in natura. Ab vna enim radice eſt vterque. Ita eſt de lapide duplici minoris operis & vno maioris. Sed qualis eſt ſubſtantia iſtius lapidis? Homogenea, inquit, per totum. Itaque & tota conſtat ex familiaribus & amicis. Nihil alieni admit-

Lapis vnus.

Lapis homogeneus.

mittit, idq; adeò, vt etiam sulphur & hydrargyrus vulgi excludantur, nedum aquæ acres, & res aliæ. Tu tamen de mercurio accipe solo, & impuro. Nam, si ad substantiam corpoream reducatur per mercurium corporeum, Lullius ait, se eum non repudiare. Vnde vero est Medicina? Hoc pulchra expedit ratione. Mercurialem eam esse, aut ex genere mercuriorum, cum quo sit sulphur suum, suprà dictum est. Non enim est alia in mundo res, saltem homini nota, quæ possit esse idonea excepto solo mercurio. Iam, cum hydrargyrus quoque sit mercurialis, imò tàm affinis mercurio, vt eiusdem naturæ esse videatur, non tamen est materia artis ob nimiam fugacitatem, humiditatem, impuritatemque, de quibus etiam Lullius. Postea sunt Mercurialia ipsa corpora metallica, quorum est genus duplex, perfectum & imperfectum. Sed neutrum, si in sua natura & coagulatione maneat, potest esse materia. Nam Lapis debet mutare & coagulare mercurium, & ei cohærere indiuulse, miscerique per minima. Id non possunt præstare corpora, vt testatur experientia. Item, cum debeat ex mercurio corpus facere, eique fusionem dare, necesse est, vt naturam corpoream habeat. Ergo medius est inter corpora & hydrargyrum, ita vt sit subtilior liquidiorque corporibus, & tamen hydrargyro constantior, magisque fixus, quin procliuis ad corpora, & horum natura semi-

Medicina mercurialis.

Hydrargyrus non est materia artis.

Nota, quomodo ex fine colligātur principia.

ſeminaria prægnans. Facilè iam aſſequeris, vnde ſit eius ortus, nempe ex corporibus perfectis & hydrragyro ita præparatis, vt corpora deuenerint ad mercurialem naturam, hydrargyrus ad corpoream. Ex perfectis autem, quia perficere imperfecta debet. Ne etiam erres in electione corporum, ea eſſe dicuntur, quæ in natura penitiſſimè congruunt, cohærent in profundo, & æquè minus queunt ſeparari poſt commiſtionem, ac aqua aquæ confuſa: Hoc eſt, aurum, argentum, & hydrargyrus ſunt materia lapidis Philoſophici poſtquam præparata fuerint, vt decet.

CAP. VII. LIB. I.

EST conſectarium capitis ſexti, & diſtributio lapidis tùm ortus, tùm finis ratione. Ex corporibus perfectis, ſole & luna, atque etiam Mercurio elici materiam tradit, idque nouis argumentis firmat, quorum primum eſt, quia illa corpora ſunt digniſſima perfectiſſimaque metallorum. 2. Quia absque illis nullum argentum viuum poteſt vim tingendi habere. 3. Quia aurum habet colorem aureum, & argentum argenteum, qui quæruntur in artificio. 4. Quia in his corporibus eſt puriſſima ſubſtantia ſulphuris; & requiritur ſulphur RVBEVM ad opus rubeum, ALBVM ad ALBVM. 5. Hermete teſte, Pater eius Sol eſt, Mater luna.

Lapis ex corporibus perfectis.

Cur hydrargyrus desideretur.

luna. Expetitur autem argentum viuum cum corporibus, quia est mercuriale. 2. Quia familiare corporibus, quæ etiam in ipsum resoluuntur. 3. Quia facilè per ipsum extrahitur mercurius ex sole & luna. Nam habet iam actum mercurii. Ergò ex potentiâ mercurio potest facilimè efficere mercurium actu. Præterea est subtilis, & penetrabilis in intima corporum penetralia, ex quibus resoluendo producit vim seminalem abiectis alienitatibus, quæ corporibus insunt, &c. Iam ergo certus es de materia. Sed cum alia sit propinqua, alia remota; sciendum est, aurum, argentum, & hydrargyrum esse materiam remotam: Mercurium vero propinquam, & tamen has duas se deinceps habere. Ergo ex corporibus istis faciendus est mercurius per mercurium actu. Itaque qui naturâ est prior, is ad artem fit propinquior, vt inde hæc incipiat, ibi illa. Omnia autem corpora metallica ex mercurio per naturam sunt facta. Hinc possumus ænigmaticè dicere, materiam artis esse mercurium, & non esse, quia ex hydrargyro & corporibus destructis est, ita, vt hydrargyrus sit pars eius; & tamen totum est vndiquaque homogeneum & mercuriale. Sic lapis iam paratus fuit mercurius, aut pars eius, &c.

Mercurius est prima materia metallorũ, & artis propinquior.

Ita explicata materia est. Distribuitur autem lapis eiusque materia in duo. Est enim vnus ad album, alter ad rubrum. Ad album fit

Lapis duplex.

fit ex Mercurio & luna : ad rubrum ex Mercurio & ſole. Sed hæc non intellige ita, quaſi deeſſet alicubi pater, alicubi mater, cum certum ſit, in maiore opere fieri non poſſe matrimonium, nec genituram, niſi vtroque principio in vno tertio coniuncto. Mercurius Philoſophicus iam compoſitus, poſtea ſeiungitur diuerſis fermentis; vnde fiunt lapides diuerſi. Si ergo Mercurium artis fermentes auro, fiet lapis ad aurum, ſi argento, fiet lapis ad argentum, quanquam hîc etiam vberior coctio fermentet. In opere minore etiam ex ſolis corporibus cum hydrargyro poteſt fieri Medicina.

CAP. VIII. LIB. I.

QVID fieri debeat ex Mercurio è corporibus euocato, monet, nempe Elyxir cõpletum magis depuratum auro & argento, vt poſſit alia metalla imperfecta ſcilicet, & hydrargyrum in aurum & argentum vertere. Eſt autem id Elyxir compoſitum ex puriſſimis & ad eſſentiam redactis partibus. Hoc qui non ſtudent efficere, fruſtrà laborant: Nam deſinunt operari, vbi oportebat incipere, ſeu non perducunt ad excellentiam debitam opus ſuum.

Elyxir completum.

CAP. IX. LIB. I.

QVOD ſit principium artis, & primum opus, quibuſque laboribus conſtet, indi-

cat. Cum Elyxir tantùm in auro & argento sit, inquit, & debeat mercurialem naturam habere, amicam scilicet metallis, & in profundo cum eis cohærentem; primus labor est aurum & argentum resoluere in mercurium, qui est prima eorum materia metallica. Tunc enim potest in aliam formam mutari recto processu naturæ, & artis. Consequens est, si corpora resolui debent, resolutionem esse opus primum. Eam assequimur sublimando, calcinando, figendo, &c. Sed cum hæc mystica sint, tu intellige planè solutionem esse primum officium in omni operatione: Deinde sequi sublimationem, calcinationem, fixionem, & cæteras operationes, quæ postea indicabuntur, vt ita non tantùm principium hîc designet, sed & totum processum absolutionis. Mox addit & coagulationem, quæ coniuncta sit cum solutione. Hoc ita accipe. Necesse est, vt mercurius Philosophicus sit medius inter corpora perfecta, & hydrargyrum, Itaque corpora oportet fieri incorporea, hoc est, spiritualia seu mercurialia, & volatilia; hydrargyrum vero necesse est coërceri, & corporibus euadere propinquum. Itaque coniungenda sunt, vt corpora à mercurio fluxibilitatem mercurialem accipiant, & rursus mercurius à corporibus aliquam constantiam & principium congelationis. Aliâs enim non potest coagulari, nec figi, nisi per corpora fixæ naturæ. Hinc simul effi-

Elyxir metallis amicum.

Merc. metallorum.

Solutio.

sublimatio.

Calcinatio.

Fixio.

Coagulatio.

Modum coniunctionis explicat Lullius cap. 1. clau.

efficitur hoc, vt istâ vnione omnia perueniant ad primæuam naturam metallicam, quæ est mercurius coagulabilis perfectè. Nec dubitandum est de constantia cohæsionis. Nam homogenea sunt omnia. Hæc est sententia huius capitis, in qua modum solutionis veræ audiuisti esse admistionem mercurii, sicut & in præcedente. Quod autem de transmutatione dicebatur, quoniam obijci poterat, species non posse transmutari, hoc obiter diluit, asserens planè posse transformationem fieri, quanquam non ita, vt absolutè forma hæc fiat forma illa, hoc est, auri forma transeat in formam argenti; sed ita, vt formæ analogæ & determinatæ in subiecto eodem permutentur. Est autem & hæc specierum transmutatio. Nam nulla materia ita potest destrui, quin sub aliqua maneat forma. At vbi forma est in materia, species est.

Specierum transmutatio.

CAP. X. LIB. I.

PRAECLARA hoc caput habet præcepta, quibus instruitur artifex ad benè operandum, & simul causæ mouentes declarantur. Audisti, principium & materiam operis esse mercurium; qui est extremum prius. Deinde ex hoc faciendum esse Elyxir completum, seu lapidem perfectum transmutatorium, qui est extremum posterius, seu terminus ad quem. Sed à primo termino ad postremum

Quo motũ perficiat opus.

non peruenitur, nisi per media. Hæc non succedunt, nisi motu. Motus ergo necessarius est, quo ex formis imperfectionis progressus sit ad vltimam perfectionem. Motus est duplex ex duplici principio: Vnus naturæ; alter artis. Vterque requiritur in hoc opere, vt paulatim & ordine ex primo per media (quæ sunt duplicia, quædam magis vicina exordio, quædam magis fini, & hæc sunt perfectiora, Elyxirique & transmutationi viciniora, ex quo est tibi πόρισμα quoddam, quod & his aliquantulum tingere possis, licet non tam perfectè, sicut Elyxire completo) tendere ad finem possis. De natura scire debes, quod hæc sit in illo ipso, quod mouetur. Itaque & tendit ad sui simile, vnde cogitare debes in qua re sit elaborandum. Id enim metes, quod seminaueris. Sponte sua, insitaque procliuitate natura contendit ad perfectionem. Sed sine artis auxilio eò non peruenit. Nam nihil se ipsum de potentia exuscitat in actum. Necesse ergo est, vt sit alius quidam actus, qui possit prouocare naturam, & eius motum prolicere. Ita tandem fiet Elyxir completum. Sed quæ ratio est artificiosæ curæ? Quo pacto debet motus naturæ ab arte iuuari & promoueri? Respondet Arnoldus: varii varios excogitarunt modos. Sed quicunque sanè vsurpatus fuerit, tu semper industriè & prudenter, seu prouidè, respiciens ad rerum agentium patientiumque naturam, & finem proposi-

Natura mouens.

Motus artis.

positum, operare. Non n. est res committenda fortunæ. Fortuna aduersatur arti & naturæ. Tu ergo asta semper, & cogita, quid sit opus factu. Scire debes naturam materiæ tuæ, seu Mercurii & lapidis Philosophici, quàm fortis scilicet sit in principio, quàm in medio, quàm prope finem. Secundum has fortitudines gubernabis motum, & patientia subministrabis. Deinde exploratum habere debes, quid cui sit familiare, & quæ requirantur ad album lapidem, quæ ad rubrum. Natura certè tibi indicat, quid aurum fecerit sub terra, & quid argentum; nempe vtrobique sulphur suum & virtus analoga. Hoc & in arte attendendum est. Præterea nō confundere debes ea, aut præpostero ordine facere, quæ se deinceps consequuntur. Semper ex priuatione ad habitum, & vno contrario ad alterum perge, veluti ex subtili ad crassum, ex leui ad ponderosum (volatili fixum) molli, durum, leni asperum, amaro dulce. Hæc enim posteriora sunt in fine. Illa antecedunt finem, & mutari debent. Insuper cum tibi propositum sit Elyxir duplex, vnum ad aurum, alterum ad argentum: Vbi conueniant, & vbi segregentur tenendum est. In principio vtrumque opus planè est idem vsque ad Elyxir commune non fermentatum: Sed postea communis hæc materia per diuersa fermentata est astringenda ad effectum singularem, & sic fiunt ex vno opere

Præcepta, quæ nos informant de motu, & consilium dirigunt.

postea duo, estque aurum fermentum Elyxiris ad aurũ, argentũ Elyxiris ad argentũ. Caue vero commisceas, quæ ipsa seiunxit natura, & sic motum intercipias, & peruertas. Si vtrumque fermentum velles coniungere, & Elyxir simul fermentare vtroque, nec aurum, nec argentum proiiciendo & transmutando faceres, sed quædam corpora ambigua auri & argenti, neutiquam eius bonitatis, quam assecutus esses separatim fermentando. Integram vim oportet ad vnum concurrere motu solitario & perfecto. Duo motus se impediunt mutuo, & vim infringunt. Ex his consequitur, quod & necesse sit diuersis fermentis dirigere vim lapidis, & non possit commune Elyxir admodum vtile esse sine corpore, quanquam aliquid velint eo tingi posse.

Duo fermenta non miscenda.

Est & hoc notandum, quod, si transmutando vis corpora fixa & pura putaque efficere, Medicinam prius emundasse, & diligenter fixisse debeas. Nam ab immundo & fugace, non potes expectare mundiciem & moram constantem. Ex his patet, quod tua Medicina figi debeat corpore fixo.

Nam eam prius volaticam reddideras. Oportet ergo, vt etiam figas, quod fieri nequit, nisi per fixum, idque temperatum, & purum. Ita aurum vel argentum cum Elyxire in vnam substantiam redactum proiicere

super

ſuper imperfecta poteris; quam rem vocant præparationem ad ingreſſum & proiectionem. Si abſque hoc proiectionem attentares, quia Medicina eſt mercurialis, & Mercurius, cui corpori accedit, eius naturam aſſumit, fitque plumbum cum plumbo. &c. Certè non aurum faceres, nec argentum, ſed augeres metallum imperfectum, & ſic temere laboraſſes. Redige ergo prius mercurialem Medicinam ad naturam auream, & in aurum mutabit: vel argenteam, & vertet in argentum, atque ita habebis Elyxir perfectum. Tandem oportet te in opere etiam interualla & ſigna colorum animaduertere, vnà cum externo regimine per calorem. Scito ergo in opere, cum iam motus naturæ & artis viget, conſpici primum nigredinem; poſt hanc ſequi albedinem, quæ in albo Elyxire per ſe quidem eſt perfecta; ſed in rubro vltimum locum ſortitur citrinitas & rubedo. Hinc dicitur quod, RES, cuius caput eſt rubeum, pedes albi, oculi nigri, ſint magiſterium. In perfectione enim ſumma eſt rubedo, paulò citerius eſt albedo. Caput & pes ſunt duo principia ſeu extrema. In medio eſt caput corui ad vtrumque contendens. Ignis debet eſſe blandus, ſeu lentus per ſuos tamen gradus definitus. Nihil eſt præcipitanter agendum, ſed omnia circumſpectè adminiſtranda, vt, SI CVBI

Proiectio vt procuranda.

Progreſſus operis & colores.

Ignis.

primus gradus requiritur, aut cæterorum vllus, vbiuis sit solers eius administratio, & dexteritas regiminis ad potentiam materiæ accommodata. Si quæras de consistentia illius materiæ, quæ continuo igne, blando tamen seu non violento coquenda est, scito eam esse instar vnguenti, quale ex sulphure facias, hoc est, balsami sulphuris, aut olei. Hæc est expositio libri I. Theorici Arnoldini. Sequitur liber. II. qui est practicus.

Vnguentū lib. 2. cap. 9. Aër est oleū & tinctura, aurum, anima Philosophorum, & vnguentum, quo totum perficitur magisterium.

IN LIBRVM SECVNDVM ROSARII ARNOLDINI PERIOCHAE ET PARAPHRASES.

CAP. I.

NOTABIS initio, ab aliquibus hunc librū Lullio tribui, & Rosariū Arnoldi diuersū poni, in quo sit ars tradita manifestissimè. Sed cuiuscunq; sanè sit autoris (neq; enim cum quoquam de hoc pugnabo) practicus est potius, quàm Theoricus, quanquam non prætereat operum rationes argutas, & explicationes doctas, sicubi res fert. Primum caput præmisso generali de praxi axiomati subiicit speciales operationes quatuor, solutionem, ablutionem, reductionem, fixionem, quas etiam definit seorsim. Sunt autem hæc 4. Regimina, in quæ vniuersa praxis diuiditur.

Citantur tamen sententiæ ex hoc in Rosario Philo. tituli Arnoldi.

Vis,

Vis, inquit, Medicinæ eſt orta ex natura & naturalem habet motum. Eius principium eſt argentum viuum, id quod patet ex reſolutione. Nam in argentum viuum redit. Fit autem ex argento viuo lapis per circularem Elementorum permutationem, veluti ex ſicco frigidum, ex hoc humidum; inde calidum quod iterum in ſiccum abit: hoc eſt terrea cõſtitutio prima eſt; ei ſuccedit aquea, huic aërea, tandem ignea. Hoc vocant etiam deſtillationem Elementorum, & nihil aliud eſt quam quadruplex operatio, donec perfectum fiat Elyxir: quadruplex autem eſt duplici ſenſu, re & ratione nimirum. Nam toties quidem lapis ad principium reuocari debet, vt primo terræ poſſit comparari, quandoquidem tunc friget & iners eſt; ſecundò aquæ; tertiò aëri, qui mobilitatem & tenuem humidamque habet ſubſtantiam; quartò igni: ſed interim quælibet in ſe quoque illas rationes & diſcrimina obtinet, vt in progreſſu apparebit. Succedere autem ſibi poſſe hæc, oſtenditur per conſenſum alterius qualitatis in combinatione, quomodo & Philoſophi declarant tranſmutationes Elementares. Subſternuntur qualitates materiales formalibus, & viciſſim. Eſt ſiccum, eſt humidum, vtrique frigidum familiare. Tranſitus ergo eſt facilior. Ita frigido & calido humidum ſe accommodat. Sed in iſta Elementarium qualitatum alternatione ars ſoluit, abluit, reducit, figit. Per ſolutionem facit

Vide de Elementis infrà cap. 6.

materiam primam ex corporibus crassis. Dum abluit, lucemque inquinatis restituit inhumat, destillat, calcinat. Nam non est ablutio per aquam, sed naturalis motus, quo instillato mercurio, nigredo paulatim euanescit, & dat locum albedini. Dum reducit, ex humido facit siccum, quod fit incerando, imprægnando, imbibendo, subtiliando. Tandem figit lapidem, qui pridem erat volaticus, quod assequitur fermentando, proiiciendoque super corpus fixum, quæ res appellatur etiam desponsatio, licet vox hæc etiam aliis coniunctionibus sit accommodata. Totum opus nihil est aliud revera, quam solutio & coagulatio, sæpius repetenda, donec perueniatur ad sublimitatem Elyxiri debitam. Admoneo vero te de istis quatuor regiminibus, ne putes ea vnius duntaxat & eiusdem operationis esse. Scito ad varias pertinere, & ideo etiam aliquando variari præcepta. Quid ordo Practicus requirat exposui in scholiis ad octauum. cap. Clau. Lullianæ.

CAP. II. LIB. II. DE primo Regimine, quod est solutio.

DE solutione lapidis sicci & grossi in argentum viuum agit, seu primam materiam. Hanc enim & non aliam in toto magisterio agnoscunt artifices Sed nota versutiam. Nominat lapidem grossum, seu corpulentum (in cor-

(in corpus crassum coactum, concretum aut coagulatũ ita, vt opponatur consistentiæ mercuriali, qualis est in argento viuo) quem debeas soluere. Nominat & medium, seu instrumentum solutionis, nempe argentum viuum, additq; rationem quia id solum possit Solem & Lunam in materiam primã redigere. Tertiò, præparandum esse id argentum viuum, monet, vt fiat ad hoc opus idoneum. Quia enim feculentiam terreã habet, quæ possit aduri, vt liquet; est & aquosum nimis; ideo præparandum est. Ita quæ desunt, supplentur, & quæ abundãt, tolluntur, id, quod requirit Geberus cum cæteris. Vtrumq; per sublimationem contingit, si ita nimirum instituatur, vt retenta substantia fluxili & volatica impuritates alienæ tollantur. Inde enim euenit, vt non perfectum metallum sed imperfectum gignatur, si Merc. sit impurus & vitiosus. Sed attendendum est, nõ tantum de auri & argenti solutione dici, verum etiã lapidis ipsius, quãdoquidem variis operationib. demũ perficitur, augetur, & multiplicatur, quibus semper ad incudẽ reuocatur & denuo soluitur. Itaque & initio vocat lapidẽ grossum; mox Solẽ & Lunam. Ego quidem puto, per hydrargyrũ præparatum posse corpora quoq; ipsa, si artificiose fuerint tractata, solui, eiusque rei feci periculum quoddam: Sed Lullius & alii magis commendant aquas mercuriales ab initio, ita, vt his corpora, quin & lapis nondum comple-

☿. solum potest ☉. & ☽. in ☿. redigere.

Solutio non tantum de prima operatione, sed & cæteris est accipienda, in quibus verius est id, quod de soluente argento viuo tradit.

completus, attenuentur, inque aquam viſcoſam reſoluantur: ſed mox adiecto hydrargyro præparato, illa aqua viſcoſa penitius & in ſuis penetralibus diffundatur. Nam aliâs Mercurius tam promtè ſe non inſinuat, niſi ei via fiat vi, per aquas Mercuriales. Si ſecus feceris, & ſolis mercurialibus aquis velis rem attentare ſine mercurio, temeritatem deplorabis: ſin ſolo hydrargyro vti, difficultatem & prolixitatem operis experiêre. Potes tamen facilius ſolo vti hydrargyro in lapidis ſolutione, quam in corporum. Ibi enim iam attenuatio anteceſſit, & lapis ſpiritualis factus: hîc omnes feræ adhuc ſunt clauſæ.

Solutio per Merc. non excludit alias per aquas mercuriales. Hæ viam faciunt, ille perficit.

CAP. III. LIB. II. DE Merc. purgatione.

SOLVTIONIS proceſſum deſcribit. Initio præparat Mercurium per ſublimationem & reductionem. Sublimat ſemel atque iterum à vitriolo & Sale. Reducit in aqua feruēte, à qua diligenter eſt ſeparandus, ſiccandus & per filtrum traiiciendus. Secundo docet, quomodo ſit componendus cum corporibus, vt hæc ſoluantur. Corpora prius ſunt præparanda, vt facilius ſolui queant. Id fit calcinatione, viam faciente calore, vt Mercurius eo citius poſſit ſe inſinuare & compagem dirimere, in quo tamen attentione opus eſt. Nam præmiſſa calcinatione facilè fieri poteſt, vt pereat diſſoluta portio effumando. Quare monet,

monet, ſatius eſſe ſine calcinatione per ſolum argentum viuum ſoluere, licet prorogetur finis operationis. Sed præparatis omnibus corpora pura mundaque iungenda ſunt mercurio æquali lance, idque ſeorſim, ita, vt aurum mercurio per ſe ſoluatur; per ſe etiam argentum, ne miſceantur opera, & tincturæ confundantur. Aqua enim alba eſt ad albificandum rubea ad rubificandum.

Mitte corpora munda æquali lance librata.

In his præceptis iubeo te duo potiſſimum conſiderare. Prius, quod de mercurii ſublimatione refert, poſterius, quod de corporum præparatione, & cum mercurio, mistione. Repudiatur ſublimatio mercurii à vitriolo è ſale ſecundum literam intellecta. Ad corpora potius refertur labor. Nam ex hydrargyro ſublimato fit aqua mercurialis. Hæc affuſa calci corporum, ea ſoluit in aquam viſcoſam. Tunc iungitur hydrargyrus ſaltem ablutione per acetum ſalſum & filtratione purgatus. Hæc eſt illa arcana præparatio. Nihil autem debet de aqua mercuriali remanere: ſed abſtrahenda eſt, & Mercurius abluendus dulci, exprimenduſque, vt conſtet, num corpora ſint in ſolidum ſoluta. Quod autem iubet ſeorſim miſcere aurum & mercurium, & argentum cum eodem : id non obſtat coniugio maris & fœminæ. Vide tamen, num opus maius an minus præ manibus habeas. Nam in minore nō opus eſt miſtura. Debes ſeparatim facere mercurium auri, & mercurium argenti; nam non tantum ad coniugium eges vno-

quoque, ſed & poſtea ad augmentum ſigilla-tim, in quibus operibus miſtio mercuriorum non habet locum. Conſidera vero hunc locum diligentius. Videtur enim arbitrarium eſſe. In abbreuiatione opus eſt mercuriis ſingularibus, item in opere minore ad album. In aliis alii etiam hydrargyro vtuntur. Vbi ſolutio eſt arcana, item perpendendus ſenſus præcepti eſt. Verumenimuero cum ita corpora ſunt in mercurium redacta, nondum tamen abſoluta eſt ſolutio. Nam de vtroque mercurio ſumere debes quantum placet, vt pote tertiam partem; & confundere. Deinde in vaſe ſuo in calore balnei digerere. Interim Mercurius penitius aget in corpus, idque reſoluet verè. Hinc diſcis, quare ante dixerit, per ſolum mercurium ſolui corpora. Nam priorem actum pro ſolutione vera non habuit, ſed tantum pro præparatione. Hic fit vera ſolutio, cuius ſignum eſt nigredo puluerulenta in ſuperficie mercurii in vitro natans, quam nigredinem oleum vocat, & verum diſſolutionis ſignum. Id autem per ſublimationem myſticam ex imo eleuatur ad aquæ ſummum, ſeu ex centro mercurii Philoſophici emergit ad ſuperficiem. Hæc nigredo ſeparanda ad partem eſt & cautè cuſtodienda, ne diſſipetur abeatque in fumum. Eſt enim corpus volatile factum. Monet autor perinde agendum eſſe in opere albo & rubeo, quia Medicina eſſentiâ ſit vna, & modo agendi, quan-

Vera ſolutio.

Oleum, nigredo.

Separatio nigredinis.

quanq̃ postea accedat in progressu coctionis rubedo. Nam tunc differunt duæ Medicinæ, & alba indiget albo, rubea rubro sulphure, quanquam alba contineat in potestate sui etiam colorem rubeum. Dum ait, est vna Medicina essentia, confirmat id, quod de coniunctione dixi in maiore opere. Non enim potest vna esse modo praxeos & essentia citra copulationem, & postea duntaxat fermento & coctionis augmento & tinctura differre.

Patientia in mora.

Hæc solutio non fit breui. Ergo iubet te animo esse tolerante. Deprauat enim opus, qui festinat. Ita corpora ad naturam spiritus sunt redacta, & pars eorum mercurialis cum hydrargyro arctissimè & inseparabiliter est mista. Ita grauiores partes sunt abiectæ, id est, grauitas & crassities corporis est sublata, mutataq; in leuitatem mercurialem. Omnia enim iam sunt volatica.

Cap. IV. Lib. II.

De Inhumatione. Nihil præter nomen hic noui ponitur. Id apparet ex fine inhumationis, his verbis comprehenso: *In hanc materiam introducta est forma colore nigra, odore fœtida, tactu subtilis & discontinuata: Et hoc est signum perfectæ dissolutionis corporum: Item est principiũ operis nostri, quo dissoluitur lapis*, &c. Ergo solutio & inhumatio reipsa nihil differunt. Rectius

item, si non alia sint eius præcepta, subiicitur solutioni, quam ablutioni, vt factum est cap. 1. Vide cap. 10. Dicunt autem inhumare esse sub humo sepelire ad putrefaciendum, vel in humum redigere. Fit in solutione sepultura senis in balneo; is occultatur nigredine seu nigra terra innatante, omnisque splendor latet. Ita Sol in sepulchro obscuro submersus est. Ex his allegoriis nata est inhumatio. Nota, quod illam nigredinem vocet caput corui, quod nomen Lullius non vsurpauit, nisi in magno opere, in quo est Eclipsis Solis & Lunæ. Iam considera & reliqua verba: *Lapide dissoluto.*) at dissolutio perfecta est post nigredinem. Ergo principium eius vel externam duntaxat solutionem intellige.

Caput corui.

Explicatio textualis.

In cucurbita.] Vas notat, quod est cucurbita, vel geranium, vel globi segmentum. *Calorem temperatum.*) Primi gradus ignis requiritur, qui licet balnei nomine designetur, non tamen humidus debet esse, sed per cineres administrari aut candelas, &c. *Putrefiat.*) Putrefactio est causa separationis, ob quam humatio suscipitur. *Digeratur per mensem Philosophorum.*) qui definitur diebus 40. aut tot, quot sufficiunt ad absolutionem operis, si rectè agas. *Ebulliant.*) Metaphorica Ebullitio est: prius dixit, vt ab inferioribus sursum ascendat nigredo. Omnia ebulliunt, cum tota nigrities eleuatur. *In materia introducta forma nigra.*) Erat prius Mercurius candidus. Iam totus nigredine est

Putrefactio non vulgaris, sed Philosophica, vt vocant.

Ebullitio.

ne est tectus : Item aurum & argentum prius habuerant splendorem ; nunc priuationem coloris & tenebras incurrerunt. Latet autem altera pars in Mercurio. *Odore fœtida.*] Ego nullum percepi fœtorem, quamuis sæpe tractauerim. Mutuatitium est Epitheton à putrescentibus aliâs. *Tactu subtilis.*] Puluerem impalpabilem appellant, id est tenerum & omni aspredine vacuum, & ego ita esse confirmo experientiâ. *Discontinuata.*] Puluis quippe est siccus. *Calor agens.*] Caussa istius nigritiei, quam & aliâs repetit, est calor lenis in humidum agens. Tunc enim materiæ humiditas potiores habet, & comparatur aquæ. Vocatur caput corui ex allegoria mystica. *Dicitur principium operis.*] Quia signum est actionis passionisque materiæ partium, & dissolutionis absolutæ, quæ nisi facta fuerit, nondum inchoatum est opus. Non enim principium est à præparatione & copulatione, sed à generatione infantis, qui antè non erat; ergo nec id erat, quod quærebatur ad exaltandum, hoc est, sulphur seminarium & anima metallorum extracta. Nondum etiam erat Mercurius Philosophicus. Nam antè duntaxat erat crudus cum aqua viscosa. Iam per vnionem & actionem solutionemque efficacem principium metallicum accepit, aptusq; est ad coagulationem. Vocat autem aquam mercurialem, aut mercurium indifferente vocabulo. Aqua est Philosophorum allego-

Destruere splendorē.

Aqua mercurialis, vel mercurius.

ria q. Elementum aqueum iam ſit ſeparatum deſtillatione. At, quia mercurii naturam habet, mercuriali titulo ornatur, atque etiam mercurius nuncupatur.

CAP. V. LIB. II.

ANacephalæoſis eſt regiminis prædicti, quod ſcilicet primùm ſublimandus ſit hydrargyrus, poſtea in aquam ſoluendus, quæ incorporata cum terra & igni pariter coquatur, donec in primã materiam redeat, & ſuppetat arti ſulphur & mercurius ex illa ipſa materia, ex aqua aurum & argentum in ſubterranea minera naſcebatur. Et hoc verum ſulphur, veruſque vocatur mercurius. Hæc ſumma eſt. Dices hinc poſt ſolutionem corporũ per mercurium exiſtere mercurium Philoſophorum, quanquam alii etiam antè ſolutionem ita vocent; imò poſtquam in lapidem eſt prima vice coagulata materia, vt ex Lullio patuit. Deinde vides concurrere debere tria ad mercurium. Vnde deprehendis, quæ cap. 3. de ſolutione ſingulari præceperat, aliter accipienda eſſe. Terra, & ignis, ſi hic nihil aliud dicitur, præter id, quod præcedentibus. 4. capitibus, ſunt argentum, & aurum. Ita in ſequentibus, cum lapis albus dicetur terra, ruber vero ignis, idem animaduertes, & horum memor eris. Sin quid aliud innuere voluit, id, quod ex Lullio patet, terra erit minera alba; ignis vero rubra, aut ſaltem aurum.

Terra, ignis, lapis albus, lapis ruber. Roſ. Phil. Quando habes merc. ex ſole, & ſpiritum mercurii &

Ve-

Veruntamen, quia generale præceptum ad omnes ſolutiones datum eſt, non aberrabis, ſi & ad præcedentia, & ſequentia eum reſpexiſſe dixeris.

mercurium ex terra lunæ, tunc plenè habebis artem.

CAP. VI. LIB. II. DE ABLVTIONE REG. II.

NIGREDINEM in ſolutione ſeu putrefactione factam & collectam eſſe meminiſti. Huic deberi ablutionem ait ſeu emundationẽ, vt res illa acquirat mundiciem & claritatem. Negat hoc fieri abſque Elementorum ſeparatione. Hanc ergo proponit. Deſcribit etiam Elementa, & duo vocat lapidea, duo aquatica: Lapidea ſunt terra & ignis propter ſiccitatem: aquatica aër & aqua propter humiditatem. Monet item aquas deſtillandas eſſe, & lapidem ſoluendum, quod fiat, cum putrefactus fuerit. Si enim non ſoluitur, nihil inde gignitur. Neceſſitas ſeparationis in Elementa eſt, vt lapis magis purgetur, & ſubtilietur. Hæc omnia ſunt ita perplexa, vt tyronẽ procul à toto negotio auertere queant. Nihil n. eorũ, quæ dicuntur, ad literã ita ſe habet. Sic autẽ rem percipies. Sulphur natum eſſe prima ſolutione, & mercuriũ confectũ memoria tenes. De vtroq; aſſerebat autor, quod eſſent analoga his principiis, quibus vtitur natura in minera terrę. Nũc cogita ſi haberes etiã planè iſta, te tamẽ nihil poſſe aliud inde architectari pręter id, quod natura feciſſet, nempe aurũ & argentum ſimpliciter. At hoc ars nullomodo

Elementa lapidea & aquatica.

intendit; ſed ſuperare vim naturæ in tantum quærit, vt iſtis principiis longè plura conficere, aurumque & argentum abſque fine fabricare poſſit. Ad hanc ſpem requiritur virtus iſtorum principiorum longè vberior, quàm naturâ inerat. Hic ergo eſt finis ille lucis, claritatis, præſtantiæ, &c. quam nigritiei ſuæ autor iſte cupiebat acquiſitam. Hæc res eſt ablutio, hoc eſt, nihil aliud quàm exaltatio in virtute & quantitate. Hæc ablutio ſeu exaltatio non poteſt vno labore comparari; ſed opus eſt pluribus, & quidem nominatim quatuor proponuntur ſecundum numerum qualitatum & Elementorum, in quorum ſingulis peculiaris eſt ablutio, quæ etiam ex ſubiecti titulo appellatur ablutio aquæ, aëris, terræ, & ignis; per quæ tu vno modo accipe elaborationem primam, in qua comparatur Elemento aquæ, quia materia eſt reſpectu ſequentis perfectionis frigida humida: Secundam, in qua confertur aëri oleoque propter humiditatem calidã aëream: Tertiam, in qua dicitur terra; iam enim ſicca & conſtans ſeu fixa eſt ad album: Vnde & terra alba nominatur: Quartam, in qua eſt ignis, ſeu Medicina rubea aurifica igneæ naturæ & penetrationis. In his quatuor operationibus denuo ſemper repetendæ ſunt ſolutiones ſeu putrefactiones, diſtillationes (id eſt ſeparationes) & ablutiones, hoc eſt, exaltationes. Niſi hoc ita fiat, non aſſequimur finem. Hæc eſt vna inter-

pre-

pretatio Elementorum, quam etiam non obſcurè per occaſionem prodit ipſe autor. Nam in ſuis capitibus audies de proprietatibus aquæ, olei, aëris, terræ, ignis, quæ tibi pulchrè veram aperient ſententiam. Alius modus elementorum eſt diſtributus per operationes omnes. Nam vbicunque eſt liquor ſolutiuus in 1. 2. 3. 4. operibus, aut multiplicationibus, ibi aqua dicitur: Vbicunque liquor coagulatiuus, præſertim in opere ad rubeum vel cum rubeo, ibi aër & oleum: Vbi terra alba ſeu lapis albus fixus, ibi terra: Vbi rubedo, ibi ignis. Et de his Elementis maxime agit in regimine ablutionis, quanquam intermiſceat non raró & priora. Sic deprehendes aquæ & aëris eandem ablutionem ſeu elaborationem; eandem etiam terræ & ignis, &c. Eſt & alia Elementorum accommodatio iuxta ignis gradus in vnoquolibet opere. Nam cõparatè loquendo, cum ſolutio fit, aqua dicitur deſtillari. Eſt enim ibi primus gradus balnei. Cum fit imbibitio, quia ſubtiliatur res magis idque calore cinerum; aër appellatur; inde paulatim ſuccedit coagulatio, & tandem corpus ſeu puluis albus; Is eſt terra & figitur ignis gradu tertio. Sic tria Elementa ſunt in Medicina alba. Neq; enim hæc indiget igne, hoc eſt, gradu quarto, & rubedine, quia non perducitur hucvſque, eſtque contenta albedine perfecta, quanquam, ſi vult artifex, ignẽ poteſt ex terra elicere, hoc eſt, albam Medi-

cinam penitus rubefacere. In rubro vero lapide omnes gradus, & omnia Elementa qualitatesque in actum ordine ducuntur, & alterum Elementum ab altero separatur destillando, hoc est, continuata coctione vnius Elementi nota obliterata, prolicitur secundi, & inde tertii, & quarti; quod ex similitudine in quinta essentia per septuplam destillationem facienda, etiam nominant destillationem septemplicem, cum tamen nihil minus hîc fiat, quàm destillatio, sed tantum mutatio ex imperfectione ad perfectionem. Sic aquæ per se quidem albæ signum est nigrities; olei seu aëris in imbibitione oleosa spissitudo & calor maior: terræ fixa & constans albedo, cum respectu tamen: ignis, rubedo. Hi colores & dispositiones, cum ex se mutuo sequantur ignis externi ope, dicuntur destillationes Elementorum; vox septupla, additur essentialis puritatis designandæ caussa, quia toties destillando ex vino fit quinta essentia. In Rosario Phil. ita explicantur Elementa ex sententia Arnoldi, cum facta est solutio, dicitur vnum El. aqua: cum corpus est immundum, dicitur terra: cum est calcinata terra, ignis dicitur, & cum iterum solutus est lapis, dicitur aër: hoc est, in secundo opere magis oleum & aër vocatur, quanquam & & in aliis idem habeat nomen.

CAP.

CAP. VII. LIB. II. DIVISIO lapidis in IIII. Elementa.

VT titulus habet, ita eſt in textu capitis. Parat quatuor Elementa ex corrupto ſuo lapide, hoc eſt, reſoluto mercurio in ſulphur nigrum & mercurium. Aquam facit igne balnei, cuius calor eſt lenis & eleuat tantum partes ſubtiliores fugacioreſque. Hoc primum opus eſt, quod tamen non indiget ſolutione. Iam enim ea eſt peracta. Coagulatio vero inſtituitur ita, vt puer ille niger, ſeu ſulphur nutriatur MERCVRIO, quem lac virginis vocant, donec tota quantitas ſit ab eo aſſumta, & paulatim coagulata. Ita ſolutione facta eſt aqua per balnei calorem, ſeu lenem, in quo licet gradus ſint accommodati ad materiam; tamen is totus ſequentium reſpectu vocatur IGNIS gradus primi. Hanc aquam capite ſequente iubebit abluere, quod nihil aliud eſt, quàm coquendo ad finem perducere, qua prima operatione peracta tranſeundum eſt ad ſecundam.

Coagulatio.

Aqua.

Poſt aquam extractam, aërem elicit, eumque miſtum igni, & vocat oleum, hoc eſt, ſecundam operationem aggreditur, in qua lapis primæ operationis reſoluitur, & de-

Aër.

nuò coagulatur, vt antè, ita tamen, vt ignis respectu prioris, sit vno gradu intensior, qualis fuerit ignis cinerum, cuius vis potest partes crassiores eleuare, hoc est, aquosum illum lapidem ad maiorem nobilitatem & constantiam perducere. Hic aër abluetur capite nono, sed non alia arte, quàm qua aqua fuerat purgata. Cur vero ignis dicitur aëri coniunctus? Quia Elyxir est, & fermento rubedinis animatum ad igneam naturam transit fitque lapis rubeus. Terræ duplicis meminit in hoc capite, combustæ scilicet, nigræ, siccæque, & deinde albæ & fixæ: et tamen illam ab aëris destillatione residuam esse ait. Sanè licet nigredo sulphurea etiam terra appelletur, tamen aliam quandam feculentam & proiectilem etiam Lullius agnoscit. Vera verò terra Elementaris est alba fixa, hoc est, Elyxir album fixum, quod fit tertia operatione; aut lapis primæ & secundæ operationis, qui item albus est, sed nondum completus. Notandum est, quod de copia aëris & aquæ moneat, vt studeamus multæ: hoc est, debemus procurare, vt lapis primi & secundi ordinis sit satis multus, quia est fundamentum tincturæ. Si hanc poscimus copiosam; etiam illi lapides debent esse ampli. Præterea in omni opere procurandum est, vt mercurius exsuperet. Inde n. Elyxiris quantitas & augmentum dependet. Lullius & alii iubent de illo Mer-

Ignis aëri coniunctus in lapide rubro.

Terra duplex.

Duplex causa est, cur mercurius aqueus & oleosus debeant maioris copiæ esse.

Mercurio aqueo primæ operationis & aëreo ſecundæ operationis, in qua vocatur oleum, partem non paruam reſeruare, quia poſtea inſumenda eſt in fixione lapidis, & multiplicatione. Item inde remedium petimus, ſi fortè lapis nollet fluere, vt cera.

CAP. VIII. DE ABlutione aquæ.

DVo Elementa, aquam & aërem iubet abluere; deſtillando ſepties duo terrã & ignem repurgare calcinando, quæ ablutio talis eſt, qualis mapparũ ex byſſo & asbeſto lino. Sed num ſimul deſtillanda eſt aqua & aër? Non, inquit, ſed ſeparatim: quia aër eſt melior, quam aqua. Cur hæc eſt abluenda? vt ſordes amittat. Debet enim poſtea vſurpari in abluenda terra, & dealbanda, & facere matrimonium tincturarum. Fit & ab aduſtione tuta, quouſque perueniat ad tincturam. Septies autem repetenda deſtillatio eſt, & inter quaslibet interiicienda putrefactio vel inhumatio in fimo. Signum perfectæ ablutionis eſt ſplendor & cryſtallina ſerenitas. Fiunt porro & feces in deſtillationibus. Hæ ſunt colligendæ, & addendæ nigredini ſuperiori. Tandem aqua ita deſtillando purgata ſeponenda eſt, quia eſt Mercurius Philoſophorum ſolutiuus, qui facit matrimonium; item eſt aqua vitæ, qua abluitur Lathon. Duæ autem cum ſint aquæ, al-

Hæc verba repetuntur in roſario Philoſoph. ſub nomine Arnoldi titulo de inceratione Elyxiris albi.

ba scilicet, & rubea, vtraque quidem eodem modo est elaboranda, sed non commiscendę. Vides itaque primum omnium Elementorũ elaborationem ostendi, postea in specie de aqua, & aëre disseri, & de aqua quidem ex instituto capitis. Nihil aliud vult autor, quam vt prima operatione procuretur solutio, & solutorum reciproca per imbibitionem coagulatio, donec lapis inde fiat albus instar crystalli, nihil habens fecum, nisi fortè albas. Non fit solutio simul semelque, sed per interualla: nec coagulatio. Vtrobique intercedunt digestiones, quas ille inhumationes in fimo nuncupat: vtrobique aliquid fit, per quod paulatim crescit, in solutione quidem nigrum sulphur, in coagulatione vero, corpus. Ergo metaphoricè iubet colligere reliquias & coniungere cum cęteris. Vetat misceri aquas duas, quod verum est sicubi sunt actu duæ. Hic vero non sunt, nisi fortassis in minore opere ad album & rubeũ seorsim operari velis, aut extendere praxin ad diuersas fermentationes.

CAP. IX. DE ABLVTIONE aëris.

DIXERAT cum aëre exiisse ignem in separatione. Hic iubet diuidere, & aërem seorsim elaborare. Diuisionem vult institui per destillationem, qua ex alembico aer prodeat, igni in fundo remanente sicco. Hunc aerem

Varia nomina aeris.

aerem appellat oleum, tincturam, aurum, animam Philoſophorum, vnguentum, quo totum magiſterium perficiatur. Nihil hoc aliud eſt, quam repetita ſolutio præcedentis lapidis, & eiusdem coagulatio, qua arte efficitur lapis & Elyxir aereum. Cum aere hoc ait eſſe ignem ante diuiſionem, quod de potentia mutationis in igneum rubeumque lapidem intelligẽdum eſt. Iubet autem hic ſeparare & ſeorſim aerem abluere, quod eſt, lapidem duntaxaxat aereum reddere, & non perducere vſque ad rubedinem. Hoc enim poſtea eſt peculiare opus, *Operare*, inquit, *lapidem humidum & aquam & terrã ſolum*: Item: *Vtere lapide ſicco ad ignem & aërem tantum*, hoc eſt, prima operatione lapis aqueus humidusque duntaxat prouectus eſt ad puluerem terreum ſeu lapidem ſiccum; ſed in ſecunda hic reſumitur & perficitur eodem modo per ſolutiones & coagulationes, vt euadat aereus, & potentia igneus, item oleoſus. Huic competunt illa nomina ſuprà recitata. Cur ignis cum aere prodit, & nõ cum aqua? Quia lapis prior erat humidior & frigidior, quam vt ex eo proxime fieret ignis. Cum vero ſecundo opere exaltatus eſt amplius, calidior ſpiritualiorq; euaſit, adeo, vt poſtea promtè in ignem abire poſſit, & fieri tinctura excellens. Hinc ait, *Si miſcueris ignem, ſtatim erit rubeus*, &c. Cur ignis in fundo manere pronunciatur? Ididem eſt, ac ſi dicas in potentia, & in receſſu interiore, vnde poſſit educi, tanquam

in imo

in imo ſeu fundo hæſiſſet. Conſequens enim eſt in fundo.

CAP. X. DE OLEO extrahendo.

Quod hic aer extrahatur, indicat ipſe autor. Ait enim emergere oleum quod ſit aer: item aerem ablutum ſeruandum eſſe.

PRAXIS extrahendi aëris eſt, quem præcedente capite vocauerat oleum. Meminiſti ſæpè dictum eſſe de deſtillatione ſeu per hanc extractione, vt videas, qualis ſit illa deſtillatio, hîc exemplum habes, vt in cæteris ſimiliter agas. Non autem dubitare debes, quin hoc ſe ita habeat, cum ſcripſerit aërem ab igni, hoc eſt, oleum deſtillando ſeparandum eſſe: Item poſtea ſepties totum oleum per alembicum deſtillandum, id eſt, totum ſoluendum. Cape ergo lapidem illum ſiccum, quem prima operatione feciſti. Adde mercurii puriſſimi (hæc eſt aqua mercurialis ex primi operis labore reſeruata, quandoquidem mediante aqua oleum ab igni in deſtillatione extrahitur, interim aquâ ipſâ quoque in olei ſeu aëris naturam tranſeunte) tantum, vt excedat quatuor digitis, vel amplius. Include vitro miſturam. Pone ad ignem lentum & ſolue. Videbis aſcendere nigredinem, planè, vt in prima ſolutione, quæ in opere hoc vocatur etiam oleum, aliâs ſulphur, & aër. Hæc nigredo innatat mercurio. Collige eam ſolerter; & aſſerua in peculiari vaſe. Interim, ſi mercurius retunditur aut ſpiſſior fit, quam vt queat totum ſoluere & omnem nigredinem extrudere ad ſuperfi-

perfi-

perficiem; auge eum, affusa portione calida, id, quod aliâs quinto quoque die fieri consueuit. Cum affudisti, repone iterum ad coquẽdum. Quantum autem addendum sit, soluendi facilitas aut difficultas tibi indicabit. Plærique augent dimidio pondere respectu lapidis soluendi. Perge ita continuè, donec totam nigritiem, seu oleum extraxeris, & nihil maneat insolutum, perfectumque euaserit oleum. (hoc enim significat septena destillatio) ita abstraxisti totum. Deinde hoc oleum ablue. Modus abluendi idem est cum ablutione aquæ: hoc est: eodẽ modo siccitas illa nigra est reponenda in vase, & nutrienda suo mercurio, donec coagulet & acquirat colorem crystallinæ albedinis absque fecibus, nisi fortè albis. Hinc collige, quod non alia via debueris etiam aquam destillare. Si enim eadem est ablutio, hoc est, coagulatio & sublimatio vsque ad albedinem: etiam eadem est destillatio seu solutio. Iubet autem ille inhumando, & destillando humiditatem abluere, quousque serenitas crystallina appareat. Inhumatio est inclusio in vase & digestio lenta: Destillatio est humiditatis in siccitatem mutatio, ita, vt res humida seu Mercurius non separetur, sed mutetur, seu coaguletur fiatque cum corpore nigro tandem Elyxir album, quod dicit esse guttam spissiorem, coloris intensioris, leuitatisq; aëreæ, ita, vt si lapidi prioris operis miscere-tur, innataret, vel ad eum se habeat tanquam

Olei ablutio, id est, coagulatio & exaltatio.

Inhumatio alia à superiore c.4.

aer ad aquam. Hic aer ablutus (vocat aerem, id quod prius oleum) ſeruandus eſt. Virtus eius eſt tingere, colorare, figere, & fuſionem dare. *Tingit*, inquit, *omnem laminam in eo ter extinctam in aurum vel argentum, ſecundum quod ipſe (aër) albus vel rubeus fuerit.* Aiunt autores Elyxir hoc tingere poſſe. Quidam id reſoluunt in liquorem, in quo candefactas laminas extinguunt, ad argentum quidem, æreas & ferreas; ad aurum vero inſuper etiam argenteas. Sed tu in opere maiore huius verbis morem non gere. Nam Sophiſma latet. Non tingit Elyxir, vt ſupra audiuiſti, & infra quoque dicetur, niſi prius tinctum fuerit; non figit, niſi prius fixum. Hoc fit per fermentationem, quæ nondum eſt facta. Nihil enim exhibet in maiore opere ſecunda repetitio, niſi Elyxir indiſcretum. Hoc diuidendum eſt in partes, & vna fermento albo, altera rubeo figenda. Huius gratia in fine monet, tincturam iſtam fieri albam aut rubeam, prout præparatus fuerit lapis ad album aut rubeum. Non enim poſſunt duo hæc miſceri ſed ſeorſim debent inſtitui. Opera danda eſt, vt olei, ſeu aeris, hoc eſt, Elyxiris huius conficiamus quantitatem multam. Nam hinc erit tinctura copioſa. Alia vero ratio eſt operum minorum.

*Oleum duplex, album & rubeum.

Vide cap, 19. lib. 2.

CAP.

Cap. XI. Lib. II. De differentia olei & aquæ.

Effectis potiſſimum diſcernit aquã & oleum, & ſic vnâ rationem reddit ἐπιθέσεως τῶν ὀνομάτων. Mercurius ex primo opere dicitur aqua, quia abluit, & mũdat, cumque ſit ſpiritus, extrahit animam à corpore, eamq; aſſumit & retinet. Spiritu enim anima gaudet. Si Mercurius ſpiritus eſt, aptus certè eſt ad animam in reſolutione corporum aut lapidum aſſumendam. Eandem etiam cuſtodit. Ergo, cum in coagulatione poſtea redditur corpori, hocq; nutrit imbibitione facta animam ei dicitur reddere. Oleo tribuitur vis tingendi, & colorandi. Sed coniungitur aquæ. Nam & hoc Mercurius eſt. Itaq; vna eademq; res eſt, ſed ratione differt. *Anima eſt tinctura ſoluta*, inquit, *in ipſo ſpiritu deportata*. Si oleum eſt tinctura, & anima quoque; hæc autẽ à ſpiritu aquæ aſſumitur; in vno ſanè erit vis olei, & aquæ, & ſpiritus, & aqua idem nominatur ob humiditatem, oleum ob vnctuoſitatem aeream; ſpiritus ob ſubtilitatem, anima ob virtutem. Id declaratur etiam exemplo. Nam in vulgaribus tincturis eſt aqua & color, fixus in oleoſa miſturæ parte. Cum pannus imbutus eſt, exiccatur diſceditque humiditas remanente tinctura cum ſubiecto oleoſo. Ita fit in artificio lapidis. Terra alba foliata eſt quaſi pannus: Mercurius animatus eſt co-

Anima in ſpiritu, ſpiritus in aqua.

est color dilutus. Si hic affunditur illi; exiccatur eius humidum, transitque in siccnm, & sic remanet in illa terra anima, spiritus & tinctura. Spiritus est vinculum animæ, quo intercedente manet in corpore. Hoc tu videbis aperte in coagulatione. Nam habes terram nigrā exuccam, potentiâ albam. Hæc est mortuum corpus, carens anima & tinctura & spiritu. Habes postea mercurium, qui vocatur animatus, hoc est, eum, cum quo solutio est facta. Hic quia spiritus est, animam suscepit, & iam secum vehit. Tingere vero est spiritus & animæ. Si ergo hunc mercurium reponis ad corpus illud in coagulatione, corpus recipit animam & tincturam, humiditateque aquea paulatim per coctionem sublata, res fit sicca hærente oleo cum vi tingendi.

Tingere.

Ita vides vna eademq; res, quando dicatur oleum, & quando aqua. Hinc postea quia secundum opus magis facit ad tincturam, primum magis ad solutionem & ablutionem; etiam his communicata sunt nomina. Sed tamen non omnium huiusmodi appellationum possunt rationes reddi, quia interdum ex mero arbitrio & occultandi studio proficiscuntur, sicut vides in vocabulo olei, quod modo attribuitur mercurio quatenus est aëreus & tincturam vehit in omni opere; modo operi secundo, modo terræ nigræ, modo lacti virginis residuo ab Elyxiris confectione, &c. Confirmat autem suam sententiam

Arbitraria & subdola vsurpatio vocabulorũ obscurat negotium.

hic

hic ſcriptor autoritate Hermetis, qui iubeat animas in lapidibus venari, hoc eſt, in coagulatis. Nam his anima inhæret per vinculum olei aërei ſeu ſpirituoſi vnà coagulati. Hoc etiam eſt ſeminare animam in terram foliatam albam, hoc eſt, per imbibitionem corpori reddere ſpiritum extractum. Sed tu tamen tacitè intellige Elyxir album (hoc enim propriè vocatur terra alba foliata) animandum eſſe ſuo fermento, vt infrà dicetur. Hinc declaratur aliud Hermetis dictum de anima, quæ aſcendit à terra in cœlum, iterumque deſcendit in terram, & vim acquirit ſuperiorum & inferiorum, quæ verba extractionem in ſolutione per mercurium deſignant. Mercurius enim animam excipit, & relinquit corpus mortuum. Sic ea dicitur in cœlum aſcendere, & cœleſtem dignitatem acquirere. Inde rurſus redit in terram per imbibitionem, & cum terra mediante ſpiritu oleoſo mercurii vnitur, accipitque etiam vim inferiorum. In fine iterum monet de non miſcendis diuerſis oleis, ſeu mercuriis, de quo antè ſatis eſt dictum.

Animas venari in lapidibus.

Animæ aſcenſus & deſcenſus.

Cap. XII. Lib. II. De ablutione ignis & terræ.

Vox ignis, & terræ ambiguam habet ſignificationem. Suprà dixi per terram interdum intelligi corpus illud nigrum, quod imbibitione ſui lactis eſt reſuſcitandũ: inter-

dum lapidem in quolibet opere confectum, qui & puluis vocatur; interdum Elyxir album fermentatum, quod porro poteſt in ignẽ mutari vt c.17.ſcribitur. Hæc nomina variant pro diſtinctione minoris & maioris operis, quæ duo ſæpè in his myſteriis cõfunduntur ad fallendos imperitos. Sed vt autorem explicemus, reminiſcendum eſt, quod duo elementa ignem ſcil. & terram c.6.appellauerit lapidea, quia non ſunt fluida & humida, ſicut aqua, & oleum, quę tunc intelliguntur, cum ſolutione peracta Mercurius ſeparatus eſt: hic enim eſt aqua, quæ vehit ſpiritum & animam tingentem: Et cum imbibitione facta oleoſa ſpiſſitudo apparet: Hoc enim eſt oleum, in ſingulis operibus. (Iam enim nõ diſſeritur de operibus quatuor ſeparatis, ſed de vno eodemq;, in quo nihilominus ſunt elementa quatuor.) Oleum ſequitur ſubſtantia lapidea, ſeu duo elementa lapidea; vnum terreum, quod eſt album; alterum igneum, quod eſt rubrum. Horum præparationem, ille appellat ablutionem quæ fiat per calcinationem, hoc eſt, calorem talem qualis inſtituitur, cum quid calcinare volumus, & definitur in albo corpore, gradu tertio, in citrino vero quarto. Hæc eſt ſententia huius capitis. Verba ſic intellige. *Olei feces, quas fecerit, collige & repone cum igni.*] Fallit te nomine fecum, cum nihil aliud deſignet, quam conſtitutionem ſeu diſpoſitionem rei poſt oleoſam conſiſtentiam, cum

vide-

videlicet iam inſtat exiccatio & coagulatio puluerea. Dum dicit omni vice, indicat in ſingulis operibus, in quibus ſolutio & coagulatio repetitur, idem debere fieri. *Quia ſunt ignis & tenent nigredinem ad rubedinem.*] Potentia ſunt ignis: quia, ſi illud coagulatum tertio reſoluatur per aquam rubeam, nigredinem prębet, quæ in coagulatione tranſit in rubeum lapidem.

Quas feces oportet cum aqua prima terere, & ſuauiter comburere.] Soluere addito mercurio primi operis, & poſtea coagulare lento gradu ignis, donec fiat puluis ſiccus. Hic poſtea igni forti calcinatur, vſque ad completam albedinem, qua vocatur terra; vel rubedinem qua vocatur ignis.

Calcina ignem cum igni, terram cum terra, donec fiat munda.] Eſt quidem ignis externus inſtrumentum calcinationis: ſed hic IGNIS internus intelligitur quaſi dicat ſolutionem & coagulationem in opere ad rubeum debere fieri cum mercurio ſolari igneo; in albo vero, in quo eſt TERRA, cum mercurio terræ, id eſt, corporis albi. Inde ſe rurſus immergit in perplexitates, dum quod ab igni aſcendit oleum rubeum vocat, quod à terra, oleum album, hoc eſt, illa nigrities in opere ad aurum eſt rubei olei inſtar; in albo ad argentum albi. Pretioſius etiam nominat oleum id, quod tardè ſeparatur: hoc eſt: non

quidem præcipitandus labor eſt in vllo opere. Vnde, quod debita cum mora fit, eſt ex intima corporum ſubſtantia, quæ non extrahi poteſt, niſi ſuo tempore. Sed tamen etiam intelligere debes, quo ſępius ſoluitur & coagulatur lapis, eo magis prorogari finem & fieri eum precioſiorem altioremque virtute. Sic, dum ignem & terram explicare annititur hoc capite, certè ſeſe occultat ambiguitate; & tamen interim fundamenta ponit fermentationis, de qua in regimine quarto. Nunc audiuiſti regimen primum, quo præparabatur Mercurius, & Solutio prima inſtituebatur; poſtea ſecundũ in quo coagulatio prima eſt, totumq; opus ſecundũ, quin & aliqua fundaméta ſequentiũ. Cum .n. conueniant opera in plæriſque, & reſpectus ſint varii, non poteſt fieri, quin ex vno intelligatur alterum.

CAP. XIII. LIB. II. SVMMA regiminis ſecundi.

CAP. I. Quatuor regimina propoſuit, quorum primum contineat ſolutiones, ſecundum ablutiones, tertium reductiones, quartum fixiones. Actum itaque ſecundo de ablutione ex hypotheſi eſt, cuius proceſſus fuit per deſtillationem humidorum, aquæ ſcilicet & olei, & calcinationem ſiccorum, id eſt, terræ & ignis. Horum abſolutorum ſigna ponit, & terminos. Terram iubet ita calcinare comburendo, vt nihil animæ in corpore re-

re remaneat ſenſibile, ſeu, niſi quod in operatione non percipiatur ſenſibus, cuius ſignum ſit, ſi quid eius laminæ candenti impoſitum, fumum non edat. Sane duo hic ſunt ſigna; prius, nihil animæ remanere in corpore, quod non poteſt accipi, niſi de corpore nigro, ex quo anima eſt extracta. Hoc & Lullius triduo iubet reuerberari. Ergo dum abluitur terra, hoc vnâ comprehenditur: poſterius ſignum conuenit lapidi perfecto, ſicut & cap. 26. & 27. audiemus. Additur ſignum tertium, quod in operatione noſtra nulla alia ſit terra, quam pallida, vel ſubalba: quibus verbis nihil ſignificari poteſt, niſi coagulatum album: & tamen etiam nigrities imbibenda appellatur terra, aliâs ſulphur, oleum, &c. Ludunt ergo artifices nominibus, & ſæpe pro arbitratu loquuntur, poſtea de ſpiritu, anima & corpore diſſerit, vnde nimirum hæc nomina ſint impoſita lapidi. Spiritus vocatur ob ſubtilitatem & puritatẽ: Anima ob vim tingendi & lucem præſtandi: Corpus ob ſiccam albedinem. Veruntamen, vt patuit diuerſimodè ſimul diſpoſita tunc fuit materia, atque etiam in partes ſeparata. Hinc ponuntur cæterorum quoque elementorum notæ, vt, quod aqua omnis ſit candida, nimirũ argentei ſplendoris vt in puro hydrargyro: oleum album, aut ſubcitrinum, (eſt ergo liquor operis ſecundi & cæterorum: Subcitrini tamen coloris non meminerunt autores cæteri. Videtur itaque hic ſcriptor, ita appella-

Spiritus
Anima
Corpus.

Aqua candida.
Oleum album.

re mercurium auri, in fermentatione rubea in cuius potentia est ille color, vnde etiam ignẽ oleo vel aëri coniunxit) ignis omnis rubeus, qui tamen tantum in fermento ad rubeum maioris operis apparet, aut in minoris lapidis ad rubeũ absolutione. Ex his notis vides præcedentis regiminis doctrinam non hærere in primo & secundo opere tantum, sed extendi ad omnia tam rubri quam albi lapidis. Adiicitur consectarium de elementorum ad opus aptitudine. Si enim singula ita fuerint præparata, vult ea operi idonea esse ita, vt terra possit bene solui; aqua digerere (soluere & coagulare) oleum tingere abundanter, cum spiritum in se portet. Si ita non sint, erratum pronuntiat, monetque vt id corrigatur, nisi malimus opus denuo inceptare, quorum tamen illud est consultius. Monebit autem de erratis emendandis cap. 23. Tandem mandat elementa abluta singularibus vasis iisque occlusis seponere & seruare, maximè vero oleum bene munire, quod ob aeream naturam euanescere soleat, id, quod alias etiam dicitur de Elyxire nondum fixo. Iubet addere notas memoriæ caussa, vt sciamus nomina, virtutes & colores, ne permutentur in vsu. Tu reponere iussus es aliquid de mercurio solutiuo primi operis: & iterum aliquid de oleoso secundi. Terra, quia est lapis coagulatus, per se item seruanda est. Ignem nondum confecimus. Vbi tamen confectus fuerit, erimus præcepti memores.

Ignis ruber.

Spiritus in oleo; spirit. in anima: supra spiritus erat in aqua.

CAP.

CAP. XIV. LIB. II. DE TERtio regimine, quod est Reductio.

VBI locum habeat Reductio, quod est tertium artis regimen secundum institutum huius autoris licet perplexum, indicat, nimirum à calcinatione per ignem in opere albo & rubeo, sicubi materia euasit admodum arida & sitiens, aëre iam abstracto, hoc est, aërea humiditate abolita, & terrea igneaque siccitate procurata. Causa reductionis est, vt humiditatem amissam lapis vterq; recuperet, fiatq; fructuosior seu excelsior dignitate, & copia maior. Hoc ergo tertium regimen potissimum locum habet à fermentatione alba, cum non tantum Elyxir album ignis vehemẽtia exhaustum recreandum humore est & multiplicandum, sed & postquam ex albo factum est rubeum, &, vt loquitur, ignis terræ coniunctus, quod nõ fit absq; quarti grad⁹ calore. Necesse enim tunc est siccitatem esse maiorem & plane igneam caliditatẽ, quę ad moderationẽ reuocatur per reductionem, hoc est, redditionẽ humidi aëris, vel olei. Nam hic cõducit maxime oleum, quod vim habet & ignis & aëris, vt supra mysticè dictum est. Hic notabis id, quod ante in declaratione elementorum diximus, nempe prima duo regimina extendi quidem ad omne opus lapidis vbi soluendum & coagulandum est; veruntamen quia magis Elementum AQVÆ & Aëris attinẽt magis

Hoc regimen absoluitur capitibus quinq;. Reductio magis fit in augmento post fermentationem; coincidit tamen etiã cum coagulatione in opere quoquis.

valere & conſpicua eſſe in primo & ſecundo, vbi etiam Elementa duo, aqua & aër quaſi ſedem ſuam habent, licet & hæc in ſequentibus ſuo modo deſiderentur.

CAP. XV. LIB. II. DE modo reducendæ aquæ ſuper terram.

QVANDO Elementa aliarum rerum ſegregantur, & à purgatione iterum vniuntur, vt fiat cœleſtis ſubſtantia, ſolet initio terra imponi, & poſtea per lentam ordine imbibitionem aër & aqua eidem reſtitui & vna coagulari. Ignis plærumque terræ eſt coniunctus ſicubi ſiccus eſt. Aliâs etiam per impaſtationem, & incerationem immiſcetur, vt planè terra habeat fundamentum. Semel inſtituit hic autor per allegoriam iſtam opus hoc lapidis declarare, vel potius obſcurare & tegere. Procedit itaq; in hoc cap. & incipit de ſua myſtica reductione diſſerere. Nihil autem aliud habet, quam coagulationis in vnoquolibet opere perſpicua præcepta. Ergo hîc ſub alia forma & ſpe perigrina, ſeu propoſito alio, ſumma luce veritatem lectore non attendente exponit. Terram iubet recondere ſeu reponere in ſuo vitro: Ea vero eſt nigra (vides fallaciam. Ex hypotheſi enim debebat eſſe alba, ſeu lapis albus) nempe ille puer, illud ſulphur, illa nigredo, quæ in ſolutione ex imo aſcendit ad mercurii ſuperficiem, & vocata eſt ca-

Aqua reducitur in 1. aer in 2. operatione primum.

Nota hic præcepta omnis coagulationis in opere exponi.

ſt caput corui tunc; poſt calcinationem, ſeu xiccationem reuerberatoriam, terra mortua, vel corpus mortuum. Eſſe autem eam ctu nigram, quanquam reſpectu ad lapidem lbum, ſeu potius ad potentiam, vocetur alba, indicat colorum hiſtoria. Nam circa finem ait: *Cum terra nigra eſt & imperfecta, quouis tempore parumper auge ignem, donec progrediatur terra alba, &c.*

Draco hīc deuorat ſuam caudā.

Sed audi proceſſum, qui certè parum explicationis eget, adeò apertè eſt deſcriptus. Affunde terræ aquam certæ quantitatis, & aquam quidem ſuam ſeu propriam. Hæc eſt illa, per quam ſolutio erat facta, & quæ ſeparata nigredine reſtabat. Qua autem quantite debeas affundere, diligenter explicat. *Tere leniter*, inquit, *donec terra aquæ ſuæ partem quinquageſimam imbiberit.* Iam tu tecum meditare & ſupputa, quoto numero aquam ad ſoluendum aſſumſeris. Eius iuberis iam quinquageſimam partem per modum imbibitionis, vel nutritionis terræ reddere. Nam nutrienda primum (ait) eſt pauca aqua. Deinde augenda quantitas paulatim. Declaratur res exemplo recens natorum. Nam infans, cum primum natus eſt, indiget alimento pauco, quia humidior eſt, & imbecillior ad multitudinem digerendam. Ita nigrities illa terrea paucula alimonia initio ſuſtentatur cum adhuc ex vtero ſuo coniunctam habeat aëream ſubſtantiam, quæ vitam poteſt tolerare.

Coagulationis & imbibitionis praxis accurata.

Cum vero procedit ætate, ſiccior fit, & calor euadit acrior. Plus itaque ob quantitatem maiorem, ſiccitatem, & calorem poſtulat. Non vna vice ſimul & ſemel debes totam aquam affundere. Fallereris enim miſcens ſtatim omnem. Itaque paulatim per interualla ſemper ſuffice nouam portionem, nempe ſingulis octo diebus, ita vt poſtquam aliquid irroraſti (nam per modum irrorationis demittendus cibus eſt) referas vitrum cum materia in locum priorem furnelli, & ſeptem dies ibi leniter coquas, & vt loquuntur calcines, ſeu coagules. Cum præterierint dies ſeptem, inſpice materiam, & vide, num humidus cibus ſit abſumtus, & in ſubſtantiam reliqui corporis commutatus. Tunc nouum ſuggere, & ſic quamuis lentè, tamen ſine tædio prolixitatis perge, nec amoue manum ab opere, ſed inſta aſſando & coagulando, donec tota aqua, quam coagulationi deſtinaſti, ſit per coagulationem exiccata, & in corpus verſa, ſeu ab alba, terra imbibita. Caue committas aquid temere. Semper perpende pondus. Quamdiu coquis, tàm diu non debet deficere humiditas. Vide ergo, vt cum abſumta eſt, ſemper eam inſtaures. Non debet excedere pondus, nec deficere. Neque tamen poteſt præſcribi certum. Sed tu ipſe cogitare debes, quàm fortis ſit materia & quantum poſſit digerere. Hac prudentia vtere. Licet tibi multum aquæ coagulare, aut parum. Veruntamen

Nutritio p octonarios ſinguios.

men cogitandum eſt, ſi nimis parum coagulas, lapidem non fore magnum. Operare ergo circumſpectè. Interim notandi tibi etiam colores ſunt, qui in quolibet articulo & opere apparent. Tres omninò ſunt principales, niger, albus, & ruber. Initio terra eſt nigra, & tunc imperfecta. Nigrities autem fit, cum ignis agit in humidum abundans. Itaque in progreſſu cum ſiccior ſubinde fit materia, debes quoque ignem augere paulatim. Tunc ſuccedet albedo, quam ignis gignit agens in ſiccitatem. In primo opere non aſſequeris albedinem ſperatam. Liuet ea tunc, eſtque Saturnina. Ergo repetes laborem & tranſibis ad opus ſecundum; vbi iterum ſolues, coagulabiſque ſeu teres cum aqua,& calcinabis, quouſque albedo niuea reſultet. Azor & ignis abluunt Lathonem, aiunt PHILOSOPHI, quod eſt aqua mercurialis, cum calore terram coagulandam exaltandamque efficiunt à nigredine mundam, & albam. Itaque quo magis id facies eò præſtantior candidiorque fit lapis. De colore tertio, citrinitate ſcilicet vel rubedine, ſequetur ſuo loco.

Colores.

Niger.

Albus.

Hæc eſt res capitis XV. quæ ideo quoque diligenter ruminanda eſt, quia eius præcepta in omni coagulatione, quæ ſæpius recurrit, locum habent. Lege iam, quæ ſupra capite tertio & quarto ſunt poſita, & hoc

hoc XV. pro quinto habe; continuatum videbis laboris ordinem.

CAP. XVI. LIB. II. DE ſublimatione terræ albæ.

HOc caput complet illa, quæ præcedente ſunt expoſita accuratè. Docet n. quod, quando albedinem es conſecutus, & iam quinquageſimam mercurii partem corpori ſuo reſtituiſti eamque coagulaſti, oporteat te eandem albedinem ſeu album puluerem ſublimare. Hoc fit ſublimatione non per diſtantiam, ſed per virtutem. Tunc itaque adminiſtra ignem validum, qui eſt gradus tertii, quo aliâs res ſublimari ſolent. Huius ignis ope puluis ille efficietur niueus; & hoc ſemel fit in primo opere, ſemel in ſecundo, in quo, ſicut aliâs Mercurius cum ſale & chalcantho ſublimatus crebra ſublimatione figitur, & manet in fundo, ita & hic lapis albus in ſecundo opere longè euadit conſtantior conſueſcitque in igne manere. Ita ſublimatus ſeu exaltatus vocatur cinis cinerum (albiſſimus ſeu præſtantiſſimus cinis) terra alba foliata, ſulphur album, quod purgat argentum, eſtque opus ad lunam. Si quæ feces ab iſta ſublimatione, ſeu vſtione manent, eæ ſunt abiiciendæ; quod quidem etiam iuxta literam poteſt ita eſſe, prout laboraueris; ſed tamen & myſticum ſenſum habet, quaſi iam perfectum ſit

Terra foliata. Cap. 13. dicitur etiam oleum.

ſit Elyxir ad album, quod præterea non egeat repetitione tali. Supereſt tamen fermentum, de quo cap. 19. Nam colligendus hic lapis eſt magna diligentia, & ſeruandus cautè, ne eius virtus, antequam figatur fermento, euaneſcat, quod cap. 13. etiam de oleo erat dictum. Notare debes ex Lullio, quod hoc Elyxir ad album poſſis multiplicare, & cum argento in corpus reducere. Tunc autem habet nomen minoris operis, ſi nimirum duntaxat cum mercurio lunæ & argento hydrargyroque eſt paratum.

CAP. XVII. DE SVLPHVRE albo in rubeum vertendo.

DIGRESSIO hic eſt ad alterum particulare, ſeu opus minus rubeum, quod ſcilicet eodem modo poſſis cum mercurio ſolis & calce auri operari ad rubeum, ſicut cum mercurio lunæ & argento foliato ad album hactenus feciſti (quanquam maioris operis praxi magis propoſita: quandoquidē vt monui in paraphraſi, vtrumque opus indicatum eſt.) Id autem in arbitrio artificis eſt. Itaque ait, ſi PLACET ad ſolem ſulphur rubeum conficere. Praxis hæc eſt: Sulphur album in aqua rubea ſolue per contritionem. (quæ non fit manu, ſed cum mercurius percurrit penetratque corpus & id corrodit reſoluitque, vt inde emergat puluerulenta nigredo, dicitur con-

Lullius reducit ſulphur album in mercurium. Deinde

contritio ex similitudine effecti.) Quæ soluta sunt, coniunge postliminio per imbibitionem, vt dictum est capite XV. Ita coque lento gradu, fietque lapis coagulatus. Hunc solue iterum mercurio solari, & coagula in lapidem sicut antè. Repete idem tertiò, & ad vltimum præbe ignem fortem. Nam prioribus duabus coagulationibus substitisti in albo colore vel puluere; sed tertia coagulatione postquam huc peruenisti, dandus est gradus quartus ignis, & fiet lapis rubeus, qui vocatur ignis. Albus lapis mystico sermone dicitur sublimari, rubeus autem in fundo esse, quia ille præcedit, hic sequitur, sicut & verba hæc volunt: *Non opus est, vt extrahas rubedinem; sed coque lapidem, donec rubescat.* Quia enim ille constat ex sulphure albo, hoc est, minera alba Lulliana, seu calce viua alba resoluta, & mercurio solari, quæ est aqua rubea, albescit quidem tertio gradu, sed occultatam in se gerit rubedinem, quæ producitur sola coctionis perseuerantia in gradu ignis valido. Nota obiter, quia hæc præceptio planè conuenit cum Lulliana, quæ capite VII. Clauiculæ exponitur, eo plus ei confidendum esse. Deinde cum opus album ab opere rubeo non differat, nisi gradu vltimo, colore & fermento; quæ dicta sunt de rubeo, eadem secundum analogiam etiam de albo accipienda esse, cuius praxin hactenus tàm exactè non docuit. In minore ergo opere ad album mate-

addit amalgama ex auro & hydrargyro. Sed si ex sole feceris aquam viscosam, & hanc hydrargyro puro miscueris; deinde sulphur album seu lapidem lunarem addideris, etiã assequeris finem.

Ex huius capitis perspicuitate venanda est sententia operis albi obscurius indicati.

materia tibi erit Mercurius Lunæ & argentum foliatum cum hydrargyro puro. Hæc commiſta ſoluenda ſunt, & coagulanda tertiùm, quanquam augmentatio ſit in tuo arbitratu. Vtriuſque vſus eſt, vt Lullius declarauit, partem cum argento reducere, antecedente augmento per hydrargyrum. Reliquũ augere ad libitum, & partem etiam pro fermento operis maioris aliasque eius neceſſitates reſeruare.

Minus opus album.

Tingit Mercurium (inquit) *in aurum album*; quod ego ex Lullio intelligo de augmento. Si adiecto auro reduxeris; iam ſuum colorem aureum recuperabit. Scito ab aliquibus hanc rem nominari Lunam veram fixã; & ei colorem aureum induci per tincturam auri cæmento, aut aqua regia extractam, ſicut ſuo loco audiuiſti in Alchymia, quanquam non ignorem Quercetanum & alios corpus album, quod à tinctura extracta reſtat, eodem nuncupare nomine. Notabis & hoc, quod hoc capite opus minus Thomæ de Aquino contineatur, propoſita triplici operatione: Potes itaque conferre ſententias.

Luna vera fixa tinctura auri rubificanda.

CAP. XVI. LIB. II. CVR terra ſublimetur.

Hoc caput potiſſimũ habet pręcepta de ſublimatione obſeruãda. I. Eſt de ſublimationis

Sublimatio eſt duplex 1. Mercu. quã purga-

tur. 2. Corporum cum Merc. quæ est physica praxis solutionis & coagulationis. Est & tertia, quanquam subtiliratione posſint fieri plures.

nis terræ cauſa quam ait eſſe finem, & poſſeſſionem veræ tincturæ, qua imperfecta mutentur in aurum & argentum. Quidam ideo reuerberante igne colorari lapides, album ſcilicet, & rubeum voluerunt, vt per colores inductitios hominibus imponatur. Negat hoc autor, & opponit neceſſitatem huius ſublimationis, quod ſcilicet ea exaltatione nō tantum color, ſed & virtus fiat ſublimior, ipſeque lapis conſtantior, vt tandem tranſmutationi inſeruiat. II. Docet de ſublimatione quarum ſit rerum, nempe aut ſolius mercurii per ſe, aut mercurii cum corporibus. Cum per ſe ſublimatur, adhuc ſpiritus eſt, & vt fiat ſubtilior ita elaboratur: cum vero adiectis corporibus, vnionis gratia in ſublime agitur, nempe, vt illis perfectè vnitus corpora ſecum ſublimet, faciatque volatilia, id quod omninò in magiſterio hoc requiritur, nempe, vt corpora migrent ſeu vertantur in ſpiritus, ſeu fiant ſpiritualia, & reducantur in primam materiam, quo tandem coniungi poſſint hæc tria, ſcilicet ſol, luna & mercurius. III. Coniunctio corporum cum mercurio non fit ſine præparatione. Nam mercurius ſublimatione eſt purgandus, vt capite 3. eſt dictum; corpora vero in calcem redigenda, vt capite eodē item eſt expoſitum. Niſi enim calcinentur, non iungitur eis mercurius (quanquam caput tertium volebat ob difficultatem & ſecuritatem maiorem potius corpora groſſa aqua ſol-

Nota bené ☉ ☽ & ☿ coniungenda.

ſoluenda eſſe.) Modus vnionis eſt, vt calx teratur cum mercurio, donec ex duobus fiat vnum, quod certè ſecundum artem ante ſolutionem, quæ eſt tritio Philoſophica, non perficitur. Ita enim vniuntur mercurii indiſſolubiliter, & poſtea in coagulatione hydrargyrus vulgaris iunctus hydrargyro corporis recipitur in communionem ſubſtantiæ metallicæ, cui poſtea inuectus eſt motus ad perfectionem vlteriorem, quæ aliâs ſine mercurio crudo non poterat obtineri. Nam mutuas ſibi præſtant duo mercurii; crudus reuocat coagulatum ad primam materiam; coagulatus viciſſim illi donat qualitatem & diſpoſitionem metallarem. IIII. Vt autem corpora ſublimentur cum mercurio, non tantum ſolutione iſta opus eſt, ſed & imbibitione, & incorporatione. Ita enim tandem vtrumquè extolletur, nec alterum deſeret alterum. Vnde corpora ſunt leuia & fugacia reddenda quantum fieri poteſt, vt ſpiritualem induant naturam, & vires validas ad penetrandum immutandumque acquirant, quę eſt vera ſublimatio eorum. Obiter dico principium huius inuenti. Viderunt artifices mercurium miſceri metallis, & ea colorare, ſed non manere conſtanter in igni. Voluerunt eum figere; ſed fruſtrà abſque corporibus perfectis. Neque vero etiam colorem certum retinere potuit. Putauerunt ergo, ſi vniretur illis corporibus, poſſe eum non tantum figi,

Nota, cur ſoluantur prius, & poſtea iterum copulentur.

Exponitur ratio ſublimationis cum corporibus.

Vide cap. 4. de ſec. Al. Thomæ ad Reinaldum.

&iungi imperfectis, sed & colore perfectorũ donari, quem postea communicaret imperfectis. Factum ergo periculum est per amalgamationes, sublimationes vulgares, & alias vias, sed temerè, donec inuenta ars est, resoluendi corpora in mercurialem substantiam, seu aquam viscosam, quæ amice suscipit mercurium, & vnà manet, donatque ei omnia, quæ voto suo exoptabant artifices. Nam eum coagulat secum, & ad excellentiã auri argentique perducit, mercurio interim non ingrato. Nam, vt dixi, caussa est, vt auri & argenti sulphur queat ad eam sublimitatem perduci, quæ superat naturam tingendo, & transmutando. Ita vides, quod non temerè & fortuitò operati sint artifices, sed ipsa rerum natura quasi manu ducti, & quod nihil debeat in hac arte, quod quidem eius est, præter hyperbolas nõ nullas, susq; deq; ferri, aut quasi ἄλογον rideri, cum ex naturæ principiis sit extructa. Sed hæc obiter. V. Triplex sublimatio est in mysterio lapidis, & triplex quoque eius caussa. Prima sublimatio est, qua corpus fit volatile, seu in mercurium, & mercurialem naturam vertitur, in qua licet per distantiam eleuari possit, tamen hæc eleuatio non administratur: Secunda est Mercurii cum calce vnio, qua iterum non in altum loci vehitur res, sed per solutiones & imbibitiones hydrargyrus nobilitatur, vt iam dignitates aliquas corporeas sortiatur. Tertia sublimatio est alteratio

Tres sublimationes.

ratio in colore & fixione. Nam postquam coagulata res est, vtitur igni vberiore quousque albedinem vel rubedinem debitam cum constantia acquirat; ita sunt tres sublimationes, & intentiones in opere, solutio, coagulatio & fixio seu sublimatio etiam in specie dicta, vel vstio ad colorem debitum. VI. Sed quales illæ calces debent esse? Duæ sunt calces, vna luna, altera solis; illa albet, hæc rubet. Illa dicitur terra alba foliata, hæc ignis. Lullius illã vocat minerã suã albam & calcem viuam albam; hanc mineram & calcem viuam rubeam. VII. Qualis mercurius? Rubeus, si ab aqua est calefactus. Hoc mysticum est. Mercurius ab aqua rubea, seu mercurio solari calefactus non rubet actu, nisi cum coagulatus est, & sublimatus vstione ignis. Et licet in albo opere non requiratur nisi albus, tamen potest fieri rubeus, si aqua rubea soluatur & cum eadem coaguletur vraturque. VIII. Quæ nam res ad opus ex natura desiderantur? Nemo viuentium potest operari, nisi ad solem, & lunam. Ex fine colligitur principium. Et cum hæ duæ res non sint miscendæ: non enim facimus aliquod tertium vel medium inter aurum & argentum: facilè apparet, duo esse opera, album & rubeum, tam minora quam maiora, quamuis hæc tantum differant fermento. Itaq; & albus mercurius albo debetur, rubeus rubeo, citra confusionem. Nam color

Calces.

Mercurius.

Scopus artis.

Opera duo.

auri non facit ad argentum & contrà. IX. Quod ſublimatum eſt, non remiſce cum eo, quod in ſublimatorii fundo manſit; ſed hoc denuo ſublima, & incorpora cum mercurio, donec aſſurgat & ſublimetur tota materia. Hoc præceptum videtur repugnare cap. 16. vbi dicitur cum fecibus figi pars pulueris fixa; item cum 12. vbi feces olei colligendæ & igni iungendæ; & aliâs feces fixæ tandem figunt volaticam partem, & ſecum retinent. Cap. 25. quod adhæret lateribus vaſis, reduc ſuper feces ſuas cum mediocri parte aquæ ſuæ idq; tàm ſæpè, donec maneat. Hæc quoque diſſentiunt verbis. Vide & cap. 27. Sed allegoria eſt. Nam poſtquam perueniſti ad perfectam albedinem ceſſare quidem hic potes, & ad vſum tranſire; ſed tamen, quia lapis albus poteſt tandem rubefieri, pars eius vlterius coquenda eſt, id quod non fit citra mercurium rubeum qui ſoluendi gratia adiicitur, vt poſtea per coagulationem & fixionem completam lapidem efficias rubrum, vt capite 17. dictum eſt. Eſt & alia ſententia, quæ vetat lapidem incompletum completo miſcere; quia incompletus ſoluendus & coagulandus exaltanduſque ſimiliter eſt, quouſque attingas totius materiæ complementum, & quantitatem iuſtam. In fundo manere iuxta phraſin huius artis eſt vel in potentia eſſe vlteriore, vt, cum rubeus lapis dicitur eſſe in fundo, albus vero ſublimatus, cap. 17. Vel adhuc imperfectum eſſe

In fundo manere.

esse planè & crudum. Hinc in fundo nonnunquam existentia iubentur negligi, id est, vel cessandum docetur, nec vltra progrediendũ; vel cruda & refractaria, quæ respuunt elaborationem, negligenda. X. De vase notandum est, quod Alembicus cucurbitæ in sublimatione quàm arctissimè iungendus sit, ne vlla fugæ occasio detur mercurio. Hoc præceptũ est de vitro Hermeticè claudendo ex similitudine dispositionis sublimatoriæ. At in hoc opere Alembicus nullus est, nisi imaginarius, sed viola, vel vitrum geranii globosum, cuius collum longum, angustum colliquatione Hermetica solidandum est. Ex his patet, hoc caput peculiariter destinatum esse toti processui sublimationis, & q. summa vna repræsentare regiminis tertii obseruationes. Nam, si quæris de materia artis, mercurium, & calcem duplicem cognoscis; si de horum vnione, & digestione, audis dē solutione, coagulatione, & sublimatione seu vstione: Si de operis ratione quota; duplex percipis, album & rubeum, quibus inseruit propria materia, illi Mercu. lunaris & calx alba: huic Mercu. solaris & calx rubea, idque absque confusione & mistura. Si finem expetis, & scopum artis, aurum & argentum artis ope factum discis: si tandem etiam de vasorum dispositione certior fieri satagis; Hermeticam sphæram, cum signatura Hermetica accipis: Et hæc omnia licet reductioni nominatim de-

Summa regiminis tertii.

clarandæ ſummatim ſint deſtinata; tamen ferè per totam valent artem, in qua audiuiſti repetitiones quidem fieri, ſed non diuerſorum modorum, niſi quod ſui articuli requirunt ſua additamenta & complementa; aliâs omninò nihil facis aliud quàm ſoluere & coagulare, in quibus nonnulli gradus & diſpoſitiones accipiunt peculiaria nomina.

DE QVARTO REGIMINE, quod eſt figere.

CAP. XIX. LIB. II. De fermentatione.

POSTQVAM ſoluit, abluit, & ſublimauit; ordo operis requirit, vt tota eſſentia hactenus parata, fixionem virtutis & corporis accipiat. Certum enim eſt, eam hactenus per ſublimationem phyſicam coniunctis partibus omnibus ad vnum redactam eſſe. Sed quod ſemel impulſum eſt, & volaticum factum, id non ceſſat in poſterum volare, niſi præciſis alis, ſicut liquidò conſpicimus in oleo ſuccini, Guaiaci, Iuniperi & ſimilibus aëreis & ſubtilibus valde. Requiritur ergo regimen quartum, in quo ſubſtantia affigitur, & virtus ei cum ſuo ſpiritu ita connectitur, vt conſumi amplius nequeant. Quin & ad vnam naturam reducitur lapis, & cer-

certam tincturam stabilemque. Vocatur fixio, sed per fermentationem, hoc est, per corpus fixum. Nam mercurius non figitur, nisi cum odore corporis sui, vt aiunt; nec aqua permanens potest esse permanens absque sole vel luna. Docetur itaque praxis in genere hoc modo. Mercurius sublimatus albefactus (hoc est, lapis albus, qui & Elyxir commune album) figendus est, ne diuaporet, sed vt duret in igni, aliâs totus labor fuisset remerarius; quin & partes eius non desinunt in se mutuo agere, seque destruere, nisi prohibeantur fixione.

Alia fixio est in clauiculæ cap. 10. Hæc nostræ respondet cap. 9. in albo opere.

Causæ fixionis.

Hæc fit per fermentum, quod est duplex, solis & lunæ, illud ad solem, vel ad rubeum; hoc ad lunam vel ad album. Non sunt plura fermenta his duobus; nec potest institui fixio, nisi per fixum; nec sine sole & luna vllam fermentationem assequeris. Intellige vero per solem corpus solare, seu aurum laminatum, aut calcinatum; per lunam, corpus lunare, vel argentum calcinatum, aut in folia extensum, quanquam Lullius fermentet per calcem viuam albam, & rubeam, ibi ad ALBVM, hic ad rubeum cap. 9. & 11. clauiculæ. Non potes permutare fermenta, & ALBVM rubeo iungere; quia id corpus est fermentum, cum quo lapis est paratus ab initio; & debet fermentũ massæ essentiale esse. Ita etiam gignent rem

Duo tantũ fermenta.

☉ & ☽ sunt corpora, cum quibus lapides sunt præparati.

ſibi conformem, nempe Medicinam auream ex auro, argenteam ex argento, quæ etiam Elyxir vocatur. Miſce ergo corpus cum ſulphure, vt omnia fiant fermentum. Modum ſpecialem leges cap. 25. Nam miſtionis ratio eſt, vt ex corpore & hydrargyro facias malagma idque iungas Elyxiri nondum fixo; & poſtea affuſo Mercurio ſuo ordine ſoluas & coagules. Nec fruſtrà dictũ eſt omnia fieri fermentum. Nam illud Elyxir tantam vim habet, vt poſtea millecuplum corporis vel mercurii iterum fermentet, & in Medicinam vertat. Ita fermentum ſulphur ſeu lapidem non fixum alligat quaſi, & diſponit ad naturam certam, nimirum auream, ſi fuit aurum, argenteam ſi fuit argentum, cum prius mercuriali ingenio ancipitem haberet ad quæuis metalla dependentiam. Hinc & accipit colorem iſtius metalli & qualitates cæteras. Vnde poſtea lapis ruber nihil facit niſi aurum, albus nil niſi argentum.

Lullius paulo aliter agit.

CAP. XX. LIB. II. DE PONDERE FERMENTI.

DE pondere agitur hoc capite 20. item 22. & 24. & quibuſdam aliis, nominatimque de fermento non vnũ planè eſt præceptũ. cap. 20. dicitur fermenti pondus debere excedere pond⁹ ſulphuris fermẽtandi. cap. 24. fermentũ

æquatur augmento: Ibid. si sulphuris vnum pondus est, tria sint fermenti in albo opere, cap. 27. fit mentio sulphuris rubei iam fixi & calcinati cum triplo fermenti sui. Sed hæc & aliæ perplexitates discutientur, si considera-ueris dictum cap. præcedentis hoc: Si vis fermentare, misce corpus cum sulphure, vt omnia fiant fermentum. Cur omnia debeant fieri fermentum, ratio redditur cap. 20. quia summa fixi debet superare summam volatilis, quod nisi fit, quia totum sequitur naturam eius, cuius virtus præpollet, totum euadit volatile, & ad tingendum inutile. Debet itaque plane excellere fermentum. Sed cum hoc corpus sit, res autem fermentanda, sulphur: facilè apparet plus corporis esse debere, quam sulphuris, ita, vt huius parum proiiciatur super illius multum, fietque ex corpore puluis sui caloris vi istius sulphuris. Ille puluis postea iterum proiicitur super mercurium Solis vel Lunæ, pro vt fuit lapis rubeus vel albus. Hæc ille de pondere fermenti, sed peruersè. Nam vocat omnia fermentum, quæ ex fermentatione fiunt; deinde Medic. ex proiectione lapidis iam fermentati super corpus perfectum natam, eodem ornat titulo. Vnum itaque fermentum est corpus; aliud est, quod ex corpore & sulphure procreatur; tertium, quod conficitur ex proiectione lapidis super corpus, quã alii vocant Medicinam. Si iam instituas supputationem & collationem quantitatis huius

Omnia fermentum.

Medicinæ, cum Elyxire nondum fermentato, certè apparebit, quod plus millecuplo excedat fermentum, vt ille appellat. Potissimum autem ista intelligenda sunt de opere maiore. Nam in minore indicat Lullius vnciam vnam Lunæ satis esse ad trientem calcis multiplicatæ albæ. Nota etiam, quod prima fermentatio sit omissa, & demum cap. 25. posita. Solent enim autores prisci hoc magisterium propter dignitatem maximè cælare. Sed videamus & reliqua huius capitis. Quo pacto fermentatio sit instituenda, & quo mediante, docet his verbis: inter sulphura & fermenta (duo sunt vtrobique album, & rubeum) in quauis dispositione aqua intercedit: quia sine hac sulphur non ingreditur corpus. Sume ergo ad album lapidem (nam discrepans ratio est albi & rubei) principio fermentum; (terram iungit fermento vt ait cap. 24. & vtrumque simul accipit nomen terræ.) Deinde appone aquam eã, quę est terræ vicina, seu symbolum habet cum terra, vt & in elementis mundi, vbi terra & aqua conueniunt frigore & in vno globo coëunt: tertiò aerem submitte, quia is naturaliter sequitur aquam: hoc est: procede, vt in omni opere: Fermentum seu corpus argenti funde, fuso immisce sulphur album non fixum; Deinde solue vtrumque simul per mercurium, vt nigredo exeat; Tandem coagula & reuerbera vsque ad albedinem. Ita aquam infudisti. Repete opus, & aërem submisisti. Iam enim satis super-

Cap. 6. clauic.

Modus fermentandi.

ſuperque audiuiſti quomodo accipiendus ſit ille ſpecioſus elementorum prętextus. Album Elyxir, porro addit, contentum eſt aëre aqua, terra, nec eget igni. Quorſum hoc? nēpe ignis eſt exaltatio ad Elyxir rubeum. At album intra hunc terminum ſubſiſtit. Recte ergo nō eget igni: Collige hinc quoque verā interpretationem famoſorum elementorum. Coniuncta ſolue in vaſe benè concluſo, ablue, ſicca.) Interpreratur ipſe illam rationem elementariā per ſolutionē, coagulationem ſub qua eſt ablutio, & ſiccationem, h. e. in lapidem ſiccum mutationem, vnde quod fit vocatur terra. In opere rubeo pergendum eſt, donec & ignem aſſequaris, h. e. colorem rubrum, qui eſt igneæ virtutis iudex procures. Quid autem ſibi vult, quod eandem praxin tàm ſtudioſe inculcet, & repetat? *Aqua*, inquit, *eſt medium coniungens tincturas, medium nimirū olei, aëris, & ignis. Si inuertis ordinē, nihil proficit. Sume primo loco aquam, quam primum fige in terra. Sicut extraxiſti elemēta deſtillatione, ita ſunt reconiungenda & imbibenda, niſi quod puriora oporteat eſſe quam prius. Debet vnum Elementum tantum de anima habere (de fermento) quantū alterū, vt fiant puluis calcinatus, ſolutus coagulatus*. Certè monet, ne prius coagules, quam ſoluas, & prius calcines ad rubrum, quam perueneris ad album. Hic ordo eſt natiuus: Soluere, vbi eſt nigredo, coagulare, vbi apparet oleum; ſiccare ſeu calcinare, vbi puluis exiſtit albus, qui & dicitur ſublimatione factus eſſe, & tandem rubefacere.

Elyxir albū non eget igni, hoc eſt, ſubſiſtit in albedine.

Praxis fermentationis.

Aqua.

Eo-

Eodem modo etiam in deſtillatione Elementa proliciebas ſoluendo, coagulando, ſublimando ad album, & reuerberando ſeu calcinando ad rubrum. Differentia tamen eſt; nam hic elementa ſunt ſubtiliora, pollentiora virtute, & nobiliora.

Æquat fermentum omnibus. Nam tantum ſemel in principio ſolutionis fermentum imponitur, cuius quantitas poſtea non augetur, niſi quod tandem tota maſſa euadat fermentum. Debet autem hoc probè præparatum eſſe, aliâs ineptum eſt ad hoc negotium. Qualis ſit præparatio, diuerſorum diuerſa eſt opinio. Alii aurum & argentum per antimonium, & cineritium ad purum excoquunt, poſtea dilatant in bracteas tenuiſſimas. Alii depurata eliquant, & lapidem ordine immergunt. Tertii colorem ſeu tincturam pro fermento habent: alii cæmentatum aurum vſque ad rubicundiſſimum: alii calcem, &c. Lullius ad album mineram ſuam albam, ad rubrum mineram rubram poſtulat, à cuius iudicio nõ eſt temere diſcedendum.

Diuerſa ratio fermentandi.

CAP. XXI. LIB. II. De vtilitate huius operis.

Proiectio.

DE proiectione duplici hic agitur: vna ſuper corpus proprium, vt fiat Medicina; altera ſuper corpus vel hydrargyrum tranſmutandum. Antequam autem ſuſcipiatur pro-

proiectio, iubet lapidem fermentatum bis aut ter multiplicare, vt fiat eo nobilior virtute. Hę multiplicationes nihil sunt aliud, quam fixiones Lullianæ cap. 10. Clauiculæ, & peraguntur soluendo, coagulandoque planè vt in cæteris operibus. Materia soluens vel est hydrargyrus vulgaris purgatus, vel Mercurius corporum; vel aqua aut oleum, seu item Mercurius ex Elyxiris coctione ante fermentationẽ reseruatus. Hinc fit puluis sublimior. Quanto sæpius corpus sublimas, ait, misto spiritu sublimato (oleoso mercurio) tanto sæpius in tingendo accipis mille partes? Et quo magis exaltas corpus, eo plus habes in tinctura. Ita præexaltato Elyxire, matrimonium instituere potes, albi scilicet Elyxiris cum argento, rubei cum auro, quæ corpora cum fermento (fermẽtato & exaltato Elyxire) sunt miscenda. Tũc vnam partem poteris proiicere super mille, sicut & corporis ad fermentatum Elyxir fuerunt mille partes, &c. Sed hæc sat diligenter in Lullianis sunt exposita. Quod autem ait, *Quod proijcere potes super centum, id etiam potes super mille, & mille super centena millia, quæ super millies millia, vsque in infinitum*: hoc perinde sonat, ac si de multiplicatione Elyxiris fermentati loqueretur. Nam huius vna pars primum multiplicatur cum centenis Mercurii, fitque Medicina centupla: Huius iterum partes singulæ ex centuplo mercurio Medicinam faciunt, vt si omnes multiplices, iã habeas 10000.

qua-

Vide c. 26. vbi vna pars vertit hydrargyri 1000. & huius iterum vna corporis imperfecti 1000. Ita cap. 27. sed 28. si primũ tinxit 100. partes secundo tinget 1000. tertio 10000. quarto 1000000. quinto 10000000.

quarum pars vna tingit centuplum mercuriũ in metallum album aut rubeum pro natura Medicinæ, vnde fierent 100000. partes. Sed memineris varietatem hic esse. Alii enim proiiciunt prius super corporis proprii mille partes; alii super mercurii corporei, &c. Est & alia ratio minorum operum, de quibus suo loco. Simplicior sensus est, quod, quam partem ante repetitam exaltationem vix proiicere potuisses super centenas; eam vbi exaltaueris labore repetito liceat super mille; & hanc iterum post exaltationem super centies mille; hinc iterum super millies mille, atque ita in infinitum, si tamen semper noua antecesserit multiplicatio, sed cum mercurio Solari vel Lunari. Difficile enim est creditu hanc amplificationem in infinitum tendere, cum virtus lapidis sit finita, nisi pro vulgari hydrargyro substituatur hydrargytus Solis vel Lunæ, aut saltem horum malagmata.

CAP. XXII. LIB. II. DE mensura & pondere cuiusque.

DIMETITVR pondera ex ratione qualitatum Elementarium, vt scias, quantum mercurii debeas vsurpare in soluendo coagulandoque lapide secundum quoslibet eius articulos. Verba autem sunt facilia intellectu, si notum habes, quod, quo siccior & fortior est lapis, eo plus aquæ possit euincere; quo humidior,

dior, & imbecillior, eo minus. Audiuisti vero, quod semper fiat eo fortior, quo sæpius repetitis solutionibus & coagulationibus exaltatur. Ita de imbibendo præcepta cap. XV. cognouimus: & plura cap. 24. ponétur. Nunc potissimum de fermentati lapidis multiplicatione secundum pondera mercurii seu aquæ & aëris verba fieri intelligamus. *Scire debes*, inquit, *Si vis præparare lapidem nostrum quantum aquæ, aëris, terræ, ignis, contineat*, id est, *quam vicinus sit perfectioni, aut minus*; Item, *quam humidus, aut siccus, fixus aut non fixus. Si calcinatus fuerit* (quod fit tum initio cum nigredo separata vritur, vt mox coagulationi seruiat, tum, quando iam omnis aqua mercurii in coagulatione imbibita est, & nihil superest, nisi vt igni acriori exiccetur & colorem album, aut rubrum acquirat, secundum ordinem operum.) *Valde siccus est, & calidus: minimum vero inest frigidi humidi:* (Ergo, collige, plus potest mercurii assumere, plus etiam requiritur ad eius solutioné.) *Cum præparatur, inest ei maximus calor, & minima siccitas, magna humiditas, parua frigiditas* (ante perfectionem & calcinationem dum coagulationi subest, &c.) *Debes itaque scire quantum in quolibet regimine* (solutione, ablutione, seu coagulatione, reductione, & fixione) *amiserit. Cum solutus fuerit, accipit magnam siccitatem, relicta parua humiditate, minore calore* (videntur hæc impossibilia. Nam cum soluitur, humidissimus est, non siccissimus; & tunc etiam

I. Regimen, solutio. Cap. 23. solutio vertit in naturam humidam.

calor

calor balnei est adhibendus. Si tamen post solutionem absoluitur, siccus euadit, quasi necessario siccitati magnæ præmittenda sit solutio; potest & de nigro sulphure exponi.) *Cum abluitur, accipit magnam humiditatem, paruum frigus, magnum calorem, exiguam siccitatem: cum reducitur, acquirit magnam siccitatem, paruum calorem, frigus & humiditatem* (quę videntur conuenire cum solutionis qualitatibus.) *Cum figitur, summum calorem adipiscitur, magnam siccitatem, paruum humorem & frigus* (quæ dicebantur etiã de calcinatione.) *Omnino statuitur lapis à calcinatione & fixione, quibus iam est terra alba vel rubea, calidus siccus, à prædominio: post solutionem, aptus & dispositus ad siccitatem, quanquam actu sit humidus: In ablutione propter imbibitionem calidus humidus, seu aëreus: in reductione siccus, seu terreus.* Bernhardus, cum de pondere disputat, iubet considerare ignis vim in elementa & vltra elementa cætera in qualibet compositione. Is enim est actiuus intus & foris; & quo actuosior est, eo plus absumet, & digeret de mercurio. Non tamen nimium debet apponi, vt nec parum, hocque confirmatur dicto Codicis veritatis. Ex Albugasale aliud aureum suo iudicio transscribit, & ineptè reddit occultandi causa: Terrea potentia exercet suam repugnantiam pro repugnantia. Diuersitas earum est actio agentis in hac specie; hoc est, in compositione terræ & aquæ, illa resistit tantum quantum permittit vis & copia aquæ, vt ita si exuperetur

planè

II. Regimen, ablutio.

III. Remen, reductio.

IV. Regimen, fixio.

Igneus.

Aqueus.

Aereus.

Terreus.

Bernhardus de pondere.

planè nequeat aduerſari, neque quicquam in coagulando agere. Operantis actio diuerſa diuerſitatem gignit in reſiſtendo. Sed de his longe melius ſupra à noſtro autore eſt præceptum.

CAP. XXIII. LIB. II. DE erratis corrigendis.

SI non ſucceſſit ex ſententia ſecundum pręcepta artis & alicubi erratum eſt commiſſum, id quod in ingenioſiſſimo opere à dormitante facile poteſt fieri, ne totum ſit irritum, &, vt aliqui iubent, ab initio repetẽdum, fidelitas, humanitaſq; pręceptoris diſcipulo monſtrat erroris correctioné. Potiſſimum autem ſeptem in hoc cap. annotantur. Nam error cõmitti poteſt in igni, dum nimium feſtinantes prius rubefacimus quã appareat nigredo, aut albedo, quod eſt opus comburere: vel ingreſſum non procurauimus, ſeu euenit, vt Medicina ſit pertinax & refractaria, nec velit ingredi: vel non ſatis exaltata, fixa, fluxaq; eſt: vel inter tingendum nõ aſſequimur coloris gradũ: vel nimis altè tingimus: vel diuaporat Medicina, expiratq;: vel demum non liqueſcit in lamina. His omnibus diligentia & induſtria eſt occurrendum. Et primo quidem, ſi nigredo cunctatur, & anticipat rubedo vel albedo: ſcito opus eſſe ſiccius iuſto. Debes ergo humiditatem augere, affuſo plure argento viuo, & poſtea putrefactionem lege artis promouere. Scis autem nigritiem emergere calore agente

Cum prius albeſcit, quã nigrefiat.

Cum non ingreditur.

in humidum. Secundo, si ingressum non habet Medicina, solue eam in liquorem: Solue etiam id corpus, in quod vis, vt ingrediatur. Solutiones coniunge & coagula.

Solutiones hæ sunt aqua mercurialis. Vide ergo, vt ex vtroque facias mercurium. (Alii ex corpore & hydrargyro faciunt amalgama; Deinde soluunt lapidem in mercurium per aquas soluentes; & tunc coniungunt. Lullii id est artificium, qui tamen scribit non cohęrere Mercurium corporibus, nisi resolutis in Mercurium. Aliâs ad ingressum præbendum, vt loquuntur, pro tinctura corporum, millecuplum corporis perfecti iungunt, pro hydrargyri, millecuplum huius. Vide de his suprà in Lullianis.) Tertio si nõ est satis fixa, nec fluit: debet enim fluere in lamina candefacta instar ceræ: resolue eam corpus scilicet vtriusque fermenti, hoc est, lapidem fermentatum seu album, seu rubeum, & coagula sublimaque sæpius. Solutionis medium est Mercurius aqueus, & aëreus. Ita figitur, & fusionem simul nanciscitur, quin & disponitur ad ingressum facilem. Memineris tamen non totam quantitatem lapidis fermentati dissoluendam & multiplicandam esse, sed portionem pro fundamento multiplicationis, item ad sanitatem curandam esse reseruandam. Corrigitur autem ista pertinacia per solutionem, quia hæc tollit salsedinem aspredinemque sulphuris, & humiditatem natiuam lapidi infert.

Exaltatio deficiens.

fert. Ita imbibendum aqua ſolutionis ſolum corpus eſt, nihil aliud, quouſque argumento fuſionis cereæ in lamina ſuam perfectionem prodat, ingrediaturque & penetret.

Tinctura dilutior.

QVARTO, ſi non ſat tinctum eſſet à Medicina proiecta metallum imperfectum: funde id in catino, & plus adde pulueris. Aliqui hoc explorant, ante quam refrigeſcat immiſſo bacillo ferreo, & particula, extracta, vt in Lullianis expoſui. Quinto ſi (quod tantum in rubeo fieri poteſt) nimis alte tinctum eſſet metallum, quod item potes in fuſione diiudicare, auge corpus metallicum. Sexto, ſi expiraret Medicina, ſeu fumigaret ſuper lamina, autor hic iubet inſtillare de oleo. Reuera cum ſit humidior iuſto, reponenda ad figendum eſt, caloreque abundantiore diuturnius, non nimis tamen, excoquenda. Septimo, ſi non fluit ſuper lamina, ſiccior eſt æquo, Itaque vt & Lullius ſcribit, ſuccurrendum ei eſt inſtillato guttatim mercurio aëreo ſeu oleoſo, idque ſuper igni in catino, donec liqueſcat inſtar ceræ. Addit Roſarius, cum ita inſtillas miſces magis cum re frigida ſicca, quam cum calida leui. Terreæ enim contumaciæ ob frigus & ſiccitatem comparatur ille lapis refractarius. Iubet autem benè attẽdere dictis, quandoquidem tinctura huius operis de inſtillatione iaceat in natura.

Tinctura altior.

Expiratio. Vide c. 26.

Cum eſt refractaria in fluxu ſuper lamina.

CAP. XXIV. LIB. II. De ponderibus inter figendum.

IDEM hic propoſitum eſt quod cap. 20. Primum in genere de pondere ex elementorũ comparatione pręcipit; poſtea ſigillatim de opere albo, & rubeo. In genere traduntur quædam regulæ I. Ponderandæ res ſunt, ne peccetur exceſſu, aut defectu. Plærunque pondus ad virtutem, non ad ſtateram ſumitur, quanquã aliqui etiam trutina vtantur. II. Non eſt ordo inuertendus, nec primis vltima anteponenda. Quæ pondera initio requiruntur, ea tunc adaptanda; quæ poſterius, poſterius. Non potes pondus coagulationis ſumere pro pondere ſolutionis. III. Oportet conſtantem eſſe in vna via, & à vero modo operandi non diſcedere. Vetat ventoſitatem, & verſutiam ingeniorum, quæ facilè relicto vno tranſeunt ad aliud. Vna fixandi via eſt, quæ certum pondus habet. Ab hac non eſt deflectendum. Obiter indicat modum operationis non differre à cæteris, cum & hîc ſolutione, & coagulatione conſtet, & proinde pondera ſecundum has diſcernat. IV. Tantum tria habes in lapide: Solem, Lunam & Mercurium. In his operare. Magna pars mutabilitatis in hoc cõſiſtit, quod imperiti, cum non ſtatim omnia ex voto eueniunt, repudient veram materiam & artis ſubiectum, volitentque ad alia peregrina. Iubet ergo Roſarius à Sole, Luna & Mercurio, quæ tantum ſunt in arte, non declinare. Et vt iſta in cæte-

Ponderum ratio.

Attentio in praxi & conſtantia.

Tria in lapide.

cæteris magni operis partibus obſeruantur, ita & in fixatione, & ponderis modo. V. Pondus eſt vniforme, vt & menſura, & operatio. Quæ regulæ datæ ſunt cap. 20. & 15. de pondere; eæ etiam hic valent. Operatio enim eſt eadem. VI. Diligenter attende in compoſitione Elyxiris, quantum ſumendum aëris, ignis, aquæ, terræ. Hoc maximum ſecretum eſt. *Fermentum coniunctum ſulphuri*, (inquit paulo infrà) *nomen terræ acquirit; & quæ grauia fixaq; ſunt in Elyxire, nomen terræ tribuunt.* Cogitabis iam quantum facere velis lapidem fermentatum, & iuxta hanc ſummam inſtituere opus tuum, proq; eo ſumere aquam & aërem, h.e. mercurium in ſolutione, & coagulatione. Si plus terræ ſit quam aquæ, anima perit, & vis fermenti, non enim poteſt iuſte coqui & ſolui, ſed anteuertit ſiccitas impeditque nigredinem. Si plus aquæ & minus terræ, nõ poteſt lapis ad debitã ſiccitatem & fixionem peruenire. Ita eſt de aëre. Nimium aëris, ſeu mercurii oleoſi coagulationem peruertit. Minor vero copia, colorem impedit, nec perducit ad celſitatem expetitam. Ita, ſi nimio igni aduras, aut paruo nimis inquines, peccas, quanq̃ hoc non in albo, ſed rubeo opere ſit attendendum. VII. Fermẽtum æquale eſt cũ augmento in compoſitione Elyxiris. Quantum corporis in augendo additur, tantum in fermentando. Ita verba ſonant. Sed malim intelligere de praxi, quod fermentationis, & augmẽtationis negotium ſit idem.

Elementa.

Lul. opus fermẽtationis in albo, appellat multiplicationem c. 9. clau. Vide tamen, ne minus opus ſubintelligat, vbi æquale eſt corpus Elyxiris, & mercurii ſecundum aliquos. 8. Fermẽtum cõiunctum ſulphuri, acquirit nomẽ terræ: quæ ſublimantur, & figuntur, obtinẽt nomen aëris & aquæ. Nimirum, id eſt, quod ſępè iam dictum eſt: ſublimata dicũtur terra, ſi ſunt alba; ſi rubea, ignis: ſublimanda vero ſunt aër & aqua, quia ad coagulationẽ tẽdunt. Hęc adęo in genere. In ſpecie primum de albo opere ſeu Elyxire hæc habet: Terra debet in albo exſuperare; aliâs ſpiritus nõ figitur, ſed expirat. Bene figi & vri debere lapidem album coagulatum ait, ne in lamina & proiectione euaporet. Huius remedium poſitum eſt cap. præcedente. 2. Si aëris pondus pondus vnum eſt, vt ſi eſſet pars vna minus parte quarta, fermẽtum, ſeu terra, ſeu album ſulphur trib. partibus ſumatur. Hæc eſſet proportio drachmarum triũ ad duodecim. Debebat potius ad fermenti lapidiſq; rationẽ ſumi aër ſeu Mercurius aëreus, ſed attende, quod in coagulatione hunc modum obſeruare debeas, vt ſiccitas corporis, per quod coagulamus, ſit quadrupla ad humiditatem aut ferè tripla. Nam debet excellere ſiccitas, & humiditatem vincere. 3. Si ſulphuris albi (Elyxiris incompleti) vnum pondus eſt; tria debent eſſe fermenti. De pondere fermenti cap. 20. dictum eſt. Ego malim ad virtutem referre. Apud nullum enim

Nota expoſitionem nominum Elementoruur.

De albo Elyxire.

Confer hæc cum cap. 25.

nim autorem inuenio corpoream quantitatem fermenti tantam, nec ipsa natura concedit, vt notum est ex massis frumentaceis & aliis fermētandis. Vel intellige sic: cum dixerit fermentum & terram esse vnum & idem: lapis iam factus & fermentatus, erit fermentū, idque in pondere triplum respectu Elyxiris seu albi sulphuris, ad quod initio sumtum erat. Per consequens in principio sumta erit vna pars sulphuris, & vna (fortassis æqualis, pro vt fermenti natura & vis est) fermenti. Duæ residuæ ab aqua & aëre, id est, à mercurio erunt. Sin Mercurius triplam obtinet proportionem, fermentum fuerit pars media, & tantundem sulphur. Potest tamen exponi etiam ad qualitates, vt regula secunda. 4. Quantum aëris, & aquæ, tantum terræ. Æquat mercurium lapidi. Id intelligi non potest de fermentato. In minore opere multiplicando sæpius sulphur & Merc. aqualia sunt ad albū. 5. Si de terra tria pondera minus quarta parte, de aqua sunto duæ partes. Proportio est drachmarum nouem ad octo, nisi inæqualia sunt pondera, & intelligendæ corporis ℥iij. vna fermenti: & sex mercurii. Sed hæc ipsa experientia melius explicabit, nec fieri potest, vt singulorū ænigmata, & respectus, cogitationesque euoluamus. Satis declarata res est generalib. præceptis. Sequuntur præcepta de Medicina rubea figenda secundū pondera. Ea calidior est. Itaq; pōdera variant & regulariter

vbi Recip. fermenti albi partes tres; hydrargyri sex; fermenti quantum.

In Rosar. Phil. pondera ita describuntur: Opus album completur tribus elementis, in quo non est ignis, scil. tria pondera terræ, duo aquæ, vnum aeris. Ad Elyxir vero Solis mitte duo pondera terræ, tria aquæ, aeris vnum cum dimidio, & de igne, id est, fermentum rubeum.

plus hic mercurii sumendum est. Sed audiantur ænigmata. 1. *Duæ partes terræ, tres aquæ, tres aëris, duæ ignis. Pondus enim ignis medium est ponderis aquæ. Nec addas his, nec demas.*] Nisi litera deprauata est, Oedypo opus est.

Quomodo enim ignis est medium ponderis aquæ si huius tria sunt, illius duo? Reuocemus nos ad superiora, quibus dicebatur ignis calidior esse, & ob hoc plus aquæ requirere. Infrà cap. 27. audiemus fermentationem rubri Elyxiris eodem modo fieri, quo albi capiendo bracteas aureas, oleum Elyxiris seu Solis, & sulphur, ita, vt tres partes rubræ aquæ sint, &c. Lullius trientem albi lapidis fixi soluebat aqua mercuriali reseruata (mercurio ex opere Elyxiris seposito) addebatque duo pondera fermenti rubri, quæ erat calx viua rubea. Plærunque duplum est soluens ad soluendum. Hic ego dupla proportio obseruaretur. Cætera alibi indicauimus.

2. *Si occidisti aquam, reliqua elementa etiam occisa sunt.*] In coagulatione dicitur occidi mulier, quæ suos maritos deuorauit, id est, Mercurius à solutione extractus in puluerem verti. Aqua & aër huius negotii distant non re, sed ratione. Simul ergo occiduntur. Terra occidi non potest, cum prius sit mortua, & imbibitione reuocetur in vitam & recipiat animã. Ignis autem quomodo? Is est lapis ad rubrum calcinatus, & exaltatus virtute. Putemus nomen perdere elementorum. Iam enim omnia sunt

ſunt vna eſſentia cœleſtis, nec amplius Elementa.

3. *Ignis non figitur in terram. Non enim aſſumit humiditatem ſine corpore; & cum moritur in hoc corpore, ſerit fructum. Terra enim fixa eſt & retinet ſemen, & figit reſidua Elementa.*] Miræ perplexitates ex priuato autoris conſilio natæ. In fermentatione ad rubrum alba terra fermentanda ſoluitur aliâs in mercurium, & poſtea iungitur fermentum igneum, quod aliâs corpus eſt, aliâs calx rubra, &c. Corpus tamen plærumque amalgamatis ſpeciei coniungitur. Ita ſeritur in terram, ibique moritur, & inſtar grani fert fructum, non autem abſque humore. Hoc opus eſt coniunctionis ad ſolutionem. Deinde in coagulatione terra fixa retinet ſemen, nec dimittit, abitque in lapidem igneæ virtutis, & in ſe cætera Elementa, aërē & aquam fixa gerit. Eodem pertinent & hæc: Aqua frigida humida circundat terram, & continet id, quod fit in ſolutione, in qua aqua exuperat & apparet, terra latet. Continet eam, & in coagulatione, nempe, vt humiditate perfuſa repugnet ſiccitati igneæ. Illa enim aqua frigida humida ſiccum corpus imbibitur, & vnà coaleſcit. Hæc non ſunt huius operis ſpecialia, ſed ex genere repetita documenta.

4. *Quando ſiccum coniungitur humido; humidū patitur à ſicco cum ſibi coniunctis; & humiditas fluxionem quandam accipit à ſiccitate, vt firmiter*

retineat ſiccitatem, ſuſtineatq́ ignem.] Si humidum patitur à ſicco, hoc oportet excellere. Ergo opus coagulationis fixatoriæ communibus verbis deſcribitur. Inde humiditas ad terminum reuocatur, & fixionem (ita lego; non fluxionem) accipit à ſiccitate, poteſtq; ignem tolerare.

Ignis virtus.

5. *Ignis maturat compoſita, fugacia figit, rubefacit, miſcet aërem cum aqua & terra, figitq́ & cogit, vt perueniant ad ignis rubedinem, cum vltimò imbibitur Elementis.*] De vi fermenti rubei ſeu ignei, non tamen ſine externo igni diſſeritur, quæ tamen vis communis eſt etiam lapidi rubeo. Itaque poſſunt hæc verba accipi non tantùm de fixione ſeu fermentatione, ſed & augmento, vel multiplicatione. Compoſita dicuntur ad maturitatem perduci vi ignea in coagulatione, vt euadant lapis virtutis excellentis; eodem modo mercuriales liquores figuntur, & rubedinem ſortiuntur. Quid enim mirum? Aqueum enim & aëreum Elementum in coagulatione à ſiccitate ignea abſumuntur & in vnum corpus eiuſdem naturæ commutantur.

6. *Non comedas poculenta, nec eſculenta potes. Ede & bibe ordine, modeſté. Si enim ignis exuperat nimis, ſiccatur corpus. Nec parcus nec prodigus eſto. AEquale ſuumq́ pondus tribue ſingulis pro cuiuſq́ temperamento.*] Præcepta hæc quoque ſunt ex communitate repetita. In omni opere atten-

tendendum eſt, ne, cum aqua exuperare debet vt in ſolutione, ibi prædominetur ſiccitas; quod ille vocat poculenta comedere, id eſt, ſiccius facere, quod debebat eſſe humidum. Rurſum in coagulatione non ſunt potanda eſculenta, hoc eſt, cum ſiccitas debeat vincere, non nimis humectandum eſt, vt potus quaſi pro cibo fiat. Si in ſolutione nimia eſt ſiccitas, quæ euenit à fermenti copia, non fit ſolutio, ſed potius anticipat coagulatio. Vide tamen, ne vtrobiuis pecces exceſſu defectuve. Vnicuique, pro vt eſt diſpoſitum caliditate ſiccitate, humiditate, frigiditate, ita pondus aquæ eſt adminiſtrandum. Hæc ſuperius ſunt ſatis excuſſa. Ænigmata, & generalitates in hoc capite audiuiſti, vt moris eſt in hac ſchola.

CAP. XXV. LIB. II. DE fixatione & compoſitione Elyxiris.

CAP. 19. Inſtituerat de fixatione, ſeu fermentatione, ad quā tamen in ſpecie hactenus, præceptis nonnullis interiectis, non peruenit. Hoc 25. pertexit fermentationem lapidis ad album. Eſt autem hoc vnum ex maximè perſpicuis, & continet fermentationis proceſſum accuratum. Itaque, ſi hoc intelligis rectè, vt vt præcedentia ænigmata non aſſequeris, parum intereſt. IVBET primùm Elyxir fermentandum, quàm opti-

Fermentatio ad albū perſpicuè tradita.

optimè præparari. *Corpus* (inquit) *prius fac leue ſpirituoſum & pulchrum, antequam animam infundas. Non enim retinet ſpiritum, niſi præpurgatum, & ablutum.*] Corpus, id eſt, Elyxir incompletum, quod leue fit, hoc eſt, excellentis albedinis & virtutis per ſublimationem, ſeu continuatam coagulationem, & coctionem, quia etiam abluitur & purgatur pulchrumque euadit. Anima eſt fermentum, licet alibi etiam mercurium animatum, qui eſt materia coagulationis, deſignet. Niſi illud Elyxir probè ſit paratum, fermentationis ſpiritum, in quo hæret animæ virtus, non retinet conſtanter. Si poſtea benè figes miſcebiſque, etiam tinges benè. Sequitur praxis ſpecialis. Argenti ad puriſſimum fulminati, inque lamellas ſeu bracteas, aut potius calcem redacti cape partes tres. Adde huic mercurii albi, vel ex Elyxire albo, aut corpore albo extracti (Lullius hydrargyrũ ponebat fermento albo miſtum) partes ſex. Fac amalgama ſecundum artem, ita, vt calcem illam lunarem vel bracteas imbibas mercurio, & vnà teras vtrumque, donec facies ſit vndique eadẽ, & nihil appareat de argento, ſed ſit pulticula homogenea. Hanc laua diligenter aceto ſalſo puro (acetum ſit ſæpè traiectum per filtrum, ſal vero ſolutus, filtratus, iterumque coagulatus, & poſtea aceto immiſtus, quanquam poſſis etiam primum cum ſale terere, poſtea aceto abluere, ſicut memini à me ali-

Roſ. Phil. ex Hermete: Accipe quartam partem ſui h.e. vnam partem de fermento, & tres partes de corpore imperfecto, diſſolue fermentum in æquali ſui aquæ mercurii: Coque lentiſſimo igni & coagula illud fermentũ, &c.

quo-

quoties factum, pulchreq; ſeceſſiſſe omnem immunditiem) tàm ſæpè, donec ſordes omnes tollantur. Poteris in mortario ligneo cum piſtillo ligneo mundo probè ſubigere. Tandem, vt acrimonia abeat, aqua dulci ſtillatitia perfunde, ablue, & exicca, ſuper arena calente, vel ad fornacem, ne quid Elementaris humiditatis vnà maneat. Malagmati ſic parato adde partem ſulphuris albi quod antè elaboraſti, & coagulaſti ad albiſſimum. Hæc eſt res fermentanda. Iam conſidera quanta debeat eſſe, & quantam velis ad perfectionem perducere. Nam in tuo hoc eſt arbitratu. Malagmatis certam proportionem habes. Sed rationem cum fermentando tu ipſe inito. Naturaliter minus eſt fermenti, quam maſſæ. Sed tamen conſidera, quale fermentum habeas. Non enim adeò exorbitant, ſi qui poſtulant corpus integrum in bracteas extenſũ, aut ſimpliciter calcinatum maiore quantitate. At fermentum reuera debet parua portione plurimum habere virium, & eſſe ſpirituoſum. Vnde aliqui prius præparant aurum vel argentum, & in calcem viuam, tincturamue ſpiritalem reducunt. Tunc poteſt eſſe portio minor. Ita vides feces vini etiam inflare & fermentare tùm maſſas tùm decoctum polentæ, ex quo elicere volumus ſpiritus. Eæ ſunt ſpirituoſæ, præſtantque multum parua mole. Sed quocunque ſane conſilio in hac proportione ſumenda vſus es; poſtquã coniunxi-

iunxisti, & benè miscuisti (melius miscebis, si fermentum quoq; in aquam resolues, & hanc addes amalgamati, secundum doctrinam cap. 23.) Considera, num sat copiosus sit mercurius. Scis enim eum abundare in omni solutione debere. Si non satis est, affunde plus, & quantum decet. Aliqui semel affundunt; sed alibi hic autor videtur innuere paulatim augendam esse quantitatem: quæ enim est ratio coagulationis hac in parte, ea est & solutionis: per vices contere, inquit, cap. 3. Nonnulli quinto quoque die renouant aquam.

Vide cap. 15. & 3.

Vide cap. 10.

Hunc modum & ego aliquando cum successu sum secutus. Include vitro, & pone super prunas lenes mediante cinere ad sublimādum, seu ad soluendum, quod dum fit, sublimatur nigredo, planè vt in solutionibus cæteris est indicatum. Non est procedendum alio modo. Celerius tamen hic solet succedere negotium propter vim Elyxiris. *Coque paulatim intendendo ignem*, (interiorem mercurialem, non externum intelligo) *donec egrediatur, quod volatile est, seu tota nigredo fuerit extracta. Tunc refrigescat sublimatorium seu vitrum sphæricum, in quo prima sublimatio physica est peracta. Nigredinem* (quæ hic nomen fecum habet) separa ab aqua, id quod aliâs fit per interualla, quandocunque apparet satis copiosa, sicut monuit noster autor alibi, iubens collige-

Cap. 12. lib. 2.

ligere feces, & cumulare. *Quod adhæret lateribus vasis* (ita pergit in allegoria sublimationis vulgaris, quam tamen minimè intelligit,) *reduc super feces suas cum parte mediocri aquæ suæ, idq́; tàm sæpè, donec maneat.* Describit opus coagulationis. Nõ abnuo, dum facta est solutio, aliquid mercurii per latera sursum repsisse. Sæpè enim hoc vidi euenisse. Sed principale intentum est, mortuum corpus, seu nigritiem illam & feces reponere in vitro peculiari, & postquam exiccatæ fuerint, eis reddere suam aquam imbibendo, sicut solet fieri in coagulatione, donec maneat aqua seu fuerit coagulata, quæ res suprà satis est exposita.

Cap. 15. lib. 2.

Id colligis etiam inde, quod dicit reducendum esse cũ mediocri aqua. *Quoties autem sublimas* (ita pergit in praxi) *& reducis imbibisq́; cum aqua sua, non omittas contritionem, & imbibitionem, donec fiat amalgama seu pulticula.*] Amalgama quidem fit in coniunctione prima ad solutionem, vbi & contritio, & sublimatio prima; sed cum ordo monstret, agi hic de coagulatione, exponenda verba sunt de nutritionis ordine & modo, qui explicatus est capite XV. *Intende* (ait porrò) *ignem magis magisq́;, donec terra cum toto humido figatur, nihilq́; amplius de ea assurgat; hoc est, sulphur fixum & luna coagulata. Natura habet tempus suum, in quo lapis impregnatur, & nascitur ex*

Amalgama.

terra filius, qui nutriendus est, donec possit pati ignẽ. Et tunc tinges. Adhuc cap. 25. Vides autem coagulationis finem priore paragrapho fixione describi, & processum ita depingi, vt facilè assequaris totius operis gradum. Sane, quia imbibendo crescit quantitas, plus semper requiritur nutrimenti, & plus caloris. Hinc vtrumque sensim est intendendum, donec absumta sit aqua tota, & lapis siccus albusque factus. Tunc valido igni sublimandus est in colorem albissimum, vt suprà aliquoties dictum. Posterior paragraphus summam habet totius magisterii, quod tàm sæpè soluit & coagulat, donec fixus lapis tingat.

CAP. XXVI. LIB. DE AERE imbibendo Elyxiri albo.

Est augmẽtum lapidis albi completi ad tingendum.

PRAECEDENS caput exhibuit doctrinam ferè eandem, quam Lullius in clauiculæ capite nono. Hoc 26. congruit cum præceptis capitis decimi, quod titulo fixationis sulphuris insignitur. Id cognosces ex collatione præceptorum. *Cum terra imbibita est aqua*, inquit, *& fixa; accipe materiam, & tere cum parte aëris. Sublima igni leni primum, indeq́; paulatim fortiori, & repete imbibitionem, sublimationemq́;, donec omnia fixa fuerint, & patiantur ignem fusionis. Natura retinet naturam, docetq́; pugnare aduersus ignem.* Hæc est tota præceptio & opus in compendium relatum. Lapis fermentatus

per

per aëreum mercurium ex superiore opere reseruatum soluendus est, iterumque coagulandus, donec assequatur vim fixionemque perfectam. Nam à fermento exuscitanda vis penitius est,& ad iustam sublimitatem perducenda. Ita tinget copiosius. Non opus est, vt describatur processus solutionis, & coagulationis, qui tàm sæpè est propositus. Veruntamen aliam formam præscribit autor in specie, quæ sanè est apprimè notanda. *Exime laminam* (ait) *albam ex fundo vitri claram* (Lullius laminam crystallinam fieri ait post peractũ hoc opus.) *Cape eius partes tres. Tere, & imbibe aërem super igni; & instilla guttatim lenissimè in crusibulo paruo, donec albus aër totus sit instillatus.*] Poterat aliquis existimare, hoc esse nouum opus, idque secundum à fermentatione, seu secundò repetitam fermentati augmentationem. Sed vides eodem modo hîc aërem sumi, quomodo apud Lullium oleum; & finem eundem esse, sequente statim probatione. Sanè cum lapis non sat fixus est, sed fumigat, præcipiunt aliqui eum in catino figere reddito oleoso mercurio; idemque monent, si sit refractarius ob nimiam siccitatem. Non absurdum est etiam augmentum ita peragere. Non enim fugax est amplius; sed fixus fermento. Non debet tàm solicitè includi. Noui, qui multiplicationem tantum in catino super igni ita instituit bis, vt calefacto centuplo mercurio, immittat partem vnam Elyxi-

Praxis augmentationis seu fixationis albæ.

ris perfecti, vertatque totum in Elyxir. Eſt itaque in arbitrio artificis ſiue per vitrum, ſiue catinum hunc laborem velit abſoluere, modò attendat huic diligentiæ, vt particulatim inſtillet mercurium aëreum, ſeu oleoſum, donec tota quantitas, quam deſtinauimus ei, ſit epota & abſumta.

Examen lapidis in lamina.

Tunc examen inſtituendum eſt eodem artificio quod & Lullius præſcribit. Laminæ aereæ vel ferreæ candefactæ pars Medicinæ imponenda eſt, & aduertendum, num expiret, aut quomodo ſe habeat. Debet autem liqueſcere, & irrepere ſine fumo. Si fumat, nondum ſat uſta eſt & fixa. *Iubet ergo imbibitiones olei repetere, donec ſit perfecta: nempe, ſublimare id, quod eſt fugax & miſcere non fugaci, iterumq́; ſublimare, donec nihil aſſurgat amplius, quo facto redeundum ſit ad examen ſuper lamina.* Hæc ille. Lullius contrariæ diſpoſitioni remedium affert imbibitionem. *Si non fuerit fluens,* inquit, *& fuſilis, depone eandem in cruſibulo dando oleum guttatim, &c.* Et ratio docet repetitione imbibitionis ab humido, magis humefieri rem, quã figi & exiccari. Præterea quæ de ſublimatione affert, allegoriam conſuetam habent ex vulgata hydrargyri per ſublimationem fixione ortam. Nihil tamen eſt abſoni, ſi quis illum fumigantem lapidem vellet includere ſublimatorio, indeque abſtrahere fugacem partem, & abſtractam paulatim, ſeu per diuer-

uerſas portiones reddere fixæ, iterumq; igni coquere & ſublimare, & ordine procedere, donec cum fixa maneret non fixa. Sed in toto opere Philoſophico per ſe nulla eſt talis ſublimatio.

Indicio illa fumigatio eſt, humidum abundare, & mercurium oleoſum non benè miſtum eſſe, fixumque cum lapide. Itaque iterum benè conterendus eſt, & ſine humiditatis adiectione in igni pleniùs coquendus, quouſque ad iuſtam fixitatem perueniat. Obſeruandum & hoc eſt aliquos, quia non totùm Elyxir fermentatum augetur, ſed tantùm pars eius, reliquis ſeruatis ad vſum medicum, vel reſtaurationem lapidis, ſolere augmentũ hoc fugax reſoluere, & plus Elyxiris immiſcere, iterumque coagulare, quo vſque perueniant ad iuſtam metam. Si libet, potes hoc modo procedere. Fors & aliquis plus tincturæ, vel calcis ſui corporis adiiceret.

Tandem, ſi ſigna conſtantiæ conſpicis, theſaurũ theſaurorum habere te pronuntiat noſter autor. Itaque iam accingêris & tinges pro libitu, & facies ex hydrargyro cum aceto & ſale abluto argentum, hocque millecuplo cum fœnore. Nam vna pars dicitur conuertere partes mille. Iubeo tamen te attendere his, quæ ſuprà copioſe in expoſitione Lulliana monui. Porrò partes iſtæ mille ex lapide & MERCVRIO factæ, iterum ſunt

Theſaurus opulentus:

Medicina. Nam si vnam portionem proieceris super mille partes corporis imperfecti, fiet inde argentum. Sic lucratus es cum vna vncia Elyxiris albi millies mille vncias, seu semel centena viginti quinque millia marcarum argenti. Tandem vtilis admonitio additur de tempore huius magisterii. Multis est in ore dies, biduum, mensis, annus, &c. Noster autor tempus naturæ & ingenio committit. Si enim benè operatus fueris, die assequeris, quod aliâs in natura externa fit multis annis.

125000. marcæ argenti ex vncia vna lapidis.

TEMPVS.

CAP. XXVII. DE COMPOSITIONE rubei Elyxiris ad solem.

PRAXIS fermentationis ad rubrum specialis est & respondet Lullianæ clauiculæ cap. II. *Fit eodem mode*, inquit, *vt album ad lunam* : Item, *per omnia procedo in rubro, vt suprà in albo: Sed tamen in debito subiecto. Nam ibi erat argentea calx, vel bractea, hîc est aurea : ibi mercurius albus, hîc rubeus, qui prius factus est cum igne lapidis, quandoquidem rubeum opus nihil ingreditur, nisi quod rubeum est, vt album nihil, nisi quod album. Præparatio albæ Medicinæ hîc quoq;* *est* (Elyxir album.) *Sed accessionem accipit sulphuris rubei, quod iam fixum & calcinatum est cum triplo fermenti sui præparati cũ magna prudentia & cautela perfectæ administrationis, & bono ordine solutionis, cumq; multiplici solutione. Hunc ordinem,*

dinem, & regimen obseruabis semper, donec volatile figatur cum fixo. Pars enim non fixa sæpius addenda est fixæ, donec & ipsa figatur. Si tres partes rubræ aquæ sunt cum rubra Medicina; sublima vnam post alteram diligenter, donec cum reliquis maneat fixa. Deinde in tigellum pone, & guttatim super igni instilla de oleo rubeo, donec fluat Medicina instar ceræ sine fumo in lamina candente. Huius pars vna tingit argenti millecuplum, seu mercurium purgatum sale & aceto in aurum præstantius naturali. Nam hac aurum Philosophorum elaboratum est, vt tingere altius poßit & constantius morari in igni. Hactenus verba autoris. Si secundum literam procedere velis, sumes tres partes calcis aureæ pro fermento (cum triplo fermenti ait) & mercurii duplum, seu partes sex, mercurii autem rubei, seu solaris: tertiò lapidis albi subtriplum, seu partem vnam (nam ita sonant fermenti tripli verba: cum id non possit esse triplum, nisi respectu fermentandi, quod est lapis albus) solue, & coagula iuxta artem hactenus sæpè declaratam, ita, vt per partes coagules aquam vnaque fixa semper figas aliam, vt moris est in imbibitione. Memineris autem aquam illam in tres portiones esse diuidendam, quarum duæ seruandæ, & vna in coagulatione insumenda. Cum iam parata est Medicina rubra; etiam cæteræ duæ figi debent in hunc modum. Catinum pone super prunas. In hunc immitte tuam Medicinam. Instilla partem seruatæ

Quid sit, vna fixa figere aliam partem.

tæ aquæ guttatim per interualla, donec ſit fixa. Tunc rape experimentum, & vide, num fluat Medicina in lamina argentea candefacta ſine fumo, & relinquat in ea tincturam auream, ſi ita eſt, perfeciſti lapidem. Sin minus, vtere ea ſolertia, quæ in albo eſt indicata, & cap. 23. Poteris huius Medicinæ partem vnam proiicere ſuper millecuplum argentum, aut hydrargyrum purgatum, quanquam prima proiectione dicant etiam fieri Medicinam, vt ſuprà de albo relatum eſt. Lapis ruber vocatur aurum Philoſophorum: Sed Lullius eo nomine calcem viuam rubeam minoris operis appellat.

Vide cap. 30

Aurum Philoſophorũ.

CAP. XXVIII. LIB. II.
De augmento Medicinæ.

IN infinitum extendunt vim lapidis autores omnes. At id impoſſibile eſt actu præſtare abſque ſubſiduo multiplicationis, quam augmentum hìc autor vocat. Vt enim cap. 26. & 30. legimus fermentatus lapis ſemel proiicitur ſuper corpus vel mercurium, & gignit Medicinam millecuplam. Huius pars vna proiecta eodem modo, non amplius parit MEDICINAM ſed metallum. Itaque ſtatim in ſecunda proiectione virtus finitur. At vt in minore opere multiplicatio inſtituitur ſemper porrò abſq; fine; ita & in maiore.

Nota, quod alii non ſumant fermentatum prima vice, ſed iam bis per centenas partes auctum.

Lull. lib. clauic. cap. 5.

iore. Praxis exponitur nunc Cap 28. Cum Medicina, inquit, ſignum perfectionis habet, iamque fluit abſque fumo ſuper lamina, poteris quidem vnam atque alteram partem ad tingendum conuertere; ſed vt minera tibi ſufficiat, vnam multiplicabis. Solue ergo eam in mercurio ſolari, vt fiat aqua fluens, hoc eſt, mercurius, vt habet expoſitio capitis 29. Solutionis praxis non eſt alia ab ea, quam repræſentauit cap. 3. Ordine enim augetur mercurius, & gignitur nigredo colligenda. Hoc intereſt, quod longè breuiore tempore ob vim lapis res abſoluatur. Nam ita aiunt liqueſcere in MERCVRIO, vt butyrum in butyro eliquato, vel glacies in aqua, quia & fluxilis eſt & amica MERCVRIO. Coagula poſtea ſolutam igne cinerum vel arenæ, leni tamen, vt ſuprà. Cap. 15. expoſitum eſt.

Cogita, quomodo ſolui in Mercu. poſſit, ſi tranſmutat mercurium millecuplum in Medicinā.

Ita imbibitur ſuo oleo, vel lacte virgineo, qui eſt Mercurius ſolutionis, fitque tàm tenera & ſubtilis, vt ſtatim fluat in lamina candente, ſortita adeptaque vim tincturæ duplā, qua duplo plus tingere poteſt, quàm antea, hoc eſt partes millies mille, ſi prius mille. Ea enim eſt ratio multiplicationis: vel, vt in fine ait; ſi primum tinxit centum partes, ſecundo tinget mille, &c. Vbi tamen notabis diſſenſum. Dicit quidem hic duplo augeri vim tincturæ; vnde conſequens foret, ſi prius centum mutaſſet, iam ducentas mutare, ſicut

Vide notata ad cap. 30.

Rupeſciſſa bis per centenas auget vide, num hanc mentẽ habeat.

& verba circa finem ſonant : Virtus augetur ducenties : Sed ſpecialis declaratio aſcendit per denarios multiplicando. Nam à centum fit aſcenſus ad 1000. hinc ad 10000. pòſt ad 100000. &c.

Alii à ſepteno incipiunt, & per eundem numerum amplificant. Sed hi vſurpant crudiorem Medicinam. Nam & auctio per decem, exurgit ex hoc numero, vt ſi primo apparatu ante fermentationem, vel etiam lapis fermentatus quidem, nondum tamen auctus tingeret partes decem; in primo augmento mutaret 100. in ſecundo 1000. & ſic deinceps. Sed qua arte aſſequemur illam denariam multiplicationem, ſi vna vice auctus lapis tingat centum partes mercurii? Soluendum hoc augmentum denuò eſt, iterumque coagulandum, idque mercurio ſuo. Ita à centum tranſitus fiet ad mille. Hæc proportio ſeruatur etiam in tempore. Nam ſecundum augmentum abſoluitur ſeptem diebus, ſi primum menſe, & fermentum anno. Cum autẽ abſoluiſti lapidem augmenti/ ſeu multiplicationis, eodem modo eius perfectionem in lamina candente explora, vt antè es edoctus in lapide albo. Nam vtrobique ſignum eſt fluxus cereus ſine fumo cum relicta tinctura & facili ingreſſu. Ita tandem tingendo metalla imperfecta per proiectionem, aut mercuriũ aſſequeris illã proportionem à 10. ad 100. & hinc ad 1000. iterumque ad 10000. & ſic deinceps de

de qua ante eſt dictum. Quoties repetis ſolutionem, & coagulationem, toties plus tingit per decem multiplicando, quod ego, num credendum ſit, dubito. Deeſt enim experientia; & quidam videntur hyperbolen indicare, dum ſcribunt tam cœleſtem, ſubtilemque tandem euadere virtutem huius Medicinæ, vt incomprehenſibilis ſit, & ineffabilis tinctura. Neque ego ſane illam comprehendere, aut effari ſtudebo. Videbis, quid vſus feret. Illud quoque neſcio quid ſubolet, quod noſter autor aſcendit multiplicando per denarios, & tamen ſcribit modo duplo augeri, modo ducenties, virtutem. Si itaque prius tinxiſſet centum; ſecundo ducenties centum, hoc eſt, 200000. Cōficeret, & tertio quadragies, &c. Illud rectius, quod monet, ne pigri ſimus in ſoluendo, ſublimando, coagulando, aſſando. Certè enim & vigilantiam & ingenium requirit hoc opus, vt maximè mirer, cur id aggrediatur ſtupidiſſimus indoctiſſimuſque quiſque, & inter hos illi ignaui melancholici, qui in ſpecu Platonico neſcio quæ ſibi ſpectra ſomniant, quæ poſtea pro oraculis habent, & exoſculantur. Tractatus Lulliani & Arnoldini, cum Geberianis oſtendunt quam acutos res poſtulet artifices.

In ingenioſiſſimo opere cum verſentur aſini Paracelſici, non mirum eſt raros hodie eſſe artifices, & artē male audire.

Cap. XXIX. Lib. II. Rosarii. De solutione & coniunctione.

Capite præcedente scripserat: *Dissolue Medicinam in suo rubeo vel mercurio, ita, vt aqua sit clara, & limpida.* Simpliciores poterant credere eam redigendam esse in aquam madefacientem manus, perspicuam, & puram. Ne itaq; seducătur, explicat, quam solutioně, & qualě velit. *Quæ dicta sunt de solutione*, inquit, *non accipienda sunt de tali, vt aqua fiat, qualem ex mercurio & metallis per magisterium liquorū aliâs fieri constat.* Geberus quoq; docuit in suis Sophismatibus. Sed, vt Elyxiria & pulueres, seu lapides artis efficias volaticos, & in spiritum mercurialem cōuertas quantum potes, & interim etiam partes siccas ab humidis separes, quas postea reconiungas in coagulatione & fixatione. Sic ex re sicca fit humida, ex crassa subtilis, quale est argentum viuum. Neq; est alius solutioni propositus scopus, quam vt corpora cōpacta fixaq; facias volatilia, vt possint cum spiritu mercuriali copulari, quandoquidem, vt & Lullius docebat, non iungitur corpus spiritui constanter, sed eiusdem naturæ spiritus. Id autem soluendo fit, non sublimando, licet & sublimatio aliquando vocetur, quando in putrefactione resoluta nigrities ex centro ad superficiem enatat, & ibi subsistit. Non alio labore aut re, corpora, aurum scilic. & argentum, vnà cum lapidibus soluendis indigent,

digent, quam vt ſubtilientur, quo poſſint ſpiritibus vniri. Hæc ſubtiliatio nihil eſt aliud, quam ſolutio in aquam homogeneam ſpiritibus, hoc eſt, mercurium, ſicut ſpiritus ſunt mercurius. Subtiliat autem valde deſtillatio illa Phyſica, quæ & putrefactio appellatur, & contritio, & ſolutio, deſcriptaq; eſt ſupra c. 7. vbi & vocatur extractio aquæ ex humida ſubſtantia, &c. Sic ſubtiliata reſolutaq; & in mercurium verſa aurum & argentum, mercurio purgato ſeu hydrargyro commiſcentur inſeparabiliter, vt cap. 11. ſignificatum eſt. Sicut etiam ſpiritus in igni nõ bene retineri poſſunt, euolant enim facilè: ita & corpora, quæ tamen ante ſolutionem in mercurium erant fixa. Sic vincuntur ſubtiliatione, & rurſus coërcentur ſublimatione, vt ex volaticis fiant immobilia fixaque. Verum enimuero, cum audiuiſti, copulandos eſſe, miſcendoſque corporibus ſpiritus, non putes, leuem rem eſſe, quaſi aquam aquæ confunderes. Artis eſt opus. Itaq; poſtquam corpora reddidiſti volatica, & ſpiritualia ſeu mercurialia, vertiſtiq; ea in argentum viuum, vt ſint leuia reddita more ſpirituum, ſimul inchoaſti vnionem per contritiones. Aqua enim penetrat corpora, & ſoluit aſſumens ex eis ſibi familiarem partem. Sed perficitur coniunctio poſtea coagulando per imbibitiones vicarias, vt ſuprà eſt indicatum, & ad conſtantiam perducitur vnio aſſando, ſeu Philoſophicè ſublimando.

Subtiliatio.

Vera omnia. mando. Vera ſunt omnia, quæ diximus. Ne ergo de artificio dubites.

CAP. XXX. LIB. II. Roſarii. De proiectione.

Vſus lapidis in metallica.

CVM vis proijciendo tingere, hydrargyri vulgaris aceto & ſale benè purgati partes mille impone in catinum, quem colloca in tripode ſuper ignem. Cum incipit aſſurgere, & expirare, ſeu in halitum verti, cape vnam partem Elyxiris aucti ad proportionem hanc, quæ poßit mille partes (potius millies mille) tingere, & proiice ſuper illum mercurium, immiſce cum ligneo bacillo, & tege catinum carbone candente lato. Ita fiet noua Medicina, cuius iterum vna pars tingat partes mille hydrargyri lotione oxalmes purgatì & aqua dulci mitigati terſique. Nondum habes metallum; ſed iterum Medicinam, cuius vna pars proiecta ſuper centum mercurij purgati vertit eas in aurum, vel argentum, prout ex vno horum lapis fuit. Id aurum vel argentum præſtantius eſt naturali, nec minus ſuſtinet omnia examina, qualia ſunt in auro aqua fortis, aqua regia, cæmentum regale, fulmen, antimonium, ſulphur, lapis lydius, pondus, color, fuſio cum ignitione, extinctio in acutis. &c. *In argento potißimum aqua fortis, cineritium ſeu fulmen, coloritium argenti,* &c. *Eſt & alius lapidis vſus in Medicina. Nam in omnibus morbis excellenter iuuat, morbumque annuum ſanat menſe, vel diebus 12. menſtruum die vno,* &c. Hæc ille. Subolet iterum, quod de multiplicatione

Vſus in Medicina.

proie-

proiectionis affert, ſicut & vſu in morbis. Vtique ſingularis eſt præceptio hæc de lapide, qui primum vna ſui parte millecuplum hydrargyri vertat in Elyxir, ſeu Medicinam eamque paris virtutis cum lapide cuius iterum vna pars mille mutet in Medicinam, quæ tandem centuplum Mercurium transformet in metallum. Effugium eſt per diuerſam præparationem lapidis. Itaque admodum diſcordant, non exiſtente Elencho. Geberus, citante Roſario Philoſophorum ait, quandam Medicinam ſeptuplum tingere, quandam decuplum aliam centuplum, aliam millecuplum; nonnullam in infinitum. Rupeſciſſa in libro Lucis hæc habet : *Cape centum partes Mercurij cum ſale & aceto loti. Pone in cruſibulo ſuper ignem cum cœperit feruere, pone vnam partem huius Elyxiris dicto modo præparati ſuper iſtas centum Mercurij abluti, & fiet totum Medicina ſuper alium mercurium ablutum. Ergo partem huius proijce iterum ſuper centum mercurij abluti ad ignem feruentis, & adhuc fiet Medicina totum. Huius vna pars tandem vertit centuplum mercurij in Solem vel Lunã, prout fuit lapis.* Thomas de Aquino primo opere tingit partes ſeptem ; ſecundo ſepties ſeptem, tertio eundem numerũ ſepties auctum, hoc eſt, 343. ſuper mercurio, quia, vt ait, quanto plus digeritur Medicina noſtra, tanto ſubtilior efficitur, & penetrabilior, magiſque ob hoc tingit. Speculum (ita vocatur liber quidam de hac arte) monet oportere talem efficere lapidem, vt

Varie tingentes Medicinæ.

Vide c.7. de ſecretis ad Reinaldum.

vt post operis complementum sit millies millesies fortior & perfectior, quam simplicia auri, & argenti corpora, quæ natura decoxit. Similia inuenies apud alios. Omnes ascendunt. Solus noster autor in hoc capite tandem ad centenas à millenis se demittit. Videndum itaque ne 100. posita sint pro 1000. Vide cap. 21. & alia huius generis præsertim 28. 27. &c.

Vnde varietas tincturę.

Non absonum à vero est, illam varietatem nõ tantam esse è discrepantia operis minoris, maioris, rubei, albi, sed & præparationis solertia, & rerum, quæ sumuntur, virtute. Itaque probe monet ille, non posse certo præscribi quãtum mutaturus sit lapis. Esse hoc cognoscendum experientia. Itaque etiam erroris cuiusdam circa colorem in opere rubeo remedium est, adiicere plus lapidis, aut metalli. Idem artifex, si priore via conficiat lapidem, non tamen ad amussim dicere potest quantam vim is sit habiturus in fine. Sic differens est absolutio. Alius vlterius subtiliauit lapidem, alius substitit citra. Hic vult tingere à primo opere, alius à secundo, alius à tertio; & sic deinceps pro numero augmentorum & multiplicationum. Hinc est, quod Lullius in clauicula cap. 8. & 9. lapidem fermentatum proiiciat super partes centum; sed mox post augmentum seu fixionem cap. 10. super mille, & hinc augendo in infinitum, &c.

In 1. solutione vnum pondus cadit super 100. in secũda super 1000.

CAP.

CAP. XXXI. SVMMA TOTIVS magisterii.

IN compendium coniicit artem per notas praxeôn specialium, earumque ordinem, omissis, quæ passim theoricè, & nonnunquam etiam allegoricè immiscuit. Quatuor autem sectionibus distinguit opus omne. In prima lapidem descriptum, hoc est, materiam ex auro, argento & mercurio per debitas præparationes factam, sublimat vsque ad puritatem iustã, quod fit bis soluendo, & toties coagulando. Sic enim à sordibus & alienis qualitatibus, vt humiditate destructiua, corpulentia refractaria, densitateque & cæteris putant fieri liberum.

1. Sectio Elyxir.

In secunda fermentat, seu materiam exaltatam in duos lapides distinguit, & alterum auro fermentat, alterum argento, quanquam hic lapis etiam maturescat transeatque in rubrum absque fermento, sola coctione perdurante. Finis huius fermentationis est, vt solutione coagulationeque mutua vtrumque perueniat ad vltimam exaltationem, seu sublimationem, & fiat volaticum. In tertia figitur lapis fermentatus volatilis adiecto oleo suo iterum solutionibus & coagulationibus, quousque in igni moretur, nec exhalet.

2. Fermentum.

3. Fixo.

In quarta restauratio lapidis est ad perpetuitatem, seu augmentatio. Lapis enim fixus soluitur & sublimatur, fitque volatilis, sicut

4. Multiplicatio.

ſicut in ſecunda ſectione; poſtea iterum figitur, vt in tertia: quæ res poteſt repeti in infinitum. Interim poſtquam fixus eſt, vti eo poſſumus ad tincturam albam, rubeamve, ſicut ſuis capitibus dictum eſt. Eſt & cum medicamenti nomine ad varios adhibetur morbos. Quoniam vero, vt tingat rectè, neceſſe eſt certas præparationes antecedere; ſine quibus ingreſſum non habet de his præceptum eſt cap. 30. Ita abſoluta eſt anacephalæoſis. Tyrones, qui in hoc autore verſari volunt, diligenter Theoriam primi libri ruminent, vt inde acquirant axiomaticam quandam informationem. Deinde perluſtrent & practicum opus in ſecundo deſcriptum, & nominatim legendo coniungant capita: 2. & 3. in quibus de materia præparationeque & ſolutione eius agitur. Deinde tranſeant ad 15. vbi praxis coagulationis docetur, quæ ſtatim ſequitur ſolutionem, quanquam multa de elementis allegorica interiiciantur.

Continuatio operis Arnoldini.

Hinc adibunt 16. vbi diſcent eiusdem operis repetitionem, vt fiat Elyxir commune, ſeu terra alba foliata. Meminerint tamen, quod ſi libuerit, hic aliquam partem poſſint cum ſuo corpore reducere, aut etiam cum mercurio porro augere cumque ſat copiæ eſt reducere, imo, & ſi auxerint per Mercurium Solis, vel album ſuum corpus reduxerint in Mercurium, quem iungant cum malagmate Solis, & ſoluant coagulentq; & augeant, queant

ant rubeum opus, quod minus appellant, asse-
qui. Sed quos nulla cogit necessitas, seu penu-
riæ, seu animi scire etiam hoc arcanum cupi-
entis; ii procedant ad cap. 19. vbi de fermenta-
tione cognoscent, quæ cum sit duplex, alba, &
rubea, illam specialiter explicatam inuenient
cap. 25. & fixionem cap. 26. hanc vero cap.
27. cuius fixio & augmentum extat cap. 28.
Tandem, cum iam operum finem fecerint, vt
fruantur eo, cap. 21. & 30. inuenient proiectio-
nem ad mutanda metalla & hydrargyrum,
vel si medicum vsum prætulerint, catholicum
ad omnes morbos se habere discent. Ne vero
deficiat minera, iterum cap. 28. de eius au-
gmento in infinitum certiores fient. Sicubi
error commissus est, nisi is irreuocabilis est,
succurrit cap. 23. Cætera capita his interiecta
allegorica partim sunt, & ad auertendos in-
dignos stupidosque faciunt, neque tamen, si
allegorias recte interpreteris, sunt ἀπροσδιό-
νυσα; partim theoriam rationibus Philoso-
phicis expediunt. Ita mediocri diligentia
explicatam spero hunc autorem. Si non o-
mnia arcana ita tradidi, vt quis sibi exo-
ptauerit, is non succenseat. Hæc sacra non
aliter constant. Si te disciplinæ commise-
ris, assuesces eius moribus, & si quas rationes
concepisti, eas praxeos certitudine firmabis.
Qui non est ingeniosus Physicus, facessat,
& abstineat. Non est hæc ars similis sutoriæ
& cæterarum mechanicarum. Neque si de-

 stillare

ſtillare aquas & olea didiciſti, quanquam id alacriorem exhibeat, & paulo aptiorem hominem, tamen ſtatim confidas, te huic arti quoque ſatis fore abſque meditatione longa, & ſolerte. Illuſtrationem intellectus, & ſucceſſum à DEO pete aſſiduis precibus, ſi quidem is te per naturam & officium huc traxit. Huius fauore proficies. Sin te is alii ſtudio emancipauit, eique laborioſo hoc tibi ſequendum memineris. Monachi quidem olim etiam ſacris erant deſtinati, ſed nonnullorum tamen fuit conditio minus tumultuoſa. Itaque poterant ſimul naturæ incumbere miraculis, & inter opes, adminiculaque cætera bonum tempus huic arti dare. Præclara eſt admonitio Thomæ ad Reinhaldum.

Non eſt inuolandum in Chymiã ex arte alia.

Noli, inquit, *cariſſime, maiori opere occupari, quia propter ſalutis & prædicationis* CHRISTI *officium tempus magis debes impendere diuitijs ſpiritualibus, quam lucris temporalibus inhiare. Vt vnumquemque vocauerit* DEVS, inquit Apoſtolus, *ita ambulet*. Quocirca illi, qui paſtoratu ſacro abiecto in furnos Phyſicos irrepunt, deteſtando facinore conſcientiam contaminant, neq; tamen ſucceſſum ſperatũ aſſequuntur. Omnino ne quis tentet hanc artem, ad quam ſe ineptum, nec vocatum intelligit, nec laborent Magnates per homines ſtultos. Nã etiamſi deſcriptiones veras habeãt, tamen ob ſubtilitatem operis non aſſequentur finem, quod multa ſint, quæ ſcribi plane nequeant:

nequeant: debeant autem intelligi & in praxi obseruari, ad quod non sunt apti homines amusi. Adhuc Ros Arnoldi.

Compendium artis Lullio asscriptum.

CAPE sulphur rubeum, & arsenicum viuum, quod etsi aqueum est, est tamen Elementum igneum calidum gradu 4. (*De Arsenico Lullius in clauiculæ cap. 8. De sulph. rub. cap. 7. & 11. si intelligis calcem viuam rubeam. cap. 7. & Elyxir album cap. 8. vel etiam lapidem 10; hæc praxis erit cap. 11. sed tamen meditare amplius.*) Hæc duo sunt de vna essentia & natura. Alterum (*Sulphur rubeum*) vocatur sperma virile. Si his deficit coctio, assimilantur matri (*Lunæ*) albedine, patris grauitatem retinent. (*Id dicitur Luna fixa, vide Rosarij cap. 17.*) vnire & soluere vtrumque arduum est. Fortis enim sunt misturæ. Cũ miscentur, non separantur amplius (*vide Ros. c. 29.*) Aut .n. tota manẽt in igni, aut tota fugiũt. Vocatur lapis REBIS, acetum nostrum, magnesia, quod est medium inter fixũ & non fixum (*Elyxir commune*; *Lul. c. 8. clau. Ros. 16.*) Solutio corpus acutum obtundit, subtiliat, & impalpabile efficit (*Ros. lib. 2. c. 29. & 3.*) Hoc volatile est. Inde figitur in vase vitreo forti (*Ros. lib. 2. c. 15. 25. 27*, &c.) Forma vitri, forma cœli. Coquitur leniter, igni blando (*Ros. lib. 1. c. 10. lib. 2. c. 3*, &c.) Soluit, putrefacit, sublimat, calcinat, coagulat, figit seipsum, sine additione manuũ.

Arsenicum viuum vel argentum viuum.

Nomina lapidis.

Vitrum.

Lapis albus. Si vis ad lunam operari, non eſt, vt progrediaris vſque ad rubedinem. Sed cum vera albedo exit, deſine, & fac periculum Medicinæ, num habeat fuſionem facilē in duro & molli: Si non; adde parum lactis virginei, id eſt, mercurii ſepties deſtillati & ſoluitur, deſtillatur, ſublimatur, coagulatur, & facilè fluit, vt cera ſine fumo. [*De his Lullius in clauic. cap. 10. Roſ. lib. 2. c. 23. 26. & 13. &c.*] Hæc Medicina reiterando opera, eò perduci poteſt excellentiæ, vt tranſmutet mercurium in infinitum in lunam, & hic imperfecta alia. [*Clauic. cap. 10. Roſ. C. 28. lib. 2. item C. 26. & 21. &c.*] Si ad ſolem: diutius coque Medicinam ad ignem, donec rubeſcat. Rubedo enim eſt perfecta digeſtio. Et eſt VNVM Elyxir ſimul paratum ad album & ad rubeum. [*Hoc Elyxir eſt cap. 8. Clauiculæ, & in Roſ. cap. 16. De eius per ſolam coctionem rubefactione nihil habet Clauicula. Roſarius Philoſ. eius facit mentionem, & Roſ. Arnoldi lib. 2. c. 17. & 27. item alij.*] Quando Philoſophus iubet album albo, rubeum rubeo addere: nō vult, vt aliquid manu addas, ſeu puluerem ſeu aquam; ſed vt tincturam addas, hoc eſt, vt tingas amplius opere ignis. Album albo addere, eſt operari ad album, & tunc ceſſare. Rubeum rubeo, eſt operari vſque ad rubedinem completo miniſterio, igni aucto vſque ad finem. Nam vna eſt ſubſtantia, quæ per ſe albeſit, & rubeſit.

Nota perfectionis.

Lapis ruber.

Elyxir vnū.

Additio qualis.

Reuelatio myſterii: Solue fixum in non fixo,

fixo, ſeu matre non fixa. Hoc non fit, niſi coniungantur in vaſe non amplo, ne alterum fugiat aut diſcedat ab altero, &c, niſi igni torqueatur. Tunc alterum operatur in alterum, & fiunt res vna, ſicut erant prius. Ita pugnant cum inimicis & craſſum aſcendit in partes ſuperiores. Benè cuſtodite, ne pereat. Ita ſumma pars fixa fit volatilis. Hæc res vocatur ſolutio: Et calor operatur ſtatim nigredinem. Hæc eſt imprægnatio, & interna ſolutio, & clauis artis [*Lull. clauic.* 5. *&* 8. *Roſ. cap.* 3. *&* 4. *lib.* 2.] Non poteſt gignere, nec corrumpi niſi habeat impletionem. Ita mortuum eſt granum album, fertque fructum centuplum. [*Cap.* 8. *clauic.*] Aſcendit è terra in cœlum, & è cœlo in terram [*Roſ. lib.* 2. *cap.* 11. *Hermete.*] Quod corporeum eſt, fit ſpirituale ſublimando [*quod eſt, aſcendit in cœlum*] ſpirituale fit corporeum deſcendendo [*quod eſt deſcendit in terram*] & vim ſortitur ſuperiorum & inferiorum, hoc eſt, quando fit ſolutio, & fortis incenſio, mouetur in vaſe tanquam aqua feruens, & corpus aſcendit; & hæc eſt deſtillatio, & ſublimatio. Quidam putant Elyxir debere ſublimati, ſed falſo, quia ſenſus ſapientum eſt diu coquendum & figendum eſſe in igni. Hæc eſt calcinatio, & coagulatio.

Solutio.

Hermetica Aſcendit, &c.

Deſtillatio Philoſophica.

Sublimatio.

[*Arnoldus in flore florum: Sublimatio non eſt vulgaris elevatio quæ fit per ſpiritus, Arſenicum, ſulphur, hydrargyrum, & ſalem ammonium; ſed eſt de re vili pretioſam facere, & de re dura miſtaq; altã,*

Vide Roſ. cap. 18. lib. 2.

puram, & nobilißimam, quod est subtiliare, dealbare, defecare, rubrum facere, quod totum facit aqua benedicta. Ita & in Rof. Phil. de sublimatione virtutis, & ex Arnoldo disseritur. De destillatione idem Rof. consentit cum hoc autore: Videntes Philosophi talem materiam, quæ ascenderat, descendere ad fundum vasis, vocauerunt destillationem, seu descensionem. Destillationem Elementorum declarat mutatione qualitatum, quod frig. sicc. sit terra: frig. hum. aqua: hum. cal. aër: cal. siccum ignis, &c.] Sic gignitur album in sicco: in albo citrinum: in citrino rubeum. [*Rof. lib. 2. cap. 15.*] Inter nigrum & album omnes apparent colores [*cauda pauonis, pratum floridum*] qui tamen negliguntur, cum sint instabiles, donec vera albedo prodeat, quæ est verum Elyxir album coadunatum ex rebus diaphanis (*Lull. clauic. cap. 10. crystallinam laminam albam vocat. Res, ex quibus fit, diaphanæ sunt, non actu, sed potentiâ, cum poßint in talem liquorem verti, id quod tamen non petitur in hac arte. Rof. cap. 10. lib. 2.*) Non autem aliter perspicuum, quàm speculum purum cœleste. (*at hoc non est perspicuum. Si enim transmittit imagines, non est speculum, cum debeat eas terminare, & collectas reddere. Perspicuitas itaq; hæc nitor quidam est purus*) Eò peruenit molliter (*lento gradu magna cum industria*) hominum operatione [*præsupposita tamen natura. Rof. lib. 2. cap. 1.*] Opus perficitur tribus quadragenariis dierum. Primo vir imperat, cuius sperma vnitur fœmineo absque separatione. Secun-

Destillatio.

Qualis perspicuitas intelligenda.

Motus operis.

cundo, formatur, & accipit animam & ſpiritum, & tincturam, vivificaturque. Tertio naſcitur fructus purus, fit fluxilis, fuſilis, nec metuit ignem, vt in quo quieſcit amicè. Valet ad omnes morbos, excepto mortis decretæ termino. Spiritu hoc tingere facimus vitra tractabilia malleo & infragilia. Ex cryſtallo facimus carbunculos, prout miſcentur eis Planetæ.

Vſus.

FINIS.

Iacobi 1. Omnis Donatio bona, & omne Donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à Patre luminum, cui laus, honor, & gloria in omnem æternitatem. Amen.